Opera omnia / ... studio et opera M. Jacobi Thevart ... digesta, denuo in lucem edita: cum praefatione Theodori Tronchin.

Contributors

Baillou, Guillaume de, 1538-1616
Moreau, René, 1587-1656
Thévart, Jacques, 1600-1674?
Tronchin, Théodore, 1709-1781

Publication/Creation

Genevae : Apud fratres De Tournes, 1762.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wb4tksdt

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



11952/c

GULIELMI

BALLONII

OPERA OMNIA MEDICA.

In quatuor Tomos divisa.

TOMUS QUARTUS.

GUILELMI

BALLONII

OPERA OMNIA MEDICA.

TOMUS QUARTUS.

GULIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS

CELEBERRIMI,

OPERA OMNIA

In quatuor Tomos divisa,

STUDIO ET OPERA

M. JACOBI THEVART,

Medici Parisiensis, digesta, denuo in lucem edita:

CUM PRÆFATIONE

THEODORI TRONCHIN,

In Academia Genevensi Medicinæ Professoris.

TOMUS QUARTUS.

GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCC. LXII.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

THEODORI BALLONII

CUM DEDICATIONE

M. IACOBI THEVART

STUDIO ET OPERA

OPERA OMNIA

CELEBERRIMI

MEDICI PARISIENSIS

BALLONII

CURIETANI

GULIELMI

BALLONII,

MEDICI PARISIENSIS

CELEBERRIMI,

DE VIRGINUM

ET MULIERUM MORBIS

LIBER.

In quo multa ad mentem Hippocratis explicantur, quæ & ad cognoſcendum & ad medendum pertinebunt.

STUDIO, CURA ET DILIGENTIA

M. JACOBI THEVART

D. Medici Pariſienſis; in lucem iterum editus & ſcholiis aliquot locupletatus.

Prodit tertio emendatiſſimus, & Græcarum dictionum paſſim occurrentium interpretationibus inſigniter auctus.

APPROBATIO.

NOs ſubſignati Decanus & Doctores Medici in ſaluberrima Facultate Pariſienſi omnibus notum facimus, nos vidiſſe, & legiſſe accurate ac diligenter varia opuſcula GULIELMI BALLONII Doctoris Medici Pariſienſis, nimirum *De morbis Mulierum & Virginum*: *De Arthritide*, *Calculo & Urinarum hypoſtaſi*: *De Rheumatiſmo*, *& Pleuritide dorſali*, in quibus nihil quicquam Hippocratis aut Galeni doctrinæ contrarium aut repugnans deprehendimus, immo vero dignam, quæ a Medicinæ ſtudioſis excolatur, eruditionem contineri animadvertimus; ac proinde typis mandanda illa & Medicorum manibus aſſidue evolvenda eſſe cenſuimus. Die octava Julii 1643.

M. de la VIGNE Decanus
Facult. Med. Pariſ.

JOANNES DE BOURGES D. M. P.
M. GUIDO PATIN Scholarum Cenſor.

NOBI-

NOBILISSIMO CLARISSIMOQUE VIRO

DOMINO CLAUDIO SEGUYNO,

PARISIENSI MEDICO,

Professori Regio, Reginæ Archiatro, & in utroque Regis Consistorio Secretiori Consiliario,

JACOBUS THEVART,

Doctor Medicus Parisiensis,

S. P. D.

QUI prorsus cæcam esse fortunam pronuntiavit, quæ suas opes ad indignos semper conferat, nec umquam judicio quemquam mortalium eligat, is longe a vero mihi videtur aberrasse. Satis illa se prudentem exhibuit, & oculatam, quum te, Nobilissime Seguyne, *ad eum evexit Iatricæ dignitatis apicem, quem plerique sane ab ipsa fortuna in donum accepere, tu in præmium obtinuisti. Quis enim non debetur ei honos? quæ non dignitas Illustri Viro, qui præclaris majorum suorum (Nobilissimi præsertim Archiatri* Petri Seguyni *Medicorum Parisiensium Antiquioris, necnon Regiorum Professorum Decani) insistens vestigiis, quam habet a natura ingenii ἐυφυίαν ita semper excoluit, ut bonarum omnium artium, nedum medicæ quam honorifice juxta ac feliciter profitetur, evaserit peritissimus? qui eo nomine inter Professores Regios adscitus, reconditiora quæque medicinæ arcana, quoties illi per graviores curas licet, ex suggestu Regio aperit & enucleat mira sermonis ubertate, & elegantia, idque frequentissimo φιλιατρῶν concursu, & applausu? qui denique raram illam, quam suo sibi labore ac exercitatione ferme assidua comparavit, πολυμαθείαν, tam insigni probitate tantaque morum suavitate condit ac temperat, ut utra in eo alteri præcellat doctrina an virtus, φιλοπονία an comitas, non facile sit dijudicare.*

His nominibus tam præclaris, Spectatiſſime Seguyne, *omnium qui te norunt animos tibi conciliaſti. His Reginæ ipſi gratus adeo acceptuſque fuiſti, ut non alteri Auguſtiſſimæ valetudinis ſuæ curam commiſſam voluerit, teque unum eminenti illa Primarii ſui Medici dignitate honeſtaverit. Omnia hæc ac ſingula, quibus circumfulges ornamenta, dum ipſe tacitus apud me perpendo, non majus accedere poſſe putavi huicce* de Virginum & Mulierum morbis libro, *ejuſque Auctori* Ballonio *decus, quam ſi is in lucem ſub tuis felicibus auſpiciis emittatur, nec diffido, quæ tua eſt humanitas, ac ſingularis erga me benevolentia, quin ſis hoc meum conſilium boni conſulturus; præſertim quum eo in opere multa liceat obſervare ad Reginæ ipſius Chriſtianiſſimæ, adeoque & totius Imperii Gallici incolumitatem pertinentia, quippe pretioſo illo capite πολλῶν ἄλλων ἀνταξίῳ ſalutem ac felicitatem publicam contineri palam omnes profitentur & prædicant. Et revera ex quo generoſa hæc Heroina regni gubernacula moderatur quantam hujus Imperii hoſtes cladem acceperint, fidem faciunt ducenta & amplius ea vexilla quæ periſtromatis longe illuſtriora majoris hujus urbis templi fornices exornant; Regnicolæ vero quantis aucti augendique ſint commodis ac beneficiis, jam ſentiunt magnatum non pauci quos ipſa beneficentiſſima Princeps a vinculis aut longinquis e Provinciis evocatos priſtinæ libertati dignitatique reſtituit; ſentient &, Deo juvante, propediem univerſi, quorum ipſa votis annuens almæ pacis jacit fundamenta miſſis jam qui de ejus conditionibus ſtatuant viris probitate æque ac peritia Nobilitateque inſignibus. Faxit Deus Optimus Maximus ut hæc tam præclaris cœpta auſpiciis optatum ac felicem exitum conſequatur, Reginamque tot heroicis inclytam virtutibus, ac de Regno, ac bonis omnibus tam profuſe meritam diutiſſime nobis, totique orbi Chriſtiano per te*, digniſſime Archiater, *ſervet incolumem. Vale. Lutetiæ Pariſiorum* IV. *Calendis Auguſti Anno Domini M. DC. XLIII.*

GULIEL-

GULIELMUS BALLONIUS,

DOCTOR MEDICUS PARISIENSIS,

AD LECTOREM.

NE mirum ſit ſi hoc in opere varium ſcribendi genus ſecuti fuerimus: alias elatum, alias humile, medium temperatumque alias, uno circumſcripto minime contenti. Res a nobis ſuſcepta hujus varietatis occaſio fuit. Nam quum ſæpe ſcriptoris, ſæpe interpretis, aut in dirimenda auctorum controverſia honorarii arbitri partes teneamus, verborum eumdem alveum ſequi non fuit ſatis: immo nec potis fuit, præſertim nobis parum limatis & diſertis. Quod ſi etiam ſuavitatis leporiſque Attici non-nihil attigiſſemus, hoc vix ſcripta hæc noſtra condire ac temperare potuiſſemus: ac præſertim quum orationis curſus ſæpe ſiſtatur & intercipiatur, additione, detractione, ac obſcurarum dictionum explicatione. Quod ſi eumdem ſenſum teneremus, venuſtate fortaſſis aliqua orationem paullo aſperiorem ruſticitatiſque pleniorem ornaremus ac leniremus. Maxime vero in ſalebras iſtas adduxit Græca veterum oratio quæ latina faciunda fuit ac noſtro accommodanda inſtituto: in qua auctorum ſerviendum fuit ſententiæ, & linguæ proprietati. At omnes docti norunt quam ſit arduum, ut quæ in aliena peregrinaque lingua bene eleganterque dicta ſunt, eumdem decorem conſervent in alienam linguam translata. Immo D. Hieronymus ſæpe Tullium in græcis latinis faciundis luſiſſe tantum ſcribit, Atticumque leporem & gravitatem terſa ſua, rotunda, ac concinna oratione vix aſſecutum fuiſſe, quod illi neceſſario aliorum ſententiæ eſſet ſerviendum. Sic flumen illud aureum ac æquabile hominis oratorum principis, felicique illo ſæculo nati in quo Romanæ linguæ opes, ornamenta

ac divitiæ explicarentur, ac apertis fontibus emanarent, nonnullis ſcabris ac turbulentis obicibus eſt retardatum. Tunc enim, niſi auctorum verba juxta ac res immutare conſilium eſt, non ut ſolet libere fluit oratio, nec locos amœnos tam ſequitur, quam ſi pronum alveum dulceſque voluptates deligeret: contra in anguſtias aliquot cogenda eſt oratio. Ut vitio nobis verti non debeat, ſi promiſcuum dicendi genus ſequamur nos qui nulla parte conferri debemus cum illo oratorum lumine: cui tamen ſæpe curſus orationis fuit moderandus ac intercipiendus. Quod de affectato paullum ſcribendi genere queri quis poſſit, habet forte quod redarguat objiciatque: ſed nos data ſæpe opera ac de inſtituto in id vitii incidimus (ſi vitii nomen hic meretur) ut orationis noſtræ humilitas grandioribus verbis elevaretur. Quamquam ſcio id vitio non carere, & pleroſque in illud præcipites labi qui curioſam affectationem conſectantur, ut antiquitatem priſcumque aliquid oratio retinere videatur. Sed in affectatione iſta non latet priſca gravitas ac majeſtas. Præterea minus in amœnorum temperatorumque verborum delectu laboravimus, quod rem, non verba conſectemur. Non enim oratores ſed Medici ſumus, ſi modo Medici, quos tam ſedula de verbis cura non debet remorari. Vale.

IN

IN LIBRUM DE MORBIS VIRGINUM ET MULIERUM AD MENTEM HIPPOCRATIS CONSCRIPTUM ADMONITIO,

AUCTORE

GULIELMO BALLONIO

Doctore Medico Parisiensi.

QUI erecto animo res magnas inquirunt, nec earum sedula investigatione defatigantur, magnam in primis laudem ac commendationem demerentur: idque cum alias, tum quod nulla eos difficultas terruerit, nec quum feliciter cœpissent, ab instituto cursu exigua perficiundi spes revocarit. Turpis esset omnium judicio ea defatigatio, quum ea præsertim quæ tam graviter quæruntur, præstantissima sint, ac omnem omnium admirationem excitent atque aucupentur. Est enim in re magno immensoque labore undique conquisita quid excellens ac eximium quod nos levet ac recreet, quodque possit veluti nos titillans jucunditate quadam sensus allicere, & omnes ea de re susceptas molestias lenire ac temperare. Ita nimirum sive artes mechanicas lustrare velis, sive eas quæ diviniore quadam origine sese ostentantes ad humanitatem pertinent & politiores sunt, sive in vilibus hominum silvestrium operibus, ac muniis, denique quocumque animum cogitationemque converteris, incredibilis est ea voluptas qua perfunduntur homines, incredibile desiderium quo tenentur, quum vel fessi vel jam labore vigiliisque fracti portum tandem consequantur in quo resistant atque conquies-

quieſcant. Ecquis tam ſocors & ab humanitate alienus, quem quum laboris pigeat ob mollitiem, vigiliarum ob corporis gravitatem, conatus ob animi ignaviam, quæ omnem adeundi poteſtatem præripiat, auſit tamen nimium nimiumque ſibi ac rebus ſuis diffidens alienæ modum ſtatuere induſtriæ? inertiſſimum decet hominem cui ſtomachum facit delicatiſſimus is fructus, qui longe lateque fuſus ex laboribus emanavit. Suaviſſimæ enim ſunt illæ epulæ quas labor induſtriæ ſtimulus compararit, iis quippe defeſſus animus quaſi ſatiatus ſaturatuſque alacrior ac vegetior ad res magnas aggrediendas exſiſtit. Etſi enim omnes experiuntur ita comparatam eſſe hominum naturam ut tametſi bene meditati ad aliquid aggrediundum accedamus, tamen in ipſo curſu ante cogitationes noſtræ obruantur quam portum aliquem conſpiciant: nulla tamen rerum deſperatione territi omnia abjicere debemus: quin potius erigamus nos minuſque metuamus adverſos rerum exitus quam ſperemus ſecundos, alioqui omnia peſſum irent, nec ulla continuata eſſet rerum ſeries; immo ignaviam exciperet ſocordia, ſocordiam rerum omnium contemptio, hanc autem earum confuſio & ruina. Nec quicquam eximium eſſet cujus inventione atque adeptione homines, quorum bruta non eſt natura, ſed exquiſitioris cujuſdam ſenſus, animantibus ipſis ratione privatis antecellant, quibus tamen ſua eſt ars vernacula, ſua induſtria, motus ac impetus naturalis, ut ſæpe egregios hominum conatus, arte ingeniove fretos ac roboratos, ſua inerte induſtria ſuperare videantur. Quod eo in hominibus ipſis turpius exſiſteret, quibus a diis immortalibus tributa conceſſaque vis eſt animi, qua nil præſtabilius, nil antiquius cogitari poteſt. Nam etſi primo quaſi occurſu benignior naturæ favor in brutis animantibus videtur elucere: tamen hac una vi eximia, qua illuſtrantur homines, omnes eas dotes quas brutis illa largita eſt, facile ſuperant atque vincunt. Ut in acerbiſſimam omnium calumniam incurrere debere videantur, qui excellentem præſtantemque illam vim, qua Deos proxime referunt, ſinunt hebeſcere & debilitari: igniculos illos quos natura nobis inſevit, objecto quaſi rerum humanarum cœno, obrui ac præfocari; qui ſi adoleſcant, incredibilis

dibilis ardor ad res præclaras ac commendatione dignas exſiſtit. Is enim nobis juſtitiam ad unguem tenere dicetur, qui quas forte a natura dotes obtinuit, eas auget, illuſtrat ac exercet : ne delicati inertiſque hominis inſtar ſui muneris oblitus in ſumma rerum ignoratione ac inanitate verſari videatur. Eos autem brutis animantibus, quibus nulla rationis ſignificatio ineſt, multo inferiores eſſe nemo non judicat, qui ad Epicureorum cœtum ſeſe aggregantes ſatis ſecum actum putant ſi modo vivant nulla rerum meliorum ſpe allecti, nulla exſpectatione deliniti : quorum vox, oratio atque actio pecudum mihi eſſe videbitur, quum voluptati, cujus nonnulla tantum debet eſſe fruitio ac uſus, laſcivientique libidini totos ſe dedant, atque ita impetu belluino ferantur, ut non turpitudo ulla, non infelix eorum qui ita voluptuantur eventus & calamitas ab incepto retardarit. At eis in mentem venire debebat non temere uſum rationis præſtituto tempore homini conceſſum fuiſſe ac tributum, niſi poſt egregios conatus perpetuæ felicitatis ſpes eum maneret. Quod & Natura occulte quidem ſignificavit, quæ viſa ſit ipſis brutis magis faviſſe, ſed tamen nuditatem hominis feliciſſimo munere redemerit, & omnium bonorum tamquam apice compenſarit. Quod quum plerique male feriati homines non intelligerent, ſatis ſuo muneri ſuperque factum putarunt, ſi vim a natura tributam, cujuſcumque modi illa eſſet, exercerent. Et quum parum apti ad rem aliquam eſſent, vel animo ſaltem effingerent, immo dotibus aut corporis aut animi ab iis ſe ſuperari cognoſcerent quos in parvis habebant, animum deſpondentes in turpi otio delitere, quam honeſto negotio conquieſcere maluerunt. Quæ in primis deflenda eſt in hominibus calamitas, qui ita abjecto animo nullaque ſui ratione habita, quas natura impertiverat, dotes non coluerunt. Si eos ſaltem humana aliqua ratio adduxiſſet potius quam ferina & inanis cogitatio ab eo munere abduxiſſet, non ita illi eorumque nomen conculcatum traductumque fuiſſet, ut jam homines officium ſuum deſerere, & quicquid humani eſt a ſe procul pellere videantur. Omitto alios qui licet figuram hominis nomenque præ ſe ferant, homunciones tamen ſunt, & quum rebus ludicris operam dant,

falſa cæcaque opinione ducti operæ aliquod pretium facturos ſeſe arbitrantur: quos tam inani fuco deludi ita puerile eſt, ac eos hominis nomen arrogare: quod quum ſanctum auguſtumque ſit, in eos quadrare tantum videri debet, qui quæ ſunt hominis præclare exercent, virtutis amore ducuntur, quarum laudum gloriam adamant, quibus artibus illæ comparantur, in iis ſeſe exercent, minimas a natura datas dotes, eas augent, amplificant. Magnum eſt & in primis laude dignum eo uſque noſtram procedere induſtriam, ut ea labore noſtro conſequamur quorum memoria una cum ſatietate non evaneſcat. Sic enim foris domique ſapere, eſt & locuples argumentum nos ineuntis ætatis primam commendationem a virtute duxiſſe: nec corporis contagione obrutum animum, prima ſua munia perbelle defuncturum. Quod quum plerique ex iis qui ſapientiæ ſtudium amplexati ſunt reformidarent, & mole corporis, tamquam gravi pondere, animum deprimi peſſundarique cognoſcerent, eum a corpore ſevocari ſepararique poſſe ſubtilius comminiſcuntur. Quod commentum magnas ad ſapientiæ ſtudia excolenda tractandaque opportunitates attulit, quod oppido pauci relictis domeſticis negotiis & commodis, opumque facultate ſepoſita philoſophandi ſtudio ſeſe penitus abdidiſſent. Tantum potuit præterea ut præ ſtudio rerum præclararum nil ducerent optimum, quicquid forte contingeret abjicerent, immo animum, nexu indiſſolubili cum corpore conjunctum, ab hoc tamen ſeparārent. Et quum plerique ab otio & muſis averſi eſſent, poſtquam ſemel deguſtarunt, rerum omnium jacturam pati maluerunt quam tantiſper ab inſtituto ſemel curſu deflectere. Alii quum & opibus & honoribus florerent, umbratiles illas animorum contentiones & palæſtras, deſerto & honorum & ambitionis theatro, non modo non amarunt, ſed, & quoad fieri potuit, popoſcerunt. Quod in primis admirandum eſt tamquam ſummum aliquod bonum, quum tantum poſſit apud homines ut primo ſolum obtutu & objectu animos a ſe averſos alliciens, jucundoque ſenſu demulcens, in nos tacito quodam impetu influat, & omnes omnium rerum acerbitates temperet ac demulceat. Quo fit ut eis infelix aliquod ſidus illuxiſſe & inauſpicatum

aliquid

aliquid ſpiraſſe judicetur, quos non aliquando ejuſmodi blanditiæ pepulerint, ac divinæ illæ illecebræ incitarint. Exadverſum vero eorum melior limatiorque natura videri debet, qui ad meliorem frugem ſeſe recipere in animo habentes, ludicra multa averſantes ab inani ſtudio ad aliquod otium florens ac eximium animum ſuum traduxerunt. Alioqui nulla umquam eſſet rerum infelicium & moleſtiarum intercapedo, & omnibus ſus deque habitis, in rerum omni ubertate, ſumma paupertate ac penuria laboraretur. Quod eo dictum velim ut nemo credat ſatis eſſe homini vivere: magnum id quidem: ſed quod natura ſtatuit diſcrimen inter animantia, ut alia ratione careant, alia vero eadem inſtruantur, illud tenendum, ne ſi vel tantillum noſtro muneri deſimus, animantes brutæ de nobis tamquam victrices triumphent. Ventri enim obedire, emeritis ſtipendiis voluptati ſervire, de virtutis ſtatione diſcedere, otio abuti, noſtram ſinere languere induſtriam, nullo artium diſciplinarumve ſtudio tangi quæ omnem feritatem depulerunt, & ſilveſtres homines ad jus deſcendere coegerunt, vivere denique ut edamus, quid aliud quam ſe ad Epicureorum auctoritatem aggregare, quæ cœleſtem omnem vim ſuſtulit ac negavit? Quocirca ſi animus noſter ſe ipſe colligens futurum quoddam ſæculo auguratur, &, quaſi a corpore exſolvatur, cogitationum perpetua agitatione multa præſentit quæ nos ad ſpem aliquam erigant: inhumanum foret ſui ita omnem rationem abjicere ut tamquam nil præſagientes in perpetuis ignorantiæ tenebris, quod mortis inſtar eſt turpiſſimæ, deliteſcamus. Nulla ſic animi noſtri eſſet libertas, nullum ſolamen ad omnem deſperationem in conſilium noſtrum adhibere potius oporteret, quam ulla ſpe futuræ requietis oblectari. Neque hic, tametſi in diſciplinarum laudibus longe excurrat oratio, tanti litteras aut ſapientiæ ſtudium facio, ut ſine his vitam noſtram mortis imaginem (quod pleriſque placet) exiſtimem: ſed quum ex hominum genere alios aliter natos videam, hos ad artes aptos, alios ineptos, prout varia cujuſque ingenii vis ac ratio, operæ magnum pretium factum iri opinor, ſi omnes pro ſua quiſque virili & naturæ impetu, in ſuæ induſtriæ curriculo elaborent. Alios natura molles,

minutos, effeminatoſque effinxit quibus ineſt mira indoles, & ad artes ſuſcipiendas ingenitus ardor; alios ſucculentos, quadratos, quibus ad vilia munia potius conceſſa tributaque videtur aptitudo. Quorum enim felicitati ingenii natura proſpexit, in iis corporis contentionem firmitatemque neglexit. Qui ad mechanicas artes natura inſtructi ac comparati videntur, perbelle ſuo officio fungentur, ſi naturam ducem ſequentes vim ingenii eo conferant, ut in ea arte quam tractant primas ſi fieri poſſit teneant aut ſaltem ſecundas: ne ſi induſtriam paullum refrigeſcere ſinant, nec ſuis æqualibus palmam decidi gravate ferant, inertes ac ſine luce in ſordibus verſentur. Quibus vero divino veluti favore indultum eſt, ut ad humaniores politioreſque litteras, aut ſapientiæ ſtudium naſcerentur, illos natales, quum primum ætas adoleverit, proxime ſequi debet proba educatio, ardor ac ſtudium pertinax, ut admirabilis quædam ad earum incrementum progreſſio exſiſtat: ne ſi paullum ardor ille deferbuerit, divino illo munere privemur, quod excellentia ac dignitate omnia ea quæ rerum univerſitas ſuo ambitu complexuque cingit, vincere cernitur atque ſuperare. Ac miſerrimum foret eam quæ in parato eſt acquirendarum tantarum opum occaſionem ſinere elabi: quam urgere & ad ſuam conferre utilitatem æque glorioſum, ac oblatam negligere nefaſtum. Ego ne quam infamiæ notam noſtra oratio male feriatis hominibus inuſſit, eadem in noſtrum caput redundet, quantulum nobis natura largita eſt ingenium, id cenſuimus excolendum. Nec errore enim vacaret eorum philoſophorum exemplum imitari, qui quum in vita plurimum peccent, de virtute tamen egregia ac præclara tradant, ut nulla re oratio vitæ conſonet. In quod vitium ne præcipites laberemur, ad id conſilium & rationem direximus, ut iis dotibus incrementum daremus, quas primum a natura expreſſiſſemus. Et hercule fruſtra Natura in nos liberalitatem ſuam contuliſſet, niſi id quantulum animique eſt quod nobis inſitum rude & impolitum, terſum reddere, limare, ac perficere conaremur. Quæ omnia eo conſilio dicta non ſunt, ut de nobis aliquid efferamus, illa enim quæcumque injici mentio poteſt, omnis inutilis & inanis exſiſtit: ſed ut

aliquid

aliquid inſtituto noſtro accommodaremus, licuit præfationis occaſionem a capite arceſcere, quod fortaſſis nonnullis uſui foret. Aggredimur opus multarum vigiliarum, cujus & nomen & utilitas ſupprimetur. Nomen, quoniam prima quæ ſe offert inſcriptione apparebit: Utilitas vero, ne laus in ore proprio ſordeſcat: illa enim peculiare quippiam habet, quum talis eſſe ſoleat, qualis animus eſt eorum qui ex re quapiam eam utilitatem colligere & venari debent. Nil enim umquam eſt tam male terſum, tam illepidum ex quo non poſſit aliqua capi utilitas, ſi non is male affectus ſit qui eo operam ſuam confert. Quemadmodum rerum ipſo eventu teſtatum eſt nil eſſe tam elegans ingenio & arte excultum, nil tam limatum & politum, quod non inutile iis videri poſſit, qui eo nati ſunt animo ut omnia illis ſtomachum faciant: quod genus plerique eſſe ſolent a quibus jam aliquid exſpectamus, ut tanto æquius illorum vigiliæ a nobis judicentur, quanto iniquius aliorum labores ſcriptaque obſervare & arrodere ſolent. Humanum eſt peccare: inhumanum vero non æqui conſulere, immo traducere quæ alii magno labore compararint. Emendent, liment, errorem detegant, ſed interea evigilatis & ſcriptis fruantur.

AD

CLARISSIMUM THEVARTIUM

D. M. Parisiensem,

Excudi curantem librum typis
Doctissimi BALLONII avunculi,
De Virginum & Mulierum morbis,

EPIGRAMMA.

Dignius æterno quid nomine fecerit ille
BALLONIUS *Medici gloria prima chori;*
Virgineos curat dum morbos, dum studet Orbi
Effæto, aut scriptis sæcula longa replet?
Majus quid præstat Clarus Thevartius *Orbi,*
Virginibus, scriptis, artificique favens.

JOANNES BERAULT
D. M. Parisiensis.

Aliud

Difficiles morbos facili BALLONIUS *arte*
Pellit, & a sexu funus utroque fugat.
Mandari tenebris non debent scripta: quod auctor
Præstat, & id pariter nobile præstat opus.

M. CLAUDIUS LIENARD
D. M. Parisiensis.

IN

IN COMMENDATIONEM LIBRI

DE VIRGINUM ET MULIERUM MORBIS

M. GULIEL. DE BAILLOU,

CLARISSIMI MEDICI PARISIENSIS,
olim Decani, & Antiquioris Scholæ Magiſtri,

EPIGRAMMA.

QUi ſcribenda facit, ſcribitve legenda, meretur
Laudem, quam nuſquam fama latere ſinit.
Scripſit digna legi, vir prudens arte medendi,
Aureolos fuerant quæ meritura typos;
Sed dum femineo fugientem corpore vitam
Siſtit; id egregium eſt nobilis artis opus.
Gloria perpetuum eſt illi manſura per ævum,
Gloria ſed tanto digna labore redit.
Præmia ſi laudum phœbea quæris ab arte,
Hæc tibi Balloni *ſplendida ſcripta dabunt.*

IN COMMENDATIONEM EJUSDEM OPERIS,

In quo pallidi Virginum coloris curatio docte & luculenter explicatur.

Apoſtrophe in formam διαλογισμῦ.

MOrs fugito truculenta licet, ſed pallida; quare?
Pharmaca ſunt iſthic quæ tibi bella parant.

ALIUD

ALIUD EPIGRAMMA.

QUid non cæcus amor mortalia pectora coget,
Si ſummum in ſuperos jus habet ille Deos?
Mollia dum teneræ ferit arcu corda puellæ,
Succumbit telis præpetis ipſa Dei.
Illico pallentes inducit vulnere morbos,
Atque animum regia de ſtatione rapit.
Si legis Auctoris præclara volumina noſtri,
Invenies iſtis queis medeare malis.
Nonne Machaonios ſuperant medicamina ſuccos,
Sanant quæ ſævus vulnera fecit Amor?

JACOBUS THEVART D. M. P.

PRÆSTANTISSIMO VIRO

D. JOANNI BERNARDO ILLMER

TRANSYLVANO, M. D.

Cæſareæ Legationis in Moſcoviam Medico olim Ordinario.

ANTONIUS M. ZANINI VERONENSIS M. D.

benè agere & valere.

SIN votis erat, Johannes Bernarde præſtantiſſime, repetito litterarum commercio, te veluti præſentem alloqui; Teque poſt longinquas exantlatas peregrinationes, poſt multas Urbes, & homines viſos, & barbaras conſalutatas Nationes; Teque per Scythicas nives, & glacialem Oceanum prætervectum, tandem veluti in meum ſinum recipere, & ulnis totum circumdare. O portentum inſomniis ſimillimum, ò beatiſſima oberrantis phantaſiæ ludibria! tanquam novo facto principio adhuc totus hæres in medullis, adhuc veluti contubernales ſumus, & mutuis neceſſitudinis officiis inter nos certamus, & immenſam locorum diſtantiam ementitis colloquiis penſamus. Fortunæ reduci votivas tabulas ſuſpendo, immortaliter gaudeo, de tuo adventu dieſque nocteſque ſollicitus. Repullulat in animo veteris ſodalitii teneritudo, & mollities. Quam ſuave eſt pubeſcentis ætatis tyrocinia in memoriam revocare! quæ animo noſtro lenocinia magis delenifica occurrunt, quam incipientium ſtudiorum amœnitates recolligere, & retroacti temporis labores reminiſci! O Superi, quæ beatior interioris mentis ſpeculatio eſt! Dum Romæ, quàm lubens commemoro! arcana fatorum vi, initis amicitiæ primordiis, *jucundum cum ætas florida ver ageret*, in eodem conclavi convictores degebamus, parium ſtudiorum participes, vetuli, notique columbi, fraternis animis, ad omnia pene gemelli, annuentes pariter, & pariter negantes, ὁμόχροοι, concolores, invidioſum par, in oculis omnium eramus: profeſtis diebus toti in Medicis immergebamur, ſeverioribus Muſis ſacra operantes. Quàm crebræ feſtis diebus ad D. Athanaſii ædes profectiones! ſub Græcis, & operoſis magiſtris, & tantum non plagoſis orbiliis, devoratis Grammaticorum tædiis & enavigatis ſcopuloſis cautibus, in graviſſimorum Auctorum

rum ſtudiis detinebamur, & paulatim, & occultè rore illo imbuti, ſenſim, & ſenſim proficiebamus, & uſque ad felicitatis invidiam Hellada ſpirabamus. Heſiodi Ἔργα, καὶ ἡμέραι (a) pro penſo quotidiano erant. Ariſtophanis Nebulæ nos totos detinebant. Heliodori Æthiopica in delitiis erant. Philoctetes Sophoclis quam divinus erat! Prometheus Æſchyli in rupe religatus, ἀθρμίᾳ, horrori erat & voluptati. Atri Lycophronis Ἀλέξανδρα (b), & tenebræ in majeſtate erant. Accedebamus ad Mæonidem pavidi, illam immortalem naturam reveriti, cujus magnitudinem nonniſi magni capiunt nec plenè etiam ipſi. Alciphronis Epiſtolæ atticiſſimo melle delibutæ omnem animi amaritudinem abſtergebant. Multiplices & ſecundæ menſæ pro ludicro erant, & promulſide. Exacto triennio Romam extemplo deſerimus, ſocietatem abrumpimur, uterque ad invicem æternum valedicimus, in diverſa cogitamus. Tu per Tranſylvanos, Noricos, Batavos, Windelicos, Weſtphalos perpetuo evagaris, Ego ad patrios lares reverſus, ſed breviſſimè, trahentibus aſtris, Venetias, deinde ultrà maria accerſitus, *Supremo nutu* adhuc rudibus annis generalis Illyricorum Soſpitatoris titulo condecoratus, diuturno tempore immoratus, publicè merui. Sed heù heù univerſa tanquam fumus & umbra præterierunt. *Omnia miſcet omnipotens ætas.* Anni noſtri, ſicut aranea: truditur dies die, novæque pergunt interire Lunæ. χρόνος ἄφθογγος (c) ex Sophocle. O infelix mortalium genus, ut nihil ſumus, ſed umbris ſimiles. ὦ θνητῶν Ἀνδρῶν ταλαίπωρον γένος, ὡς οὐδὲν ἐσμὲν, πλὴν σκιαῖς ἐοικότες. Hac Sparta gloriosè apud Dalmatas impleta, Venetias regredior, urgentibus fatis, ibique trabalibus clavis affixus ſum; πολλὰς ex Luciano τριακάδας καὶ πολλὰς ὀλυμπιάδας ἀναπλήσας (d), Hygeæ, Panaceæ & Æſculapio noctu, & interdiu ſacrificans, nec ἄδοξος, nec ἀκεφδὴς (e). Sed amoto ludo, & nucibus relictis ſeria quæramus. Sic eſt, amiciſſime Illmer, plus oculis meis amabilis; O ſi caſus & fortuna nos iterum vel ad tempus breviſſimum aſſociarent, quot Aris ſoteria, & anathemata! Te abſentem video, & audio ὄναρ, καὶ ὕπαρ (f), vigilans, & ſopore conſepultus, notas videor audire & reddere voces, & dexteram dexteræ conjungere. Aſſem para, & fabellam accipe. Concubia nocte, dum altum dormirem Idolis per amicam quietem undequaque volitantibus, Johannes Bernarde, animo obverſabaris, in Hippocrate toti eramus, Hippocraticos nodos Tulliano ſtamine permiſcentes, amicè digladiantes, interdum rixoſi, & ἀσπονδοι (g), ut ferè contingit in φιλονεικία (h). Inſomnia inſomniis, larvis larvæ ſuperveniunt; tortuoſæ imagines miſeram mentem diſtorquebant. Hic mihi attento animo, amiciſſime Illmer, opus eſt. Lucianus φιλοψευδὴς (i) æneum Hippocratis ſimulacrum comminiſcitur, indignan-

(a) Opera & Dies.
(b) Alexandra ſive Caſſandra.
(c) Tempus ſine voce, ſine loquela.
(d) Multos ex Luciano menſes & annos implens.
(e) Inglorioſus, nec inlucroſus.
(f) Per ſomnium & per vigiliam.
(g) Irreconciliabiles.
(h) Amor victoriæ.
(i) Amans mendacium.

dignantis, calcitrantis, per cubiculum, extincta lucerna, tota nocte perambulantis, affabrè, & fuco illitis deliramentis, ut ſunt *temporaria Græcorum ingenia.* Similis hallucinatio à Phantaſmate Menandri non multum abludebat. Apprehenſo Phantaſmate curiosè ſenſibus impreſſo liberari non poteram, ut eram ab ejus lectione recentiſſimus. Apparebat mihi in ſomnis ſonorè ſtertenti Divinus Senex metallicè fabrefactus χαλκεῦς (*k*), cubitali magnitudine, caput pileo obvelatus, ritu gabino præcinctus ut graphicè depingitur ab illo lepidiſſimo fabulatore. Περιὼν τὴν οἰκείαν ἐν κύκλῳ, φορῶν, καὶ τὰς πυξίδας ἀνατρέπων, καὶ τὰ φάρμακα συγχέων, καὶ τὴν θύραν παρατρέπων, ὅσον πυχυαῖος τὸ μέγεθος, totam domum in orbem ambiens, pedibus terram percutiens, pharmaca commiſcens, indignabundus ἀγανακτῶν (*l*), & deſpumans. Conceptæ iracundiæ cauſas rimatus, quamvis ſopore conſepultus, quærebam, immò divinabam. Conjecturæ Luciani improbabiles, & nullo fundamento videbantur, & animo meo non ſatisfaciebant. Nonne, mihi regerebam, Viri ſapientiſſimi ſunt ἀνόργητοι, καὶ ἄχολοι, iniraſcibiles, & ſine felle? Summa luce experrectus nondum caligine abſterſis oculis, totus eram in Hippocratici ſpectri illuſione, cum ecce Tabellarius ocreatus, oculis cæruleis, facie prærubra, hirſutis ſuperciliis horridior, ex nimio curſu ſuſpirioſus, inceſſanter fores percutit, & prægrandes codicillos affert tua manu exaratos. Avidè devoro, quidquid atramento impreſſeras, nihil non jucundè, omnia feſtivè, omnia graviter, omnia amicè. Statim oculos injicio in calcem epiſtolæ, ſoles enim propè finem quidpiam Hippocraticum mihi examinandum afferre, tamquam apophoretum, pro more flagitas, & expoſcis ut liberem ab infamia, & impoſtura Hippocratem inuſta à Galeno, cui tota poſteritas ſubſcribit, ſcientiam pulſuum ipſum neglexiſſe, vel omninò ignoraſſe; Hippocrati irato ſacrificium faciundum, Hippocraticos Manes ἀπολογημένως (*m*) placandos; plus nocituram humano generi iram Hippocratis, quam toti Græciæ indignationem Achillis. Tunc ſeriò intelligo ſolutum inſomnium nocturnum, meditabundus, mentum ſiniſtra ſuffulciens. Pauciſſimorum verborum periocham pro Œdipo fuiſſe. Quàm ſunt divini ex Syneſio obdormientium animi! O Deorum delubra, ô Æther, ô Immortalitas, ô Anima futurorum prædivinatrix! Quæ dormiens ſomniaveram, vigilans inſperato reperio. Ad opus me accingo, memoriam medullitus exhaurio, & cenſuræ tuæ ſubjicio; tua enim epiſtola, præſtantiſſime Illmer, me ruri oppreſſit, quo receſſeram animi recreandi & lubricæ valetudinis recuperandæ gratia. Boni conſule quidquid chartis illevero, nullis adjutus præſidiis. Temerè, confuſim, inordinatè ſimulacra objectorum latent, quæ imperante anima erumpunt, tanquam ſcintillæ ignis ex ſilice excuſſæ. Tectam, ſartam tot ſæculorum famam immortalis Senis tueamur. Sed jam in arenam deſcendo. Huc adeſte Myrmillones, Samnites, Retiarii; collatis ſignis in arma prorumpamus. Res eſt miraculo ſimilis tot loca de

 pulſi-

(*k*) Æneus.
(*l*) Iraſcens, ſuccenſens.
(*m*) Apologeticè.

pulſibus in Hippocrate conſpicua Galenum præteriiſſe : dedita opera ſapientiſſimum Senem inſcitiæ inſimulare voluiſſe. Maligna natura apertè calumniatur πονηρὰ φύσις ἀπαρακαλύπτως πονηρέυεται. Tantæne cæleſtibus animis inteſtina odia, & ſimultates ! A ſphygmica arte deſtitutus Medicus in cadaver tranſit. Hippocrates mutilus, detruncatus, pulſu inermis accedebat ad ægros curandos? Credat Judæus Apella, non ego. Quid turpius, quid iniquius, quam quod eſt in arte præſtantiſſimum, ab ipſo auferre, & in profundam ignorantiæ abyſſum τὸν ἥρωα (*n*), ultra anni Soliſque vias ἀναφερόμενον, παντυπέρτατον, θεοῖς ἀτάλαντον (*o*), cujuſdam æternæ ſubſtantiæ ſimulacrum, præcipitanter detrudere? Invulnerabiles ſunt Deorum filii : Ἄνρωτοι τῶν θεῶν παῖδες. In Divos ſunt irrita tela. Quid ſacerrimo capiti oblatramus? Hippocrates in Pulſibus, quod eſt majeſtate dignum, & à vulgo alienum, & praxi quotidiana obvium notabat ; Galenus ἀνὴρ ἀλαζὼν, καὶ δίκαια, κἀσθκα (*p*), animal gloriæ, δοξομανὴς (*q*), inaniis, atque araneis oppletus, futiles verborum copias fundebat, & caudam popello jactabat. Credo, inquit Montanus in Conſiliis, Galenum dum iſta ſcriberet & differentias pulſuum ad minima divideret, riſiſſe. Habuit neſcio quid Græci ; Quid profuit, in medium prodire, ex Cardano, tam vaſtis tabulis? Ut mentes imperitorum irretirentur. Galenus, ex Scaligero, longè avidiſſimus carpendi ſe meliores. Sed tantorum Virorum judicia de tanto Viro ſunt cum quadam religione recipienda. Habuit beatiſſimum illud judicium in ſuis ſcriptis, grande aliquod, quod pulmo animæ prælargus anhelet : Sed ſolum indignamur, quod tam ſapiens, tam egregiè cordatus Vir in humani generis Præceptorem malignè inſurrexerit, ut ſibi majus immortalitatis theatrum aperiret apud credulam poſteritatem. Progenies viperarum ἐχιδνῶν γενήματα ſumus, quotquot homines ſumus, maledicimus, & maledicimur, *cædimus*, *inque vicem præbemus crura ſagittis*, *vivitur hoc pacto*. Homo ex Platone *de Legibus* eſt θρέμμα δύσκολον, *Animal dyſcolon*. Latramus in dextero, & ſiniſtro itinere, tamquam canes, *ex Ænea Sylvio*, detrahimus, proculcamus parcentes nemini, neminem reveriti. O ſæcula, ô mores! Hippocrates ἄσφυκτος (*r*)! malignus eſt, & omnibus Diris execrabilis qui talia obloquatur, & obganniat. Ecce quot in locis *lux Mortalium* τῶν Μερόπων φόος divinus Senex à Galeno immeritiſſimè ἐλέγχεται (*s*). Miſeret me, atque pudet tàm fœdæ ſugillationis. Fuit peſtiferè familiaris etiam antiquis Patribus κατάκρισις καὶ καταγλωττισμὸς, maledictio, & detractio. » Hippocrates ſcien-
» tiam Pulſuum non attigit. *De præcognitione ad Poſthumum* : Hippocra-
» tes de pulſibus nihil dixit. 1. *de Differ. Pulſ.* Hippocrates ſigna ex
» Pulſibus petita, vel quia ignoravit, vel quia non magni momenti exi-
» ſtimavit, idcircò non eſt executus. 3. *de Criſib.* Hippocrates notitiam

» Pulſus,

(*n*) Heroem.

(*o*) In altum ſublatum, æthera, ſupervolitantem, ſublimiſſimum, Diis ſimillimum.

(*p*) Vir arrogans & per fas & nefas.

(*q*) Amore gloriæ inſaniens.

(*r*) Sine pulſuum doctrina & exercitatione.

(*s*) Reprehenditur.

» Pulſus, vel non habuit, vel certè non exercuit. 1. *de Humorib.* Eſtne Hippocrates inauditus ἀκατάκριτος, καταγνωστὸς (*t*), nigris ſuffragiis damnandus? Accuſator tàm manifeſtus ſibi contradicit. Hippocrates primus omnium motum arteriarum Pulſum nominavit. 1. *de Differ. Pulſ.* » Hip» pocrates omnium bonorum auctor, primus Pulſus nomenclator. *de Anim. morib. & corpor. temperat.* Nonne eſt in jus demiſſa cervice, & auriculis trahendus talis διπλόος (*u*) obloquutor tamquam δίψυχος bianimis, & δίγλωττος bilinguis? Vetuſtiſſimi omnes vocabant arteriarum motum, palpitationem, percuſſionem, ictum. Pulſus nomine donabantur inſignes inflammationes, motus quilibet irregularis, tanquam malleus ab incude reſilians. Solum arteriæ tam lege naturæ, quàm extra legem motitantes nondùm in Pulſus onomatopœiam tranſierant. Hippocrates fuit tanti nominis ὀνοματοποιὸς faber, & architectus, primipilus arterias tangentium Magiſter, promulgator, humani generis promus, & condus, Αὐτοκράτωρ (*x*), principium, & finis, primus Numiſmatis percuſſor σφυγμὸν Pulſum procudit, attonitis omnium ſæculorum ætatibus. Auſpicatò defenditur qui ab ipſis hoſtibus veritatem extorquet, ſed factorum teſtimoniis ſuffulti, caſſa præſidia quid quærimus? Ipſum audiamus.

Lethargici, intremiſcentes manibus, ſomnolenti, malè colorati, tumidi σφυγμοῖσι ῥωθρώδεσι pulſu tardo ſunt; *& partes ſub oculis elevatas habent, & ſudores ſuperveniunt, & alvis bilioſis, & intemperatis ſubtument.* Hippoc. in Coac.

Hippocrates deſcribit *Pulſus* lethargicorum, tardos, pigros, inertes; nequeunt enim arteriæ ſe ſe attollere, ſuccis craſſioribus, obſtruentibus vaſorum oſcilla. Pulſus, ex Aretæo, inertes, frigori ſimiles. Pulſus quaſi impeditus, & quadam intro vergente gravitate onuſtus, repreſſus, & demerſus. Pulſus graves vocabat Archigenes, quam nomenclaturam irridet Galenus, & ad trutinam expendit, & ſtateram, exſibilat, & riſu traducit. Parietes cordis tardius ad ſe ſe accedunt; ad quos exantlandos tota machina concutitur.

Quibus anginoſis διὰ σφοδρότητος σφυγμοῦ præ vehementia pulſus *ſtercus per alvum ſecedit lethale eſt.* Hippoc. in Coac.

Nihil lethalius in anginoſis, quàm elevatio vehemens arteriarum quæ ſpaſmodica eſt; ex irritamento magna eſt, & inſignis. Generaliter preſſura pejorante *ex Cæl. Aurel.* omnia deterius roborantur. Pulſus, qui pejorando fit major: Pulſus erectus, non fortitudinis gratia, ſed paſſionis malitia: Irrationabile robur, & fortitudo. Ex nimia motus, & humorum propulſione, & ſtrictura anginoſi, vel ſuffocantur, vel in ſideration-em tranſeunt, & ex inopinato extinguuntur, adſtantibus nihil tale cogitantibus. Accerſitus fueram olim ad conſilium pro quodam anginoſo, cui arteriæ adeò percutiebant, ut exilire viderentur: nimio ſudore totus inundabatur, & alvus largè dejiciebat, cum tanta urinarum copia, ut

(*t*) Injudicatus, damnandus.
(*u*) Duplex & animi infidi.
(*x*) Dux & Imperator.

ſyntectìcè colliquaretur. Prædixi audacter, & confidenter proximum occaſum, qui poſt quatuor horas ſucceſſit, attonitis aſſidentibus Medicis qui fauſta omnia ominabantur, decepti à violentis naturæ motibus, & ab arteriis falſo vigore motitantibus. Spirituoſi, exſudantes, dejicientes, in oculis moriuntur quaſi fulmine percuſſi. Ictus ſanguinis eſt theoplexiæ horrendiſſima ſpecies *ex Ruſo Epheſio in Fragment.*

In principio tenues, Pulſus tenues, σφυγμοῖ λεπτοῖ, *urinæ tenues, ad judicationem exacerbantur; nihil mirum ſi vigiliæ, & mentis emotio accedunt.* Hippoc. in Coac.

Videtur Hippocrates per *Pulſus tenues* Pulſus ſanorum ſimiles deſignare in acutis, penè nullo manifeſto calore febrili, nulla conſpicua ebullitione humorum. Philiſtes 1. *Epidem.* die tertia mane, & veſpere videbatur a febre liber eſſe; ſexta die circa meridiem obiit. Eraſinus 1. *Epidem.* quinta die quietus erat, & tranquillus, ſexta die ſub Solis occaſum defunctus eſt. Ita blanditur hoſtis infeſtiſſimus, & clàm jugulum petit. In mortem inopinatam degenerat ſimulata bonitas Pulſus ex ſagaciſſimo Theodoro Angelutio de Febre maligna. Præ ceteris moriebantur 3. *de Præſag. ex Pulſib.* qui habebant Pulſus, qui parum, vel nihil de natura deflexiſſent. *Rhaſis de Curis mirabilib.* refert, quod ſuo tempore graſſabatur febris initio mitis, ſexta verò die in tantam feritatem noctu convertebatur, tanquam ſi merum venenum devoratum fuiſſet: veluti toxico epoto ægri occultiſſimè necabantur; *Infirmus ſine caſibus moritur*, inquit Ebenſyna; ἀσύμπτωτος (*y*) *ex Hippoc.* 1. *de Humor.*

Annis proximè elapſis Venetiis Generoſus Adoleſcens μονογενὴς (*z*), dimidium animæ ſuorum progenitorum, præſidium, & fulcimentum collabentis Familiæ, corripitur febre furtivè maligna, & inſidioſiſſimè mortali, nullis ſtipata accidentibus, niſi quod noctu, & interdiu pervigil eſſet; ſexta die inquietus, implacidus, nauſeabundus, leviter delirus; ſeptima die non ſine artis infamia, nullis ſacris precibus expiatus, inopinatò expirat. *Si gracilem* λεπτὸν *exiſtentem febris urat, ſignum eſt quod non propter corporis tumorem febris occupat.* Ex Hippocrate *de Locis in Hom.* Pulſus λεπτοὶ, Æger λεπτὸς, urinæ λεπταί. Hippocratis ſacerrimas voces ignoramus; & ad illum Solem cæcutimus. Fernelius *de Abdit. morb. cauſis* in hujuſmodi febribus τὸ θεῖον (*a*) accuſat, nullis putredinis vulgaris notis aut indiciis, ineffabili, & arcana virulentia. Quidpiam nec nomine, nec verbo expreſſum, tanquam in interiori domo morbus coquitur.

» *Si verò ex partu fuerit purgata, venter intumeſcit, & ſplen, & crura,*
» *febris habet, rigor corripit, dolores proſiliunt ad lumbos, & interdum ad*
» *viſcera:* σφυγμοὶ βλιχροὶ, δὲ ὅτε ὀξέες, ἄλλοτε ἀειρόμενοι, ἄλλοτε ἐλλείποντες,
» *Pulſus* debiles ſunt, & aliquando acuti, & alias attolluntur, alias de-
» ficiunt. *Hæc patitur initio morbi, & ſic habet.* 1. *de Morb. Mul.* 63.

Nihil frequentiùs obſervamus in enixis malignè decumbentibus quam tales

(*y*) Nullo accidentium ſatellitio ſtipatus.

(*z*) Unigenitus.

(*a*) Divinum.

tales pulſuum ataxias, ex pari magiſterio naturæ in morbum, & morbi in naturam, quæ modo vincit, modo vincitur. Pulſus debilis, mox vehemens, creber, mox tardus, modo concitatus, modo remiſſus. Tanta in malignis introducitur inæqualitas, ut Fernelius in genere deſcribit Pulſus malignarum febrium, quæ ex eſſentia tales ſunt. In Puerperis infinita varietas acutorum. Puerperæ Diis ſacræ, ob frequentia funera Deorum auxilia proclamantes. Nihil magis infidum, nihil peſtilentius genus putredinis; inexplicabiles ſuccorum mixturæ prædominantur. Dum res in tuto eſſe videntur, nonnullæ derepentè animam exhalant, præſertim ſi initio quidpiam latuerit, ut alvi profluvium incoctile, graveolens, ſanioſum, & extrema laſſitudo aſſocietur, & dolor catoco modo viſceribus inſederit. Tales expirant, *latenter*, *& colloquentes*. Dum Jaderæ in Illyricis medicinam facerem, nobiliſſima Matrona Comitiſſa Laziſia Veronenſis xxv. annorum, quæ enupſerat nobili Centurioni ſub Venetis vexillis merenti, ex partu fæmellæ, mortiferè jacebat. Inveni ſexta morbi die maligno algore totam perfrigeratam, cum peſtifero alvi profluvio, & Pulſuum proteiformi inæqualitate. Præceps cubiculo me proripui, totus horrore concuſſus, cum infallibili mortis prognoſtico, quæ in ſequentem noctem ſequuta eſt, reclamantibus Domeſticis confiſis externa nobiliſſimæ fœminæ alacritate, lenocinante floridiſſima ætate, & fugaci accidentium remiſſione. *Hujuſmodi remiſſiones citò occidunt ex* Hippocrate in Coac. *Si alvus non ſiſtatur derepente moritur.* Hippoc. de Morb. Mulier.

Theodori uxori in febre vehementi ſanguinis eruptio facta eſt hyeme; *obortus eſt dolor vehemens circa pectus*, *& fomento ad latus dexterum adhibito remiſerunt quidem dolores. Quarta die ſpiritus denſior*, *arteria vix reſpirans ſubſibilabat*; *& ſupina difficulter ſe movere poterat*; *ad noctem febris acutior*, *& delirium breve fiebat*, *ſudor circa frontem diffundebatur*, *primum modicus*, *deinde per totum corpus*, *ac pedes*; *poſtea videbantur ipſi Febres remiſiſſe. Erat autem* πρὸς χεῖρα ψυχρότερον τὸ σῶμα ταῖς ἀρτηρίαις ad manum corpus frigidius arteriarum: *exiliebat*, *vociferabatur*, *manus cryſtallinæ*, *ſpiritus multus*, *manus tremulæ fiebant ſub mortem*, *convulſæ. Septima die mortua eſt.* 7. Epidem. xv.

Uxor Theodori obiit Pleuritico-pneumonica ſeptima die. Pulſus *frigori ſimiles*, *pigri*, *inertes*, *veluti infebrientes*, *compreſſis ad latera arteriis.* Quod de conglobatione ſecernitur, graviſſimum, & frigidiſſimum exiſtit. 4. *de Morbis*; congelatur latus, & venæ circa ipſum. Exemplum lethaliſſimæ Pleuritidis, & gangrænoſæ inflammationis. Ægri tranquilli fiunt, & moriuntur. Conſulendi Lipſienſes Rhapſodi de ſuavi morte ex latere ſphacelato. Εὐθανασία (*b*), & beata moriendi neceſſitas profanis Medicis ignota eſt, qui ex fallacibus arteriis feliciter hariolantur.

Fluit ſubluteum, *veluti ex ovo*, *& viſcoſum*, *& in venter intus intumeſcit*, *ac durus ſit*, *& ſi contingas*, *dolet*, *& dentibus ſtridet*, *& febris occupat*, *& dolor ad pudenda irruit*, *& ad lumbos*, *animi deliquia*, *anxietas*, *& perfrigeratio*, *& ſudor multus*: Σφυγμοὶ πρὸς χεῖρα σφαίροντες, βλωχροὶ, ἀλλεί-

(*b*) Facilis & felix mors.

ἐλλείποντες ; Pullus ad manum celeres, debiles, deficientes, & ſtatim pereunt. 2. *de Morb. Mul.* 13.

Uteri ipſi corrumpuntur; perpetua adeſt, & indeſinens excretio materiæ, morticinæ, graveolentis, & execrabilis fœtoris, tanquàm ex cloaca, & maris lacuna ſulphurea mephitis exhalat. Statim venæ concidunt ex Celſo, ſpiritus vitæ corruit, & omnia corruunt. Febricitare leviter videntur, & inconſpicui. Inſpiciendus Jacobus Primeroſius *de Febribus tepidis ex occulta viſcerum gangræna.*

Balis Filius, cum in monte multum aberraſſet, ſexta die lingua ſubrubra, oculi colorati, pleni, veluti dormientium. Color reliqui corporis non valdè ictericus, ſed ſubpallidus, lividus. Vox prava, lingua obſcura, peripneumonica, non prudens. Spiritus ad manum malus, neque denſus, neque magnus : πνεῦμα πρὸς χεῖρα πονηρὸν, οὔ πυκνὸν, οὐδὲ μέγα. *Pedes frigidi, lapidoſi. Circa nonam mortuus eſt. 7. Epidem.* 12.

Johannes Heurnius *in Inſtitutionib. Medic.* docet *ſpiritum ad manum* Hippocratis, eſſe *Pulſum.* Quid enim aliud ſpiritus ad manum? *Neque denſus, neque magnus*, nempè inſidiosè παλίμβολος, palimbolus, ſanorum ſimilis, qualem obſervat in doloſis febribus interficientibus quotidiana praxis; Salius, & Fracaſtorius, in petechialibus febribus populariter Veronæ graſſantibus.

Vides, Johannes Bernarde præſtantiſſime, quam ampliſſima meſſis ad Pulſuum cognitionem, ex Hippocratis Commentariis collecta luxuriet ὑλομανῆ ! Ex pleno horreo, non demenſum, ſed ſatietas occurrit. Largiori manu ſementem ſine raſtris, & aratro ſpargamus. Inculta, & inarata Tellus interdum magnam gratiam habet. Αὐτοπρόσωπος, & ſua nativa facie, nullo purpuriſſo, & fuco illitus Hippocrates inſpiciatur.

Qui ventrem, ac venas contrectavit, minus falli poteſt, quàm qui non contrectarit. 2. Prorrh. 5. *Zoili Fabri Pulſus, tremuli, tardi.* 4. Epidem. 12. *In acutiſſimis febribus Pulſus denſiſſimi, ac maximi.* 4. Epidem. 9. *Venarum Pulſus, ac reſpirationis conſonantia, diſſonantia, & morbi, & ſanitatis ſigna, & morbi magis quam ſanitatis, ſanitatis magis quam morbi.* De Alim. *Cui venæ in cubito pulſarint, furioſus & iracundus efficitur, ſi verò quieverint, ſtupidus.* 2. Epidem. 5. *Ad manum torpidi, obaridi, non ſitientes.* in Coac. *Phrenitici habent febres ad manum non adurentes.* in Coac. *Qui ad manum exiliunt, malo ſuo loco.* in Coac. *Calor extrinſecus non valdè fortis, Venæ Temporum non admodum ſaliebant.* In Epidem.

Sed manum de tabula, ne me Criſpini ſcrinia lippi compilaſſe putes. Si tempus ſupererit, & redux in urbem in muſæum me condam, Bibliothecam excutiam, blattas, & tineas everram, & expurgabo. Videor, Amiciſſime Illmer, pro tempore voluntati tuæ obſecundaſſe, & officium meum impleſſe, ſaltem tumultuaria opera, ac rudi præexercitatione : ut Μονόγραμμοι (*c*), lineas tantum adumbrant ad futuri operis complementum : nec otium ſuppetit, nec loci opportunitas, majora extendere, aut prætexere : homini precariò reminiſcenti, & ruſticanti veniam impartire. Sed nondum

(*c*) Pictores lineares.

nondum acquieſcis, immo novam neceſſitatem imponis; coronidem, ἐπίμετρον (*d*) ſuperaddis. Quid ſit πνεῦμα θολερὸν, *Spiritus turbidus* Hippocratis explicare me jubes. Impoſſibile me paucis expedire. Expetis ſuperpondium majus ſtatera, & auctarium majus ſua mole; Ut Trapezita lucripeta exigis æs ſolvendum, & ſolventem veluti adhuc obæratum, non dimittis.

Pluribus in locis Hippocrates mentionem facit de *Spiritu turbido*; *in Prorrhet.*, *in Coac.*, *de Humorib.*; ſed nemo adhuc aſſequutus eſt vivi vocabuli energiam: deſperatio eſt intelligendi mentem magiſtri. Quid non comminiſcitur Tulpius? Hollerius, Deſiderius Jacotius, Duretus, Martianus, Horſtius; in hoc ſaxo fecere ruinas, & graviter lapſi magno ibi caſu cecidere. Averruncis Diis ſacra faciamus, ut tantam caliginem ab oculis avertant. Divinis, & Hariolis opus eſt, qui arcanæ lexeos canones in ſua principia redigant. Μέγα πνεῦμα, καὶ διαῤῥηγμένον interpretari, eſſet miſerabile verborum aucupium. Quis ferat θολβρὸς explicare *magniſpiros*, *& ampliter ſpirantes*! Latinis auribus non malè ſonat Spiritus turbidus, tanquam reſpiratio anomala, inæqualis, turbulenta; ſed *Spiritus turbidus* Græcorum, non eſt *Spiritus turbidus* Latinorum. Millies damnavit Hippocrates reſpirationem inæqualem; ſed θολὸς afficere humores poteſt, ſpiritum non poteſt. Alterius ſubſellii vox eſt. Grande aliquod latet ſub tenui imagine, & Poſteris dignum. Verba Hippocratis, ex Opſopœo, ſunt grana ſinapeos, quæ ſi excolantur, ex minimo ſemine, excreſcunt in arborem proceram, & excelſam. Quis hanc monſtroſam ſyntaxin uſurpet? πνεῦμα θολοῦται, καὶ παχύνεται? Reſpiratio conſpurcatur, & craſſior redditur. θολὸς eſt cœnum, lutum, amurca, atramentum ſepiæ. Fit nigra reſpiratio, & ſucco loliginis aſſimilis, ærugo mera! Horrenda catachreſis, & portento ſimilis. Atticiſſimus Hippocrates nunquam ſic loquutus fuiſſet. *Quid ſit Spiritus turbidus ignotum eſt*, fatetur Galenus 1. *de Humorib.*, *& revera nemo ſic loquitur*. Ignoſcant Interpretes, quotquot ſunt, ſi impudens, & audax mihi temperare non poſſum. *Antigrapha* ex Euſtathio non debent pati violentiam. Δύσφυσις (*e*) nugarum tandem erumpit. Tam grandis ἀκυρολογία (*f*) nimis oneroſa eſt. Suſpicor *mendum* irrepſiſſe etiam in antiquiſſimis exemplaribus, vitio illorum, qui a manibus ſunt, & Chalcographorum, ut pro Δολερὸν, πνεῦμα θολερὸν intercurriſſe, ut ſit reſpiratio fallax, doloſa, deceptoria, Δολερά, qua Imperiti confiſi miſerè hallucinantur. Spiritus θολερὸς manifeſtò σολοικοφανεῖ. Sed occalluit vetuſtiſſima ſcriptio, & antiquitate defenditur. Facilis lapſus in unius elementi tranſmutatione. Frequens hypallage in exſcribendo, & litterarum ſubverſio. Nullo præeunte primus errorem notavi, & quantulumcumque verbulum ad incrementum medicæ praxeos promulgo. Qui ſibi fidit, Dux regit examen. Fallax reſpiratio eſt de apicibus artis ad præſagiendum in acutis. Talis pſeudoreſpiratio Δολομήχανος Δολοφονεῖ (*g*)

(*d*) Appendicem.
(*e*) Natura perverſa, inepta.
(*f*) Habet ſpeciem ſolœciſmi.
(*g*) Dolos machinatur, per dolum interficit.

occulti interitus fuit machinatrix, cum Medicorum opprobrio, & dedecore. O quantum immensum noctis, & tenebrarum! Quidam insignissimus Eques, elapsis annis, laticlavius, ex dignitate Ἐπιτροπος (*h*) propè septuagenarius, mortiferè pulmoniacus, sexta sui morbi die decumbebat: omnia sæva aderant, præter anhelitum, qui intuentibus facilis videbatur. Aberat profectò πρόχειρος (*i*) dyspnæa. Accersiti artis Proceres omnia fausta augurantur: nihil metuendum esse in tanta spiritus tranquillitate. Εὔπνοος, & facile spirans magnum habet ad salutem momentum: nemo moritur, cui respiratio inoffenso cursu procedit; insperatò tertia sequentis noctis hora expirat, Divinis destitutus, quasi fatali ictu percussus. Tota domus ululatu, & vociferationibus perstrepit; adstantes attoniti, & collacrymantes, Æsculapidum Mystæ stupidi, quærentes, & divinantes, arti suæ maledicentes. *Spiritus turbidus* sub naturalis respirationis larva turpiter, & miserabiliter omnes decepit. *Spiritus turbidus* lapis lydius. Hoc auspice morbi sub vulpe latentes neminem fefellerunt. *Spiritus turbidus* est cynosura Navigantium, & Hippocraticæ Domus privatum latifundium. Respirationis simulata bonitas, detracta persona, neminit imponit.

Dignoscitur fallax respiratio, ex levi, & inconspicua dyspnæa. Levis anxietas, levis non est. Videntur Ægri interdum nihil respirare, ut in apnæa contingit, & in hystericis suffocationibus. In pulmonia lethali pulmo veluti immobilis, & sideratus, rectispirus, dolosè quiescit. Nihil magis detegit dolum respirationis, quàm pinnæ narium, quæ si motitarint inæqualiter, & distorqueantur, quidpiam in pulmone præsignant: nares sequuntur vel occultissimum pulmonis impetum. Immobilitas oculorum, vel difficultas motus ex C. Aureliano; brachiorum stupor & exporrectio ἄλογος (*k*), venarum colli repletio, pervigiles sunt, & pauciloqui ὀλιγορρήμονες; nisi interrogati non respondent; pulmo furtivè exardescit, vel levissimas lodices abjiciunt, tunicam corpori adjacentem non sustinent: nonnulli progressu dierum fiunt manifestò anhelosi, & fit spiritus πρόχειρος, ut ne coqui quidem ignorent. Quæ metaptosis respirationis exitialis est, & nullis redintegrabilis remediis. *Spiritus sexta, vel septima die advenit in mortifera pulmonia.* De locis in Hom.

Conqueruntur nonnulli de quadam angustia arcana in cartilagine ensiformi, ut videantur zona præcincti. In causa sunt illi nexus per quos pulmo spinæ devincitur, & zyphoidi cartilagini. *Fiunt veluti cardialgici, & exsudant. Anxietatem in Hypochondrio sentientes malo sunt loco. In Coac.*

Quæ omnia floccifaciunt Pragmatici vulgo dicti, non sine adstantium indignatione, & nemesi. De Pulsuum fallacia, & urinarum Lippi, & Tonsores in malignis decertant; de fallacia respirationis nemo, hercule, nemo. Quas Deorum iras esse dicemus: nullus scriptorum posteritati mandavit,

(*h*) Procurator.
(*i*) Prompta & conspicua.
(*k*) Irrationalis.

davit, nemo detexit technas reſpirantium. *Pulmo habitualitatis, & deceptionis Princeps*, ex Opſopœo in Prorrhet.

Pejor eſt in acutis fallax reſpiratio, quam ſublimis, interciſa, intercepta, & offendens. Vidi nonnullos ſubito fato periiſſe: *ſubdola cum placidi ridet Pellacia Ponti.* Declarat Spiritum turbidum dyſphoria, & implaciditas ſudores leves maximè circa caput, urinarum peſſimus ſtatus; quæ omnia ſi adſint tamquam chorus fallacem reſpirationem, & interitum portendunt οἱ ἐφιδρῶντες μάλιϛα κεφαλῆ ἐν ὀξέσι ὑποδύσφοροι, κακὸν, ἄλλως τε καὶ ἐπ' οὔρησι μέλασι, καὶ τὸ θολερὸν ἐπὶ τούτοισι πνεῦμα, κακόν. *Quicumque leviter exſudant maximè circa caput ſubmoleſtè ferentes, malo ſunt loco, tum alias ſi urinæ nigræ fuerint, turbidus ſpiritus his malus eſt. In Coac.* Reſpiratio fallax quieta exterius, conturbans interius. Labiorum occulta palpitatio interdum ſumma decoloratio, livor, ſuſpenſio, atrorubedo, *Spiritum turbidum* connotat. χεῖλεα (*l*), & pulmones eodem paſſu decurrunt: renes multis graviter dolent in ipſo puncto invaſionis, tamquam ſuſpenſi, & nephritici, & proſcenium futuræ pulmoniacæ cladis exordiuntur. Reno-pulmoniaci imperitis imponunt, & illudunt, præſertim ſi Ilia coafficiantur. *Quibus lumbi dolent, his recurſus ad latus. In Epidem.* Inter renes, & pulmones arcana ſyntimoria. *Ignota actio regiminis.* Si emunctis naribus ſubolfacies tales *turbidè* reſpirant. In febribus eſſentialiter malignis, prædominante ſicco, ſqualor deleterius pulmones depaſcitur; & in promptu eſt *turbida*, & intercus reſpiratio, quæ occultiſſimum interitum fabrefacit. *Natura in illis receſſibus* ἀσώματος (*m*), *& inconſpicua.* Aures laborantes, pulmoni laboranti, & *turbido ſpiritui* proludunt. Aurium vitia, ex Alexandro Aphrodiſæo, in pulmonum ἀντιπερίσαντα (*n*). *Spiritus turbidus ſingultum præſignat.* 2. *Prorrhet.* id genus Pulmoniaci ſingultuoſi moriuntur; quia ſingultus παραδόξως ex P. Alpino eſt paſſio pulmonis; articuli pulmonum convulſi, ſeptum ſingultim convellunt. Sitis interdum complet totius morbi fabulam, *alvina* νηδύσσα, peculiaris, ineffabilis, inextinguibilis, ex incendio pulmonis, & furtiva phlogoſi, ex qua oritur habitualis, maligna, occultiſſima peripneumonia Fernelii. Ipſius pulmonis profunditas coafficitur.

Tanti eſt, amiciſſime Illmer, ſemel in malignis *ſpiritum turbidum* deprehendiſſe. Sed tandem *ſpiritui turbido* valedicamus, & æterno amicitiæ fœdere ſine fuco, ſine dolis, ſinceri, illimes, non turbidi, ἄδολοι, καὶ ἄθολοι (*o*), ad calcem decurramus: ſatis garruli fuimus, receptui canamus, inclinavit jam dies; ἕσπέραν (*p*) agimus. Ponderoſam Epiſtolam imperaſti, morigerus fui, tot verbis bilem, & ſalivam movi; non ne pœnitet impetraſſe? Tua tibi in culpa ignoſcendum eſt. Qua polles ſagacitate, vel ſubſcribes interpretanti, vel me in alium ſenſum amicè detor-

 quebis.

(*l*) Labia.
(*m*) Incorporea.
(*n*) Decumbunt.
(*o*) Sine dolo, ſine fuco.
(*p*) Veſperam.

quebis. Interea fores crepuere, ecce in theatrum prodit Gulielmus Ballonius Medicus Pariſienſis præſtantiſſimus, extremis ſuis laboribus defunctus, tamquam Pelias recoctus tuam fidem implorat, ſub tua tutela quieſcit. Gallici cæli pertæſus, villoſis pannis obvolutus ad Vos ſub hiberno ſydere poſitos impatiens adſpirat. Præſtantiſſimum virum Græcis vocabulis conſperſum, ſed latinæ dialecto præcipiti calamo reſtitutum uterque audiamus. Vale, Johannes Bernarde amiciſſime, Septemtrionalibus tuis valeas, noſtri ſæculi decus, & ornamentum; vale.

Venetiis x. Kalend. Julii MDCCXXXVI.

GULIEL-

GULIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

DE MORBIS MULIERUM AC VIRGINUM LIBER;

In quo multa ad mentem HIPPOCRATIS *explicantur quæ & ad cognoſcendum & ad medendum pertinebunt.*

PRÆFATIO.

QUI rerumpublicarum leges condiderunt, quibus tamquam firmis præſidiis ſubſiſterent, in eo operam maxime poſuerunt, ſuæque ſingularis prudentiæ ſpecimen ediderunt, ut quam poſſet fieri maxime fatalis legis neſciæ durarent, ac vigerent: nec enim eo conduntur conſilio, ut eas ad cujuſvis arbitrium adjungi accommodarique liceat, ſed ſtatutis in eam rem ſuppliciis, quibus maxime ſubjaceant qui rebus novis ſtudere velint, ab omni mutatione ſuas Reſpublicas ſolent vindicare: alioqui errore vario fluctuarent, & ab imperitæ multitudinis levitate penderent: hinc illarum everſiones, hinc clades, hinc ruinæ, hinc civibus periculum crearetur. Idem fere Naturæ rerum omnium parenti in corporibus noſtris condendis ac procreandis viſum conſtitutumque eſt, ut quoad eniti poſſet, ea æterna omniſque mutationis expertia redderet; ne brevi rerum hæc univerſitas in aliquas anguſtias redacta corrueret atque deperiret. Jam enim multo ante præviderat ſummam perfectionem eſſe ac præſtantiſſimum bonum bene vivere ac perfecta undique vita frui: quod unum

SCHOLIA.

Natura in omnibus æternitatis arida. Galen. 1. c. lib. 14. de uſu par.

tam præſtabile bonum res caducæ, ortui interituique objectæ, conſequi non poſſent, niſi eo conſpirarent, ut qua fieri arte poſſet æternitatem illam denegatam redimerent, & compararent. Ecqua enim perfectio, quum quid primum natum in auramque hanc editum fuerit, præſto adeſſe occaſus neceſſitatem, ac in ſe gerere inteſtinam ſui interitus cauſam, quæ ſtatim viriditatem omnem decutiat, ac ætatis florem deterat? Quantumcumque autem in priſcis legum latoribus ſtudium ac induſtria viguerit, eventus eorum opinionem fefellit: nec enim id conſequi potuerunt, quin vetuſtate conditarum urbium legis conditoris memoriam conficiente, ratæ & ſtatæ quæ quibuſque rebus ingruunt vices, in reſpublicas inciderent, alias ſerius, tardius alias, prout ſuas leges ſanciverunt quibus Reſpublicas inſtaurarent ac roborarent: nulla enim tam & opibus & honoribus florens civitas, nulla tam ſanctis legibus fundata, nulla quovis etiamnum bonorum genere nobilitata, cui non ſuus fuerit marcor, ſua ſenectus, quæ non tandem de ſuæ dignitatis gradu dejecta, quum alioqui ceteris exſtinctis eluceret, aliis ludibrio ac contemtui fuerit. Quod & naturæ uſuveniſſe in ſuis architectandis operibus certum eſt, illa quam maxime fieri poteſt ſua opera limat ac perficit omnemque eorum imitandorum ſpem artificibus peritiſſimis adimit, ut nil deſiderari poſſit quod melius ab ea factum oporteat. Nec dubium eſt quin corpus illud quod ex variis principiis coagmentaverat, quodque ſumma arte effinxerat, ſi idem ad finem uſque ſervare potuiſſet, id præſtitiſſet; ſed illud elementis, ex quibus idoneam conſtituendis corporibus materiam deprompſerat, denegatum vidit, quod illa varias alterationes neceſſe ſit ſubire. Et quum illa vim in compoſita conflataque ex ſe corpora conjiciant ac conferant, hæc ſuorum primordiorum vices experiri nata, iiſdem alterationibus ſubjicientur. Sed reconditiori arte ingenioque aliquid aliud natura commiſcitur, quo vices iſtas & mutationes redimat: ne ſaltem non poſſit nonnullam æternitatis ſuæ ſpeciem retinere, qua ſuum opus vietum, diſſolutum ac moribundum ſuſtinere poſſit ac ſublevare: dum enim tantula feminis mole abutitur, ortus procreationeſque perpetuat, & in puſilla re, tamquam penu, magnum aliquid recondit. Ita enim unumquodque vitali aura fruens jam exſtinctum, in ſuis deſectis reliquiis reviviſcit ac repueraſcit, dum ſobolem, quæ vicariam pro parente ſupponat operam, ſubſtituit: in illam enim ſuam inclinatam jam ac languidam vitam confert, ut in ea renovatum ac reſultans cujuſdam æternitatis compos ſubſiſtat. Quod Naturæ opus perfectiſſimum, majoremque multo illius induſtriam deſignat, quam ſi ſuum illud opus principio æternum, & diſſolutionis neſcium effinxiſſet. An quicquam eſt majore dignum admiratione quam in deſecta e corpore portiuncula tantum virium ponere, ut in hac exiguo ſpiritu perfuſa, inanimi tamen, & rudi, animal perfectum deliteſcat? In hac enim non expreſſæ quidem, ſed adumbratæ tantum ſunt rerum effigies, quas divina una facultas limat atque exprimit, ſive perfectum animal edatur ut ab equo & homine, ſive ovum, ſive vermis:

Animalium corpora Φύσει ἐ ἀνάγκη (a) fatalia ſunt. Individuum quodlibet ſimilis procreatione repueraſcit.

1.

Fernel. de procr. hom.

(a) Natura & neceſſitate.

vermis : his enim tribus modis in animalibus fieri generatio cernitur. Ac planta quidem ſeminis interjectu a ſe ipſa aliam producit in qua veluti rediviva ſuum ingenium exprimat. Nec enim dicat quis, quod tamen vulgo jactatur, a glande quercum produci : non glans, ſed quercus quercui cauſas principiaque dat. Et quicquid in recens producta quercu cernitur, illud non glandi ſed primæ parenti acceptum referatur, tamquam principio a quo ſemen deciditur partium ipſarum, non ἐνδελέχειαν quaſi quamdam continuatam motionem & perennem dicas, ut male aliquo modo Tullius de mente ſenſit, ſed ἐντελέχειαν perfectionem veluti complicatam ac coercitam retinens, quæ ſola ſecretione eluceſcit. Quum autem ab eo quod vita fruitur deſectæ reliquiæ callidiſſimo artificio a Natura excogitatæ perpetuitatis cuſtodes interituſque vindices non primo quoque tempore quam occultam ideam, vimque implicitam a corpore rapuerunt, eam exprimant, ſed contra ignavæ deſideſque ex ſeſe exſiſtant, excipi illas, nutriri foverique oportuit ; hinc partium machinata varietas, hinc ſexus diſtinctio. Nam quum nec mas ex ſe, nec femina ipſa conjugis expers quicquam perfectum limatumque dare queat, ſed aliquid iners, rude, ac inutile, ut ova ſubventanea & mola teſtantur, ne quod ab alterutro afferri poſſet irritum inaneque exſiſteret, utriuſque & maris & feminæ per congreſſum ſymbola conjici conferrique oportuit ad generationem perfectam ac undique abſolutam : alioqui rudis adumbrataque ſolum procreationis ſpecies pareret, tum in editæ ſobolis aut monſtri potius imminutis actionibus, tum in exigua vitæ uſura, quo loci accurata diligensque ſexuum diſtinctio languet ac friget. Ac in plantis & paucis animalibus ſexus promiſcuus eſt, nec certo hunc marem, hanc fœminam definias. Sexus autem hæc confuſio non ita a nobis recipienda eſt quin aliquid ſimile mari feminæve exſiſtat (jam enim uſu receptum eſt ex fruticibus alias marium alias feminarum rationem habere ;) ſed ille congreſſus & coitio a natura apte excogitata ad generis propaginem in illis non celebratur. Etenim quum altis radicibus humi defigantur, locoque non moveantur, immo pabulo, quod in numerato eſt inteſtino terræ ſinu reconditum, adhæreſcant, ex ſe ipſis progignunt, nec blando ad ſui propagationem complexu abutuntur. Sic in plantis alioqui brutis, quibus tamen ſummum ineſt deſiderium quod aliqua nobis incognita ratione leniunt, maris & feminæ promiſcuæ ſunt vires ; quæ in perfectis animalibus longo diſtinguuntur intervallo. Non enim plantarum more alimento fixa, adhærentiaque ſola aut nutritione, aut accretione, aut procreatione contenta vivunt, ſed diviniore modo impelluntur, alias ad cognoſcendum, alias ad ſentiendum aut utrumque, quo nimirum perfectiora munia obeantur. Quamobrem non in omnibus pari modo animadvertitur ea ſexus diſtinctio, ſed in ſanguine præditis præterquam oppido paucis uni vis maſcula, alteri feminina attributa eſt. Sed quum alia a putredine ; primo oriantur nullo ſata coitu congreſſuque, illa quidem generari neceſſum eſt,

Ariſt. c. 5 l. 1. de kiſt. Animal.

ἐνδελεχείας & ἐντελεχείας (*b*) *differentia.* 2.

Sexuum diſtinctio ad generationem perfectiorum animal. neceſſaria. Fern. de procreat. Hominis.

In plantis & paucis animalibus ſexus promiſcuus eſt.

Ariſt. 1. c. l. 1. de generatione Animal.

(*b*) Continuatæ motionis & perfectionis.

est, *sed quod subinde a putredinis sobole natum est, diversum plane est nec maris nec feminæ dotibus & nomine donandum: quod merito contingit. Si enim eorum complexu & consuetudine, quæ non ex animalibus primo sed putredine genus suum traxere, animalia orirentur, si ejusdem essent generis, primum parentum ortum talem exstitisse oportuisset: positum autem est a putredine sola ductum esse principium; sin autem dissimilia sint, sed quæ tamen coire possint, subinde alterius generis soboles nasceretur, & ex hac alia diversi quoque generis, atque ita in infinitum progressus exsisteret quod a naturæ legibus abhorret.* In quibus autem sexus differentias tamquam certos limites constituit, ex iis elicere solet aliquid quod ejusdem generis est, quodque proxime parentes referat, specie, effigie ac similitudine, quæ tria in omni legitima procreatione spectanda proponuntur. In quibus autem ea sexuum distinctio paullo confusior est, aut deficit, in iis quantavis potest diligentia speciem exquirit atque conservat. Nam & in testaceo animalium genere & in iis quæ saxis adhærent; in plantis denique maris & feminæ distinctio requiritur: cui ut fiat satis, providit Natura, ut in iis aliqua maris & feminæ ἀναλογία (*c*) & proportio retineretur. Nam & cuidam fruticum generi tributum est fructum ferre, aliud quidem fructus ferax non est, sed ferentibus aliquas ad maturitatem suppetias ferre cernitur: quod in fico & caprifico cernere est; illudque vulgo in stirpibus notatur alias sponte nasci, de quibus hoc loco supersedendum est, alias ex semine. Quæ enim paullo fusius de animalibus dicta sunt, quæque de plantis, ea non ita ad præsentem disputationem faciunt, quin missa fieri non potuissent: sed quoniam de sexus differentiis & necessitate institutum fuit disputare, a capite disputationem arcessere non pertæsum est. Multa enim cursim attingere licebit pedestri nostra oratione, quæ ad lucem enodationemque consilii nostri pertinebunt, ne quod in narrandis rebus factitari solet, diutius eorum animus suspensus hæreat, quibus forte contigerit has lucubrationes ad morborum mulierum explicationem accommodatas terere ac perscrutari.

Similitudo generis, speciei & effigiei. Gal. l. 1. de semine. Arist. 1. c. l. 1. de gen. Animal.

In quibus plantis & animal. sexus diversitas requiritur, mari ac feminæ aliquid est analogum.

ANNOTATIONES.

1. *Cicero* 2. de natur. Deorum: seminis tanta vis est, ut id, quamquam sit perexiguum, tamen si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat & efficiat aliquid simile in suo quodque genere: *ita, multa in se vim seminis habent ut ex uno plura generentur, idque semen inclusum est in intima baccarum parte quæ ex quaque stirpe funduntur, sic terræ stirpium renovatione complentur.*

2. *Cicero* lib: 1. Tusculan. quæst. & *Budæus* lib. de Ass. *miratur Ciceronem qui quum Aristotelem legisset utentem nomine* ἐντελεχείας, *tamen motionis nomine usus sit in interpretatione: ut* ἐνδελέχεια *sit legendum, non* ἐντελέχεια.

CAPUT

(*c*) Analogia.

CAPUT PRIMUM.

De Maris & feminæ diſtinctione ac dignitate.

SI quis de ſexu dubitet an ſit, & ſeipſum ignorare neceſſe eſt, & communi ſenſu indigere: quod utrumque in homine turpitudine vitioque non vacat. Nec enim noſtra in eo ſupra verſata eſt oratio ut ſexum ullum eſſe demonſtraremus; hic enim deſideraretur prudentia; ſed illum in animalibus conſtare perſpicueque apparere oſtendimus; in reliquis quadam καταχρήσει (*d*) uſurpari. Nunc autem an ulla ejus ſit neceſſitas quæſtione digniſſimum exiſtit: & quid pars alterutra conferat, paucis aperiendum. Quæſtio hæc multos olim exercuit ac in varias opiniones traxit non modo e plebe ſed & philoſophos & poëtas: horum quum figmenta parvi hic fieri velimus, non negligi tamen, quod nihil tam jejunum, nil adeo inſulſum ex quo non poſſit aliquid ſalis elici: illorum mens & ratio aliquid ponderis hoc loco, dum curſim res agitabitur, eſt habitura. Sed quemadmodum hoc toto opere ad mentem divini Hippocratis, quem ducem & principem ad ingrediendam hanc diſputandi rationem ſequi volumus, omnia ſunt referenda; ita nil nos movebit philoſophorum quantumvis accurata ratio niſi Hippocratis menti & orationi conſonet: non quod in illius mentem verbaque jurandum cenſuerimus, eorum more qui quem ſemel imitandum ſibi propoſuerunt, licet a vitæ recta ratione & ſcopo aberrantem, eumdem tamen pertinaci ſtudio proſequuntur, ſed quoniam ille bonorum omnium auctor jam pridem omnibus & recte philoſophando, & præclare ſentiendo placuit, eum deſerere nefas eſſe arbitramur: Cujus mentem antequam aperiamus unam atque alteram aliorum opinionem proponemus. Divus Plato genus humanum olim ἀνδρόγυνον (*e*) exſtitiſſe aſſeruit, ita ut geminum foret duabus naturis communione quadam promiſcuis & conjunctis: ſed hoc diremit diſtinxitque Jupiter: & qui amor per totum fuſus erat, in duo diverſa conjectus eſt; hinc remanentibus primi illius amoris ſeminariis, contingit marem a femina tamquam dimidium ſui requiri: ac pari modo feminam a mare, ut veteris conjunctionis memoriam recolentes hymenæum celebrent; quod etſi aliquid ficti commentique in ſe continet implicitum, explicatum tamen, ad id quod hoc loco quærimus de ſexus neceſſitate, & quid utrimque conferatur, apprime pertinebit. Ac Empedocles non longe aliter ſenſit qui futuri fetus partes divulſas diſtinctaſque contendebat, ut ad eum perficiendum aliæ a femina aliæ a mare repetantur: hinc nata congreſſus conſuetudiniſque neceſſitas, ut compreſſu partes

Sexus in animalib. perſpicue apparet; in aliis rebus καταχρήσεως.

Ball. Hip. ducem ſequitur qui teſte Macrobio nec fallere nec falli umquam potuit.

Plat. ex Ariſtophane in ſympoſio, humanum genus ἀνδρόγυνον *à Jove diſtinctum in duo. Gal. l. 2. de ſemine.*

(*d*) Abuſu.

(*e*) Quod mulieris & maris utrumque ſexum habet.

in homine latentes transfundantur, aptenturque ad eas quas femina in ſeſe recondit. Quam Empedoclis ſententiam labefactare conatus eſt Galenus: miror cur & prius Platonis commentum multo abſurdius, quia ita diligens eſt & accuratus in alieno opere, non momorderit. Multa enim a multis dicuntur, in quibus non quod dicitur, ſed quod intus reconditum ponderari penſitarique debet, ne ſolis addicti verbis Veteres indicta cauſa condemnemus. Satius autem eſt in æſtimandis aliorum laboribus honorarii arbitri partes agere, quam temere eos inſcitiæ inſimulare: nec iis tantum habenda eſt gratia, quorum quiſpiam ſententias ſequatur & probet, ſed iis etiam qui ſententiam ſuam de rebus aliqua ex parte explicaverunt; ii enim aliquid adjumenti afferunt, quippe qui animi noſtri aciem & conſtitutionem primi excoluerunt. Aliorum ſcripta iniquius obſervare dementiæ eſt ac furoris: eadem tolerabilia quædam boni conſulere humanitatis eſt, ut candoris eadem laudare. Etſi enim Empedoclis commento affinis videtur opinio, quid aliud declarat tamen quam neceſſario miſcendas eſſe duas partes quarum una agentis opificiſque vim habeat, altera materiam ſubjiciat atque ſubſternat? Quod ſi alienis nominibus dictum, non propterea tamen traducetur. Porro illud in primis accurate tenendum: In omni rerum naturalium coagmentatione rerum contrariarum mixtionem requiri ut inde unio fiat, & ab unione ejuſmodi res quæcumque natura conſtat, ſubſit & duret quoad diſſolutionis neceſſitas, tempori comes addita, adventarit. Nec enim ex uno res conſtare potuerunt principio, quod quæ ſummæ cuique elemento vires inſunt non retunderentur niſi admixto contrario: & id interitus cauſa eſt. Quæ diſtinctio Ariſtotelis ingenio debetur, dum quæritur cur nos non eadem res ſemper delectet, Deus autem una eademque re ſimili voluptate perfruatur. *Nulla nos*, ait, *res eadem delectat, quod non ſit natura noſtra ſimplex, ſed habeat in ſe quiddam admiſtum diſpar ſui ac diſſimile, quo eam interire neceſſe ſit: Et ſi quid pars altera faciat, id continuo a natura alterius alienum eſt. Deus ſimplici voluptate fruitur, nec enim motionis tantummodo actus eſt: ſed etiam ſtabilitatis. Præterea ſi unum cujuſque rei principium, nulla actio foret nullaque perpeſſio, nullus dolor.* Sed nihil temporis in his fruſtra terendum. Duo principia hoc loco maxime conſiderabimus ab Hippocrate arte ſumma excogitata, quod & eorum uſus maximus, & horum cognitio ad id quod hoc loco habemus propoſiti magnas opportunitates eſt allatura. Duo illa ſunt, ignis, aqua: ſeu calidum humidum, quorum explicatione continetur & ſexus diſtinctio. Hippocrates duplicem naturam cognovit, unam manifeſtam, in temperamento ſitam, ſive id animum, ſive temperamentum voces, nihil intereſt; immutabilem alteram, æternam, quam proprie animam vocamus, corporis organici primam ἐντελέχειαν (*f*), quam tranſmutare potis non eſſe divino veluti afflatus numine conſcripſit. Priorem in duobus poſitam fixamque principiis voluit, dum mira verborum ſua brevitate ingentem rerum ubertatem parturit: Conſtituuntur cuncta animantia, tamen homo ipſe ex duobus, quæ facultate

Ariſt. lib. 2. Metaphyſ.

Homo dolet & varietate rerum delectatur, quia ex contrariis conſtat. Ariſt. ult. c. lib. 7. Ethicor. Hipp. l. 1. de Nat. Humana.

Hipp. ſub finem l. 1. de Diata. Duplex natura immutabilis, & manifeſta.

(*f*) Perfectionem.

tate quadam a ſeſe invicem differunt, ſed uſu & commodo conſpirant, igne & aqua. Hæc autem ſufficiunt tum aliis omnibus, tum ſibi ipſis mutuo. Utrumvis ſeorſum nec ſibi nec vero alteri ſatis eſt: Eorum autem hæc vis eſt: ignis omnia per omnia movet ac impellit, aqua omnia in omnibus nutrit. Peculiare autem eſt ut utrumque ſuperet ac ſuperetur: neutrum abſolute ſuperet: Si ignis ſuperaret ſimpliciter, deficeret alimentum; ſin aqua, motus deeſſet. Pluribus præterea explicat quales exſiſtant quibus plus alterutrius principii inſit. Quæcumque enim actiones in nobis elucent, eæ aut ignem aut aquam referunt, unde qui inſulſi, bardi, molles ac minuti ſunt, eos aqueos vocamus: quibus vis ineſt vividior, ut ad omnia alacres & expediti ſint, eos igneos dicimus. Ignis enim motio, impulſio, ac celeritas propria eſt: aquæ vero tarditas, & ignavia. Atque duo illa principia argutulus quidam traducat: quod ea ſola Hippocrates conſtituere videatur, quod ab ejus ſententia & primariorum Medicorum abhorreat. Quin etiam mordicus in ea hæreſi eum conſtitiſſe ex aliis ejus decretis conficere poſſit. Idem enim erroris inſcitiæque veteres inſimulat qui quatuor conſtituentes principia, calidum, humidum, frigidum, ſiccum, ea & ſanitatis & morborum prima fundamenta eſſent machinati. Quid aliud vero eſt quam ſolemnia quatuor rerum omnium principia tam trita, tamque plauſibilia rejicere atque labefactare? At utraque ſententia ſuis patrociniis non eſt deſtituta. Quod attinet ad illam Hippocratis reprehenſionem qua Veteres inſectatur, eo factum eſt quod illi quum obſervaſſent morbos maxima ex parte ab intemperie pendere, ſive ea ſimplex ſit, ſive compoſita, calidum, humidum, frigidum ſiccumque morborum omnium cauſas ſtatuiſſent. Nec enim tam ſui diſſimilis fuiſſet ut ea quatuor principia rerum omnium everteret ac rejiceret: ſed eos illa maxime de cauſa inſimulat eorumque dogma evertit, quod generalius morborum cauſas obſervarent, nec ad anguſtum ſuam diſputationem revocarent. Hippocrates autem Medicum ratus artificem eſſe maxime ſenſui addictum, non modo illa generalia ſanitatis morbique fundamenta contemplatur, ſed demittit ſe ad ea quæ ex primis illis oriuntur, ſive primæ ſint qualitates, ſive ſecundæ, ſive tertiæ: quarum contemplatio apprime Medicis neceſſaria exſiſtit. In maximos enim errores eos fœdiſſime prolabi ſolitos experientia didicimus, qui neſcio quam rerum ad medicinam pertinentium communem notitiam aſſecuti, ſeſe in primariorum Medicorum ſocietatem dant, falſo rati eam viam ſecuram eſſe quam ſibi compendioſam compararint; hinc Theſſalicorum factio prodiit qui univerſalibus morborum jactis fundamentis, ut quum dicerent morbum omnem aut ab exhauſto aut ab repletione emanare, artem medicam ſemeſtri ſpatio perfecte comparari poſſe affirmarent. Hinc Gnidiorum medendi magiſtrorum faſtus, qui quum infinita morborum genera noviſſent, eaque varie diſtingui pro cujuſque ſubjecti varietate, tamen univerſali ratione contenti ad inferiora non deſcenderunt: in quo a pleriſque peccari vulgo experimur: nec illam divinam τέκμαρσιν (g) ab uno Hippocrate primum

Hipp. ibid. 1.

Omnes actiones in nobis aquâ & ignem referunt, Hipp.

Hipp. l. de vetere medicina.

Gal. de optima ſecta ad Thraſybulũ. Hipp. de diæta in acutis. Ab univerſalibus ad infe-

(g) Cognitionem conjecturalem, certis rationibus nitentem.

riora deſcendendum. 2.

mum inventam, deinde a Galeno ſcriptis & experientia excultam amplexati ſunt : eamque ob cauſam univerſales illas propoſitiones, ſive ad morborum cauſas pertineant, ſive ad eorumdem curationem Hippocrates pili fecit ut omnem erroris occaſionem auferret. Ridiculum eſſe oſtendit, hoc cognito quod a calido ſit morbus, ad frigidum concurrere ἀδιορίστως (*h*), contrarietatis lege id conſilii inſinuante ac ſuadente. Periculoſum enim eſt nos iis legibus adſtrictos, ab una qualitate ad aliam contrariam corpus traducere & transferre : eodemque conſilio Galenus indicationum omnem rationem accurate complexus eſt, ut veterum multorum errores, in morbis curandis committi ſolitos, detegeret ac confunderet. Nec minore calumnia dignus videatur Hippocrates qui duo principia ſua rerum omnium tam magnifice efferat : de quibus paucis dicendum, quod generationis noſtræ primordia ab iis ducantur. In generatione calor naturalis primas tenet, quod vi ſua & impulſione unum ab alio ſeparet ac ſejungat, diſtinguat, augeat : alioqui numquam quæ gravia ſunt ſupero loco ponerentur : nec cerebrum quod hominis frigidiſſimum eſt, in corporis arce locaretur. Eum calori ſive aſtris attribuas, ſive terrenis caduciſque corporibus affigas, hic locus non poſtulat, ut explicemus. Reliqua elementa, aqua præſertim ac terra, quum ſuopte nutu non incitentur, ſed ignava pigraque exſiſtant, neceſſum fuit ab alio impelli cierique, ut multiplici impulſione ac verſatione tandem aliquid exſurgeret duorum principiorum conjunctione temperatum. Sic mutatio, auctio, generatio effluviique reparatio caloris functiones creduntur. Ariſtoteles dubitavit, an hæc ab animo an a calore proficiſcerentur : ut phyſicus tamen in animo præcipuam cauſam conſtituit, calorem inſtrumenti nomine donaturus. In quoque autem corpore quemdam volumus fluere ἀτμὸν (*i*) nominantes ἀπορροίαν τῆς ἐποκειμένης οὐσίας (*k*), alium partibus ſolidis affigimus, ipſum earum ἐντελέχειαν (*l*) conſtituentes. Quo pertinet illud Hippocratis, ἡ ψυχὴ ἀνθρώπου ἀεὶ φύεται, *Hominis anima ad finem producitur*, ut male vertit interpres, melius, *vegetatur*, verteretur τὸ ἀεὶ φύεται : Intelligit hominis animam, id eſt calorem, vegetari ſemper & incumbere perpetuo in augendo, conformando, generando : quod ejus ſolius beneficio animal alimentum trahat, conficiat, eoque nutriatur, ac ſuſtineatur, augeſcat, procreet, ſenſu denique ac motu præditum vivat. Hujus dotes quum maximæ ſint, quæque omnibus conſpiciantur, non abs re rerum omnium principium conſtitutum eſt : quod quum per ſe non exſiſtat, ſed in aliud vim ſuam potentiamque exerceat, neceſſarium fuit id quicquid eſt illi ſubſtituere ac ſubjicere. Aqua autem primas inter ceteras res id genus tenet. Jam enim abunde demonſtratum eſt iis duobus principiis contentum fuiſſe Hippocratem, quod & eorum vis longe lateque pateat, & quæ a nobis prodeant actiones, eæ aquæ caloriſve nonnihil præ ſe ferre conſueverunt.

Hipp. de vetere medicina 2. Aphoriſ. Gal. de optima ſecta ad Thraſ.

Hipp. lib. de genitura.

Calor omnium actionum auctor.

Calor fixus aut fluens. Ariſt. c. 4. l. 2. de anima. 3.

Hipp. lib. 6. Epidemiorum. Gal. lib. de Maraſmo. Hominis Animal calor ad finem vegetatur.

(*h*) Indefinitè, indiſtinctè.
(*i*) Vaporem.
(*k*) Vaporem & effluxum ſubjectæ ſubſtantiæ.
(*l*) Entelechian.

verunt. Accedit & ratio inſtituti Hippocratis: id enim conſilii fuit ut de diæta diſputaret quæ & victus ratione, & vitæ genere contineretur: nam & ἐπιτήδευμα (*m*) ad diætam retulit idem auctor. Quæ actiones celeres & expeditæ, eæ ad ignem referuntur. Quæ pigræ ac tardæ ad ignem non referuntur, ſed aquæ tribui ſolent. In vitæ inſtituto quum duorum principiorum vis eluceſcat, tum maxime ad victum pertinere videbitur. Sic olim aqua ac igni interdici eis volebant qui aliquod facinus nefarium perpetraſſent. Et narrant hiſtoriæ in nuptiarum celebritatibus, tum maxime quum nupta viro jungeretur, aquam & ignem offerri ſolere quæ recens nupta attingere juberetur: ac tacito illo tectoque myſterio duorum illorum principiorum vim in omnium rerum procreationem concurrere indicabant: at neceſſariam aquæ igniſque copulam, id eſt maris & feminæ ad generis humani propagationem prætendebant. Sed & fortaſſe alio conſilio Hippocrates duo illa niſus eſt docere primordia, ut everteret ac labefactaret eorum ſententiam qui unico principio contenti, reliqua ſubditicia ſupervacuaque conſtituerent: quæ conſtans firmaque de uno principio ratio videtur ſatis refutari, ſi duo ſaltem concurrere demonſtretur: non quin forte & alia non obliterentur ac rejiciantur. Itaque mirum non eſt ſi duobus illis poſitis principiis omnia ea complectatur quæ ad generationem, conſervationem, motum nutricatumque deſiderari poſſent. Sic in igne, eo auctore, mens eſt, prudentia, augmentum, motus, imminutio, mutatio, vigilia, ſomnus. Quid enim apertius apparet in generationis noſtræ principio, quam duo illa principia ſola præcipuaque exſiſtere? quid aliud præter ignem & aquam in ſemine? quid aliud edito fetu? in ſemine humorem & ſpiritum coire vulgo perſpicitur: ut humori materia aſſignetur (nec enim illud terreum, quod ad partium ſolidarum conſtitutionem confert, ſeſe nobis objicit) ſpiritus autem motionis principium injiciat. Nomine autem ſpiritus ignis continetur; utrumque enim etſi nominibus diſtinctum, idem tamen fere cenſeri debet. Ita tamen veteres ignis ubertatem, ineunte generatione, requiſierunt, tum ut motum præſtaret, (quod ſpiritus proprium eſſe deberet) tum ut ſiccaret; alioqui partes ſolidæ numquam conſiſterent. Etſi humidum & ſiccum initio generationis præpollent, ſiccum tamen non terreum eſt, ſed igneum, cujus vis in robore partibus conciliando exſiſtit. Terreum autem ex eventu tantum apparet, conſumpto humore, non a calore quidem, ſiquidem conſumptor non eſt, nec de compoſito ruinam molitur, ſed difflans corpus, nec humore eodem alimentari in alius primigenii locum ſuffecto, ſeneſcit tandem ac marcore diſſolvitur. Variis quidem modis ludunt veteres, ſed ea eodem referri neceſſe eſt. Quum enim a Galeno dicitur duo ortus noſtri principia, unum aëreum & igneum, alterum terreum humidum, paullo quidem latius principia diffundit; ita tamen ut unum pro materia, alterum pro cauſa efficiente aſſumat. Nec omittendum, nonnullos ex veteribus, quam vere omnes noverint, calidum & humidum conſti-

Hipp. l. 1. Epid.

Plutarch. ait aquam & ignem olim recens nuptis offerri ſolere.

In ſemine & edito fetu aqua & ignis apparent. Gal. l. 13. de uſu partium. Com. in aph. 14. 1. aphor.

In ſemine paucum ſiccæ & terreæ ſubſtantiæ plurimum aereæ calidæ & humidæ. Gal. 1. ſanit. tuend.

Gal. l. de Marcore eam difficultatem abunde explicat.

Gal. 1. ſanit. tuend.

(*m*) Apparatum, inſtitutum.

tuisse principia per se, frigidum & siccum ex eventu. Alii frigus privationem caloris statuere: imperite quidem quum privatio nihil constituat. Ac effectum tandem est duo principia exsistere maxime quorum unum omnia in omnibus moveat, alterum nutriat: non quod aquam nutrire dicamus, quum Galeni sententiæ adversum sit, sed nutritionis nomen latius sumitur. Nunc ut ad institutum accommodetur oratio de modo quo concurrant illa, dicendum paucis. Hippocrates vult ortus nostri primordia ab iis duci τῷ διακρίνεσθαι καὶ τῷ συμμίσγεσθαι, nos secerni sive separari, & componi commiscerique vertendum diximus: aut utamur nominibus propriis, secretionis & mistionis, generari & misceri idem sonant Hippocrati: ut & perire & secerni. Est enim credibile ortum per unionem rerum contrariarum fieri, interitum vero per secretionem & secessum; summus enim Hippocrates, in animantium occasu elementa ad suum se quodque locum recipere litteris tradidit. Nisi ea mistio contingeret, qua diversæ contrariæve naturæ in opus unum conspirarent, nulla umquam generatio exstitisset: iners enim & ignava vis unius remaneret, nisi alterius favore afflaretur. Quod Hippocrates animadvertit, *quomodo quippiam, ait, unum generaret, nisi cuipiam misceretur?* Et interpres adducto seminis, quod solo mandatur, exemplo docet illud vietum & exsoletum remanere nisi humore dilueretur, quo vis sepulta emergat. Tandem efficit maris & feminæ congressum necessarium esse. Unumquodque unius principii causa est: nec credibile tam dissimilia dissentaneaque principia ab eodem conferri posse. A primis enim naturæ fontibus hauriuntur, & ἐντελέχειαν (*n*) ideamque rei, a qua decidunt, confusam occultamque exprimunt, quæ tempore elucescit: contraria esse oportere satis abunde demonstratum est. Itaque a duabus contrariis aut potius diversis naturis constantibus, illa in communem generis fatum elici oportet: ut nec unum perfecte aliquid edat limetque, nec alterum citra alterius suppetias quicquam possit. Ac concursum illum maris & feminæ demonstrari oportuit, ut Veterum quorumdam dogmata eluantur, & mulierum natura, de quibus instituitur disputatio, intelligatur. Quum ex iis quæ præcesserint multa assumere in animo sit, quorum si copia non fieret, disputationis cursus retardaretur.

Hipp. l. 1. de diæta.

Hipp. part. 14. l. de natur. Hu. Gal. 8. c. l. 1. de elementis Arist. de ortu. Particul. 9. & 15. l. 1. de Nat. Hum.

Nil potest generare nisi cuipiam misceatur.

ANNOTATIONES.

1. *Ad hanc sententiam Cicero* lib. 2. de nat. Deorum *magnas ignis vires describit: immo nullam nutritionem, nullum appetitum, motum, actionemque esse docet sine ipsius ignis beneficio: nam etiam quod alitur & crescit motu quodam utitur certo & æquabili: immo ne aquam conglaciari posse ac diffundi postea docet, nisi admixtus sit ignis; locus præclarus.*

2. *Eo enim pertinent tot regulæ & canones a Galeno traditi* in method. medendi, *ut pro ratione partium, temperamentorum, varient quoque remedia. Item pertinent libri* de locis male affectis, *ut ideas morborum* κατὰ στοχασμὸν (*o*) *venari possimus.*

3. Lib.

(*n*) Entelechian. (*o*) Per conjecturam.

3. Lib. 1. de diæta *vero ait*, ψυχὴ ἀνθρώπῳ αὐξάνεσθαι (*p*), *loquens de vera anima ut de antecedentibus patet. Sic puto* φύεσθαι (*q*) *idem esse quod* τελειοῦσθαι καὶ αὐξάνεσθαι (*r*).

4. Exercitatione xviii. *Scaliger contra Cardanum docet, quod absurda sequantur, si siccum & frigidum privationes tantum dicantur.*

5. *Immo communi sensu percipitur non posse ullam etiam in rebus externis mixtionem legitimam fieri, nisi per contemperationem rerum diversarum & diversis qualitatibus præditarum.*

CAPUT II.

Instituti ratio.

UT autem maris & feminæ ad generis propagationem usus est necessarius, ita variis distinctisque partibus utrumque natura instruxit, quarum ministerio uteretur. Ac primum admirabilis energiæ in mole pusilla semen attribuit, nec non sanguinem superfluum menstrua periodo fluere solitum, ut nil deficeret, nec ad sationem ipsam, nec ad nutricatum, nec ad perfectionem ipsam acquirendam. Relictis autem quæstionibus pæne innumeris de semine, quid agat, an per se, an ἐκ τοῦ συμβεβηκότος (*s*), an anima in eo sit τῇ ἐνεργείᾳ (*t*), unde sexus, cur non omnes mares generentur quum muliebre semen a virili superetur, hocque sit ἐνεργητικώτερον (*u*); deinde quum semen mulieris sit quid languidum, ἰχωρῶδες (*x*), num irritum sit ac inutile: denique, an menstruum illud excrementum necesse sit concurrere, quum semen utrumque ignea, humida, terrea aëreaque substantia constet: unde potest & nutricatum præbere, & ἐνέργειαν (*y*) conferre; in mulierum natura breviter explicanda, morbis autem velut passo velo pertractandis omnis nostra versabitur opera. Alia relinquemus Philosophis qui quæstiones illas agitabunt, alia ad usum nostrum sumus accommodaturi. Si quid ex illis fortè narrando scriptitandoque incidat quod ad institutum facere possit, evolvemus, ne nostra in ea re jejunitas appareat: ab argutiis minutulisque quæstiunculis temperabimus. Uteri, partiumque mulieris conceptui, nutritionique dicatarum, consensus partium cum partibus explicationem persequemur: inde enim potissima demonstrationum vis elicietur. Sed eo maximè omne consilium nostrum pertinet, ut in curatione morborum muliebrium elaboretur. Ac cur hæc πραγμάτεια (*z*) mulieribus dicata sit, curque in virorum morbis nemo privatim versatus sit, in primis nosse non alienum videatur.

Multæ quæstiones de semine &c. philosophis relinquuntur discutiendæ. Cap. 1. l. 1. de sanit. tuend.

(*p*) Anima homini augetur.
(*q*) Generari.
(*r*) Perfici & augeri.
(*s*) Secundum accidens.
(*t*) Actu.
(*u*) Efficacius, actuosius.
(*x*) Ichoroides, serosum.
(*y*) Energiam, actum.
(*z*) Commentatio.

CAPUT

CAPUT III.

In quo differant morbi muliebres a virilibus.

QUum elementorum vires, mutationesque in viris æque ac mulieribus spectentur, utrisque de sanitatis gradu ac statione perinde decedendum est. Nec enim ex uno elemento alterutri constant, proptereaque doloris voluptatisque vices persentiunt. Est tamen ubi mulierum genus pluribus, gravioribusque morbis impetatur, tametsi ei a natura consultum sit prudenter, ut menstruo statoque fluore multorum ac magnorum morborum vim refugiat aut eos imminentes antevertat: qui fluor, si aut deficiat aut relicta periodo erraticus instabilisque sit, jam jam morbis nascendi occasio est in parato: quod Hippocratem impulit ut mulieres podagra non laborare asseveret, nisi forte menstrua substiterint. Præviderat natura mulieribus ob nativam constitutionem excrementorum magnum proventum fore, ut passim docet Galenus, nisi summa arte caveretur ne illa moram trahentia ægrotandi occasionem afferrent. Quum itaque tam bene a natura mulieribus consultum sit, illis obviam erat eundum morbis, sed longe contra videmus contigisse: nam nostris temporibus in quodvis morborum genus etiam numquam antea auditorum mulieres tam facile tamque frequenter præcipites ruunt, ut nullo tempore & loco graves & frequentes experiantur. Immo ita est eorum natura, idcirque involuta, ut præstricta oculorum acie peritissimi quique artis medendi magistri in iis dignoscendis juxta ac curandis cæcutiant, immo tamquam ignorantes illud quidquid est ad Deos referre conentur, quod illi communem aliorum morborum sortem naturamque superare videantur. Quod ipsum an ignorantiæ tribuendum sit, an ita natura morbi mulierum difficilioris reconditioriſque sint cognitionis quam virorum, an vero earum intemperantia commissum sit ut eam naturam induant; an potius nobis fucum faciant mulieres quæ quum leviter ægrotant, ut arte nostra conjecturaque assequi possumus, nescio quas dolorum species effingant, ac comminiscantur: hoc porro nobis dubium est. Nec enim credibile quum corpus habeant ex paribus coagmentatum, ita obscuris, & elementorum mistionis modum superantibus morbis implicari. Hoc ipsum, quum pedestri oratione excurremus, facile ab omnibus percipietur. Laborant enim mulieres, laborant & viri: sed hos acutiores morbi affligunt, illas diuturniores, huc enim facit & proventus excrementorum, & temperamentum frigidius. Excrementa facile superfluunt ac congeruntur, tum ob sedentariam desidemque vitam, tum ob difflatus prohibitionem, unde exuviæ facile retardantur ac resistunt. Est autem & illis densa cutis, & internum corpus obstructionibus intestinis facile patens: quod morbis & fovendis & producendis occasionem porrigit. Sed ut facile in morbos incidunt & diu fovent, ita non æque facile fato defunguntur ac viri. Est enim consentaneum,

Hipp. l. de nat. hum.

Maximus medicorum deprehensus in mendacio: non mutatur feminarum natura sed vita. Sen. Hippocrat. aph. 29. lib. 6. c. 1. Galen. c. 5. l. de semine, & c. 6. l. 14. de usu part.

1.

2.

3.

neum, occaſionem non eſſe præcipientem in morbis mulierum, ut in virorum morbis. Siquidem occaſionis celeritas in arte medendi ex eo ſpectatur quod corpus noſtrum perenniter diffluat ac diſſolvatur, ut minimis momentis maximæ mutationes & inclinationes ἢ ἐπὶ τὰ ἢ ἐπὶ τὰ (*a*), ut loquitur Hippocrates, contingant: quo corpora diſſipantur diffluuntque magis, eo occaſio celeriùs elabitur ac effluit, cautioremque ſeſe Medicus præſtare debet. Corpus autem virile cum muliebri comparatum quum faciliùs inaniatur liqueſcatque, veriſimile eſt mulieres morbis magis reſiſtere, nec varias vices, quæ contingere ſolent, corpore exſiſtente ἰνδιαφορήτῳ (*b*) & diſſolubili, ſuſtinere. Nec enim in iis mutatio contingit aut a natura, aut a fortuna, quæ duo volucrem in arte occaſionem maxime efficiunt, ut ex Hippocrate colligetur. Præter autem excrementorum proventum, temperamentumque nativum a quibus morbos in mulieribus manare cenſuimus, duo alia plerique effingunt, quæ efficiant ut & promptius morbis laceſſantur, & peculiaribus ſexuique propriis, non communibus cum viris prehendantur. Nam & uterum cauſantur, & ingenii imbecillitatem, quæ duo an aliquid efficiant, videndum eſt. Arabum Princeps (ſi modo ejus auctoritas iis placeat qui quum nares minus emunctas habeant, multa in illorum ſcriptis anilia & temere effutita aſſeverent) varietatis morborum in mulieribus cauſam unam agnovit, uterum. *Eſt* (inquit) *femineo generi pars una, uterus nimirum, omnium morborum virgineorum ac muliebrium ſeminarium ac radix.* Quod fortaſſe indiſtincte & minus plauſibiliter præſertim apud eruditos pronuntiatum eſt. Mulierculis id placere poteſt, & ignaris Medicis: ex quibus illæ quidquid obvenerit, quicumque ſit affectus, vel etiam ſi in minimo digito ſectio ſit aliqua, mali auctorem uterum contendunt, ſilvamque remediorum paratam habent tamquam πολύχρηστον (*c*), ſed utero ſoli dicatorum. Hi vero ignari loci, non longe ab iſtis fallacibus mulierculis divertentes, quidquid mali contigerit, hujus remedium ab uno coitu frequenti repetunt, quod uteri languor & neglectus cultus omnium in virginibus aut viduis morborum cauſa eſſe videatur: itaque uteri ipſius ratione varias ægrotationum ſpecies & imagines animo fingunt, quarum nulla in viris conſpici ſoleat, cum ii utero careant affectuum iſtorum penu ac ſeminario. Quod autem uterus ſuas affectiones proprias & vernaculas habeat, id nemo negaverit, quum nulla ſit in corpore pars, quæ a morbo libera ac immunis eſſe poſſit: ſed tot morborum ideas utero uni affingere, hoc φανταστικὸν (*d*) & portento ſimile eſt. Si enim mas & femina nullo diſcrimine diſtinguitur, Galeni ſententia, niſi quod in feminis illud lateat includaturque quod in viris promitur ac editur, cur non ab illa parte quæ in viris prodiit foras, quæque voluptatis, ut & uterus in illis, promptuarium quoddam eſt, tot morborum genera derivantur. Ridiculum enim eſt quod uterus præ aliis partibus ζῶον ἐπιθυμητικὸν (*e*) a Platone dicatur, quod appetat per ſeſe, & ipſum

Hipp. in l. de diæta acutorum.

Hipp. l. de decenti ornatu ſub finem. Præter temp. & excrementorũ proventum uterus & ingenii imbecillitas morb. mul. cauſæ. Illam ſententiam pronuntiavit Hipp. l. de locis in homine fere ſub finem.

Uterus omniũ morb. cauſæ.

Gal. c. 5. l. 2. de ſer. & c. 6. lib. 14. de uſu part.

Platon. in Timæo.

(*a*) Ad hæc vel ad hæc.
(*b*) Benè perſpirante.
(*c*) Multi uſus.
(*d*) Phantaſticum.
(*e*) Animal concupiſcibile.

Uterus animal.

ipſum ſuccenſeat niſi re concupita optataque potiatur. Quod autem uterus, tamquam animal, ſentiendi concupiſcendique facultate præditum aliquando ſuccenſeat, hac ratione probant, maxime quoniam in hyſterico ſtrangulatu, rei alicujus appetens, ſitienſque moveatur, impetuque ſurſum deorſum feratur errabundus, unde gravia ſurgunt ſymptomata & quæ alias ad exitium præcipitant: quam Platonis opinionem Galenus explodit in ſuis commentariis. Et ut opinioni fidem majorem faciat Hippocratis auctoritatem advocat *in lib.* περὶ ἄρθρων (*f*), ubi loquens de uteri erroribus & extenſionibus (ſua lingua vocat τὸν ὑστερίων τὰς πλάνας καὶ ξωυτασίας) ait id genus extenſionum fieri per aliarum partium tractum & conſortium (græce & eleganter διὰ τὰς ἀδελφιξίας (*g*), barbare fraternitates dicit) non autem quod mutationis initium ab ipſo utero ſit, ut *in libris de locis affectis* Galenus interpretatur. Si enim uterus animal eſſet ἐπιθυμεῖν (*h*), a ſe motus illius vehementis principium vimque obtineret. Sed nondum tamen controverſia hæc dirempta eſt, an uterus ſuo loco a ſe motus & impulſus deſcendat aſcendatve: cujus rei fidem peti quidam volunt a mulieribus ipſis, quæ hyſtericæ oppreſſioni ſunt obnoxiæ. Ac de primo quidem dictum eſt: nunc ad ſecundum feſtinanter eundum cujus veritas communi experientia nititur ac roboratur. Quum enim generi muliebri innata ſit ingenii imbecillitas, & a natura expreſſa levitas accedens ad corporis mollitiem, mirum videri non debet, ſi promptius morborum vim ac impetum percipiat. Nam hac imbecillitate donatæ mulieres, omnium difficillime ægritudinibus perturbationibuſque animi, quæ hominum caſtorum ac ſapientum mentem non percellunt, reſiſtunt. Dum autem ſeſe perturbationibus animi vinci ſuperarique ſinunt, mentis perculſio ac contractio, facile in corpus redundans, illud in contagionem ſuæ affectionis trahit: & pro ægritudine corpori ægrotatio languorque contingit τὸ πάθημα (*i*) ſui originem agnoſcens. Mulier autem ob impotentiam animi cedit ægritudinibus, & ab iis facile ſe vinci patitur. Cauſam ejus rei Galenus adſtruit comparatione facta eorum quibus animus eſt humilis & anguſtus, cum iis qui fortes ſunt & magnanimi. Conferri enim debent affectiones perturbationeſque animi cum facultate ipſa vitali: quæ ſi valida eſt, & rationi obſequitur, illis perturbationum fluctibus non ſeſe abjicit, ſed contra nititur: ſin infirma, ac imbecilla longe ſecus evenit. Itaque concludit Galenus, quibus robur vitale infirmum eſt, animi vero motus ac perturbationes robuſtæ ob ἀπαιδευσίαν (*k*), iis eſſentia animæ facile liqueſcit, ac diſſolvitur. At vir magnanimus, non facile ob iſta πάθηματα (*l*) ſuccumbit, utpote cujus animæ robur valeat ac vigeat, motus autem & affectus non adeo vehementer exſiſtant; vocat autem ἀπαιδευσίαν meo judicio, non profuſiorem linguam procacitatemque aut inſolentiam, ut linguæ græcæ interpretes explicant, ſed imperitiam, judiciique

Gal. c. 5. l. 6. de loc. aff. Hipp. par. 100. lib. 3. de Articul.

4.

Cap. 5. l. 6. loc. aff.

5.

Animi pathematum vires.

Ibi. c. l. 5. de loc. aff.

Περὶ ἀπαιδευσίας (m) paullo poſt plenius.

(*f*) De Articulis.
(*g*) Propter cognationes, fraternitates.
(*h*) Concupiſcibile.
(*i*) Paſſio.
(*k*) Imperitiam, judicii carentiam.
(*l*) Pathemata.
(*m*) De imperitia, judicii carentia.

que carentiam, quum quis aut philoſophiæ præceptis ſeſe regendum non dedit, quibus æquitatem animi ac placabilitatem ſibi comparet, aut quum judicio parum valet, nec a quoquam facile ſe inſtrui, aut, ſi quando a vero deſciverit, dirigi patitur: cujus generis ſunt mulieres, homines leves, & idiotæ, de quibus omnibus mihi videtur ſcripſiſſe Comicus:

Homine imperito numquam quicquam injuſtius:

imperitum vocans quem ἀπαίδευτον Græci appellant eo in ſenſu quem diximus. Nec enim hoc loco proprie ἀπαίδευτον eum appellari volumus, qui litterarum rudis ſit, ſed qui levitate animi quadam & impotentia non facile ad jus æquitatemque deſcendat, ſed contra malit præjudicatæ ſuæ ſententiæ obſtinatus eſſe aſſertor, quam aliorum opinioni etiam veriſſimæ quicquam cedere. Hac animi impotentia genus muliebre laborat maxime, unde iraſci celer eſt, ὀξύθυμον (*n*) Græcis, iræ impotens, odium facile inflammans, non facile leniens, immo ſæpe ex leviuſculis rebus inimicitiæ perturbationeſque animi contractæ tam alte radices agunt, rerum conceptarum opiniones ita ſeſe inconſtanter ac turbide jactant, ut etiam tametſi fervor concitatioque iſta animi nondum inveteraverit, & tamquam in venis medulliſque inſederit, vix elidi tamen eveliique poſſit. Immo nec quam medicinam aut prudentia, aut temporis diuturnitas omnia molliens afferre ſolet, eam ſibi comparare poteſt. Hanc animi impotentiam Hippocrates in mulieribus animadvertit, non tamquam rem negligendam, ſed ad cognitionem morborum muliebrium apprime conferentem. Dum loquitur de ſpectris, & fugacibus imaginibus quæ perterrefaciunt mulieres, & eas ad ſibi mortem conſciſcendam induxerunt, ita generali hac propoſitione præludit de mulieribus diſputaturus, ἀθυμοτέρα καὶ ὀλιγοτέρα φύσις ἡ γυναικεία, *Mulierum natura fractioris humilioriſque animi eſt*, ſupple, quam virorum: ut mirum non ſit ſi a quavis animi affectione facile concutiatur, ac frangatur. Nam exigua moderatione ac conſtantia quietæ ſunt animo mulieres ut facile moleſtiis tabeſcant, timore frangantur, & ſitienter quid expetentes deſiderio ardeant, & alacritate futili geſtientes deliqueſcant. Contra vero viros, aut mulieres ἀνδροώδεις (*o*) nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exſultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Duo autem reſtant explicanda, unum quorſum paullo ante dictum ſit quaſdam mulieres σωανδροώδεις, id eſt in naturam virilem adoleſcere, ut morum candore, conſtantia, æquabilitateque animi ſuum ſexum mentiantur; ut contra evenit quibuſdam viris γυναικώδεις, *mulierescere* latine reddemus, quum mores muliebres exprimant ac induant; aut quod ſemen muliebre a patre traxerint, aut quod ita vitæ inſtituto ad muliebres mores ſint inſtructi ac informati; hos Hippocrates ἀνδρογύνους (*p*) vocat: quatuorque conſiderat in moribus virorum mulierumque æſtimandis, aquæ & ignis mixtionem, τροφὴν, παιδευσίαν, καὶ συνήθειαν (*q*).

Terentius Adelph. Act. 1. ſc. 2.

6.

Cicero 4. Tuſcul.

Mulierum natura fractioris & humilioris eſt animi. Hipp. l. de virginib.

7.

Hipp. 1. de diæta. In æſtimandis virorum & mulier. moribus 4. conſidera. Aquæ & ignis mixtionem, τροφὴν, παιδευσίαν, & συνήθειαν. Lib. 1. Cic. 1. off.

(*n*) Iracundum.
(*o*) Virilis naturæ.
(*p*) Muliebris & virilis naturæ participes.
(*q*) Alimentum, exercitationem & conſuetudinem.

Posterius autem quod explicandum proponimus, est ut quid ὀξύθυμον (*r*) nomine intelligat, aperiamus. Quod ad prius spectat absoluta omnium demonstratio peti potest *ex libris de diæta*, qui fiat ut ex viris quidam muliebri animo sint, ex feminis quædam quibus clarus, strenuus & inclytus sit animus. Quod vetus Poëta Ennius mollitiem juvenum Romanorum notans, virginum angustum animum objicit:

Vos etenim juvenes animos geritis muliebres,
Illaque virgo viri.
Salmaci da spolia sine sudore & sanguine.

Vel enim semen, quod ab utroque manat parente, femineum est, vel quod a patre superatur a femineo: vel quod a matre masculum est aut contra: sic pro seminum ista varietate mulieres generantur θηλυκάταται vel ἀσθενίζαται, vel θρασύτεραι, vel λυσσεῖαι, vel τολμηρότεραι (*s*). Rationem horum reddit quod anima animæ admisceatur, quod de animato semine intelligi debet. Nam de anima proprie dicta longe aliter sentit *eodem libro* quum ait, ψυχὴ οὐκ ἀλλοιοῦται οὔτε διὰ φύσιν, οὔτε διὰ ἀνάγκλυ (*t*). Eamdem animam sub finem libri φύσιν ἀφανέα (*u*) vocat, de eaque pie sentit, φύσιν ἀφανέα μεταπλάσαι οὐχ ὅιόν τε (*x*). Nunc autem περὶ ὀξυθύμου (*y*) breviter dicendum est, quod hac voce imbecillitatem mulierum significari dixerimus: Galenus τὸ ὀξύθυμον καὶ θυμώδες (*z*) distinguit: ut oxythymum iracundis, pusillanimis, fractioriſque animi hominibus ac mulieribus quadret ut quæ minima de causa excandescant, nec iram coquere ac ferre possint: unde, ait, ὀξύθυμοι (*a*) temperamento sunt frigidiore & δυσδιαφόρητοι (*b*). Τὸ δὲ θυμώδες (*c*) in eos cadit qui elato sunt celsoque animo, qui res despiciunt ac contemnunt, & magnum aliquod facinus audent, non irasci celeres; iis enim facultas vitalis vegeta est, & non facile animum attingit ulla ægritudo, ut mulieribus contingit. Etenim quum pars animosa cum facultate ratiocinatrice contendit, si vincit animosa, & vis ratiocinatrix cedit, quæcumque perturbationes incidunt, illæ ita vim animosam percellunt, itaque facile quatiunt ut omnis judicii vis exsoleſcat: hinc affectiones variæ, audacia, diffidentia, ad iracundiam proclivitas, furiosa concitatio & temeritas, & præcipitatio quam Galenus προπέτειαν vocat. Sin vis ipsius rationis urget, si optimis disciplinis instructa, assuetaque, recto judicio ac opinione prædita, ad objectas rerum bonarum malarumve imagines non movetur, sed huic vis animosa paret ac obedit: & motus sunt quieti, placidi, æquabiles. Sin ratiocinatrix infirma, rerum inexperta, pravis moribus imbuta, sine recto judicio,

Com. in par. 78. 2. l. 1. Ep.

Ut ὀξύθυμος & θυμώδης (d) distinguantur.

Cap. 1. l. 5. de locis aff.

Lib. de arte parva.

(*r*) Iracundum.
(*s*) Mulierosissimæ, vel infirmissimæ, vel audaces, vel animosiores.
(*t*) Anima non alteratur, nec secundum naturam, nec secundum necessitudinem.
(*u*) Naturam obscuram.
(*x*) Obscuram naturam permutare impossibile est.
(*y*) De iracundo.
(*z*) Iracundum & animosum.
(*a*) Iracundi.
(*b*) Ægrè perspirantes.
(*c*) Animosum.
(*d*) Iracundus & animosus.

dicio, ſed cum opinatione quadam & aſſenſione imbecilla, tum facile ad res objectas animoſa impellitur ac cietur, & ab iis percellitur ac occupatur. Nec abs re ex Platonis opinione Galenus animoſam vim equo conferebat, rationalem autem ſeſſori; Si robuſtus ac peritus ſeſſor equum regit, & *In libris de placitis.*

Fingit equum tenera docilem cervice Magiſter
Ire viam quam monſtrat Eques. *Horat. lib. 1. epiſt. 2.*

Sin imperitus & regendi ignarus, eum equus vincit, rapit ac ſuccutit. Idem facultatibus prædictis convenit. Porro pro cordis temperatura commotiones aliæ ſunt atque aliæ, ut Galenus plane docet: atque inter cetera oxythymiam accommodat iis quibus cor eſt calidius, & quibus humidius citra calorem manifeſtum. Sed utrique facultatem rationalem, ut ſic loquar, imbecillam aut per ſe, aut prava inſtitutione habent. Nam quum nulla rerum peritia eſt, & nulla diſciplinarum ſemina, quæ rationi vim & ornatum afferant, iſta facultas διὰ τὴν ἀπαιδευσίαν (*e*) motus violentos animoſæ facultatis poteſt cohibere nullo modo & ſedare. Atque ita περὶ ἀπαιδευσίας (*f*) judicamus, de qua ante ex Galeni ſententia dictum eſt. Si cor humidius oxythymiam, iram præcipitem ſignificat, ſed quæ placari facile poſſit: contra quum cor ſiccius, ira non eſt præceps, ſed fera & implacabilis. Et quod mirum τῷ ὀξυθύμῳ τὸν λήθαργον (*h*) opponit: ut λήθαργος ſignificet pigrum, tardum, iraſci neſcium, ſocordem, quem nulla res plane movet, utpote lapidem bardumque: ὀξύθυμος autem eum ſignificet qui concitato ac feroci animo aliquatenus eſt. Etſi ὀξύθυμον generaliter tunc a Galeno in eo libro accipitur: ſic quantum ex libris Hippocratis venari poſſumus, & ex ſententia Galeni tribus modis ὀξύθυμον ſumitur: Primo modo pro omni vehementiore ac concitatiore animi impetu, cui opponitur vel λήθαργος, vel ἀθυμία (*i*). Secundo modo pro iis qui quum ſint δυσδιαφόρητοι (*k*) & frigidiore temperamento præditi, celeris præcipitiſque iræ ſunt, & facultatem ratiocinandi imbecillam habent & ἀπαίδευτον (*l*): opponitur huic ὀξυθύμῳ τὸ θυμοειδὲς (*m*) ex Galeni opinione. Tertio modo eoque admodum notando ὀξύθυμον pro ira acerba præcipitique nec non excandeſcentia, non ob ſolam rationis imbecillitatem, ſed animoſæ facultatis vim, ſumitur, unde ſæpe in μανιώδη θρασύτητα καὶ προπέτειαν (*n*) abit. Ex Galeno hujuſmodi ὀξυθυμία (*o*) temperiei cordis calidiſſimæ argumentum eſt: quod ex Hippocratis libris deſumtum eſt: *quibus vena in cubito pulſat, ii furioſi ſunt iræque præcipitis*, Græce ὀξύθυμον καὶ μανικὸν legitur. Significatur ubertas caloris in corde, & facultatis ipſius vitalis incendium quod manifeſtos arteriarum motus, & palpitationes afferre ſolet opinione Galeni. Illam ſententiam Hippocratis

8. *Lib. de Arte parva.*

9. *Com. in par. 78. ſect. 2. l. epiſt.*

In Arte parva.

Lib. 2. Epid.

(*e*) Propter imperitiam & judicii carentiam.
(*f*) De imperitia.
(*g*) Iracundiæ.
(*h*) Iracundo pigrum.
(*i*) Pigritia vel ſocordia.
(*k*) Ægrè perſpirantes.
(*l*) Imperitam.
(*m*) Iracundo animoſum.
(*n*) Audaciam maniacam & præcipitantiam.
(*o*) Iracundia.

Com. in aph. 65. lib. 4. Cap. 8. l. quod animi mores.

cratis idem auctor abunde explicat docens qui fiat ut anima mutetur a corporis temperamento. Ac de oxythymo dictum abunde est. Et nemo quærat cur passis velis solventes non statim remigaverimus in portum, quum institutum fuerit nobis de peculiari mulierum natura, & temperamento aliquid litteris tradere. Verum enim est quod Hippocrates 1. *part. sectio.* 3. *lib.* 1. & morborum diagnosin ex communi & peculiari temperamento & natura petiverit: & idem viam muniturus ad disputationem de mulierum morbis, ait potis non esse morborum cognitionem assequi nisi individui quoque natura percipiatur: qua sola ratione nobis admirandam τέκμαρσιν (*p*) ab uno Hippocrate inventam ac excultam comparamus. Non enim sufficit nosse mulierem esse frigidam temperie sua, sed ἰδιοσυγκρασίαν (*q*) quædam venanda fuit ut opus perfectum absolutumque redderetur. Ac quum tot tantisque morbis genus mulierum implicetur, explicata illa ἰδιοσυγκρασίᾳ mulierum, quærendum fuit an id peculiari temperamento dandum esset, an non etiam moribus, vitæ instituto, & animi perturbationibus, quæ ad proclivitatem in morbos maxime conferre solent, ut ex iis quæ postea explicabuntur abunde aperietur.

Hipp. Epid. Lib. de virginib.

In lib. de diæt. acut.

10.

ANNOTATIONES.

1. *Hippocrates ut omnium bonorum auctor est, ita brevissimis verbis amplissime & amplissimis verbis brevissime causam explicat, cur mulierum morbi tam difficiles & periculosi sint, & quod Medicos lateant, immo sæpe in his Medici decipiantur. Vide* lib. 1. de morbis mulierum.

2. *Hæc omnia nostro marte comparaveramus: Sed contigit horum demonstrationem legere apud Hippocratem* lib. de Alimento, *ubi ex professo de aptitudine in morbos ex raritate & densitate corporis disputat.*

3. *Contra* cap. 2. lib. de diutur. & brevit. vitæ *Aristoteles maribus vitam longiorem tribuit, vid.* cap. 5. hujus lib.

4. *Langius* epist. 23. lib. 1. *multis rationibus contendit uterum non esse animal, sed illum proprietate sibi congenita, ut & ceteras partes, res suaves sequi: contrarias vero adversari.*

5. *Hippocrates* lib. de superf. *docet in virginibus dum supprimuntur menses, uterum moveri, verti, & ad viscera ascendere. Quod an sit verum, videbitur. Idem* lib. de superfetatione & lib. de locis in homine scribit sub finem: Nec enim existimo tam actu moveri, quam ab eo secundum ductus communes, aut non pervios efferri aliquid, quod prout has illas partes attingit, ita istius aut ἀναφορᾶς, *aut* καταφορᾶς (*r*) uterus auctor esse dicetur.

6. *In corde duplex facultas, una vitalis proprie dicta, altera* θυμοειδὴς, animosa *latine reddi potest, vel* animus, *& ait Galenus* τὸ θυμοειδὲς σύμμαχον τῷ λογιστικῷ γίγνεται (*s*).

7. *Locus*

(*p*) Cognitionem conjecturalem.
(*q*) Proprietas individualis.
(*r*) Ejectionis per superiora, vel inferiora.
(*s*) Animosum cum ratione pugnat & decertat.

7. *Locus eſt præclarus* lib. de locis, aëre & aquis *de Aſiaticis qui & ad mulieres poteſt accommodari, quo docet Hippocrates otioſam vitam, æqualitatem temporum, & quum variæ mutationes non ſeſe offerunt, efficere, ut homines ſint evirati, manſueti, timidiores: quæ omnia mulieribus maxime contingunt.*

8. λήθαργος *pro ſtupido, tardo, pigro ex Zenodoto, & 3. de morb. Hippocrati* λήθαργοι *pro neſcio qua affectione ſumitur.*

9. *Eo in ſenſu Galenus* comment. in partic. 11. ſect. v. lib. 6. Ep. *citat ex Hippocrate oxythymian ad bonum corporis habitum comparandum, ut in iis qui præpingui ſunt abdomine, conferre.*

10. Capite quinto hujus libri *ex ſententia Hippocratis in* libro de glandulis *&* lib. 1. de muliebribus morbis *docemur, mulieres ob mollitiem, raritatem & fluxilitatem morbis obnoxias: nam ſpongiarum inſtar facile partes molles aliquid admittunt.*

CAPUT IV.

An ſit in mulierum morbis τὸ θεῖον (*t*) *& cur hæc* πραγμάτεια (*u*) *privato nomine mulieribus dicata ſit.*

NEque vero mulieribus hæc πραγμάτεια & commentatio privato nomine dicata eſt, quod earum morbi pondere ac numero morbos ad viros pertinentes ſuperent, aut quod abſtruſior latentiorque muliebrium ſit morborum indagatio, quam virilium: nam utriſque ſua eſt calamitas, & peculiaris morbis natura. Quamquam ante demonſtratum eſt, præterquam quod peculiares in mulieribus morbi exſiſtant, hoc accedere quod diutius foveantur ob vernaculam earum infirmitatem, & ſæpius advocentur ob nativam ingenii imbecillitatem quæ illas ad arcendas morborum tempeſtates minus tutas reddere conſuevit. Atque in hoc negotio pertractando dux auctorque fuit Hippocrates qui ſe in commentationem de virginum & mulierum affectibus conjecit, nil peculiare de virorum morbis ſub certo titulo ſcriptis tradens. Nam quod quis ex inſcriptione lib. περὶ φύσεως ἀνθρώπου & περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον (*x*) colligat Hippocrati conſilium eſſe de virorum morbis commentari; is ſuam ipſius inſcitiam manifeſtabit, quum nomen τοῦ ἀνθρώπου (*y*) promiſcue ad marem & feminam pertineat: & vere quidem quicquid illis libris complexus eſt, ad utrumque accommodavit. At libri περὶ γονῆς, περὶ ἑπταμήνου, περὶ γυναικείας φύσιος, περὶ ἀφόρων, περὶ γυναικείων (*z*), & id genus alii, etiam idiotis perſuadent Hippocratem

Multum differt curatio morb. mulebr. & viril. ait Hipp. l. de morb. Mul.

(*t*) Aliquid divinum.
(*u*) Commentatio.
(*x*) De natura hominis & de locis in homine.
(*y*) Hominis.
(*z*) De genitura, de partu ſeptimeſtri, de natura muliebri, de ſterilibus, de morbis muliebribus.

pocratem multa voluiſſe peculiari nomine poſteris relinquere de mulierum morbis, ſive ſteriles eſſent, ſive virgines, ſive aliter affectæ. Quæ omnia eo commentus mihi eſſe videtur ut admirabile humanæ procreationis opus, in quo præcipua Naturæ auctoritas ac dignitas conſpicitur, proſequeretur: eo enim induſtriam ſuam direxit Hippocrates ut evolvendis illis libris liquido conſtare poteſt. Quæ vero cauſæ nos impulerint, præter eam quam diximus, velle nos ea re Hippocratem imitari, ſunt & aliæ non negligendæ. Ac primum quidem in hominibus Hippocrates τὸ θεῖον (a) cauſam ſtatuit, deinde mulierum naturam, & colores: quod notandum admodum eſt: nam κατ' ἐξοχὴν (b) ex principiis generationis noſtræ mulier eſt in qua & naturam, & χροὰς, id eſt, colorationem conſiderat. Tametſi vir ſeu maſculus energiam ipſam conferat, nimirum ſemen impertiens cui inſit vis ciendi movendique, tamen quia mulier nutricatum præbet in hominum generatione tamquam quid præcipuum ſpectatur. Nam a nutricatu ipſo indicatio ſumitur & conſervandi corporis, & a morbis, ſi qui adſunt, afferendi ac liberandi; ſiquidem Medicus, ut artifex ſenſualis, iis ſpretis quæ a ſenſu ſunt, quorum tamen cognitio plurimi faciunda eſt, ad ea ſeſe accommodat quæ ſub ſenſum magis cadunt. Quomodo Hippocrates neglecta elementorum cognitione, morborum & ſanitatis cauſas non ab ipſis primis ac generalibus principiis repetit, ſed ab aliis, nempe acri, ſalſo, dulcique & hujus generis aliis: quod idem nunc agit & mulierum naturæ & colorum rationem habens. Ut enim concedi poſſit marem motus principium eſſe, quod in primis obſervandum foret, tamen ex Galeni opinione ita de muliere ſentire oportet, ut quod ab ea confertur, ſive menſtruum ſit, ſive ſemen, non ſolum materiei rationem habere dicamus, ſed & facultatis: maxime autem in virili ſemine facultas eſt, in menſtruo cauſa materialis. Et quod notandum maxime, licet initio generationis ſemen muliebre, ut pote materiei rationem tenens, virili ſemine inferius ſit: contingit tamen, Galeno teſte, ut ſemen illud imbecillum ſibi menſtruum tamquam ſocium adſciſcat: unde quod initio erat infirmius, novem menſium ſpatio menſtrui favore ac ſocietate fruens, tandem aut virili æquale aut ſuppar redditur: quæ ratio acute excogitata eſt. Revera enim menſtruum, ut placet Galeno, generationi non eſt accommodatum: hujuſque fidem facit prima naturæ molitio, in qua id totum quod apparet lacteum eſt ac ſpermaticum. Sunt tamen & ſeminis muliebris & menſtrui in generationem maximæ opportunitates: ut non abs re Hippocrates & mulierum naturam, & colores, & divinum in hominum conſtitutione obſervari velit; ut inanis objectio eorum videatur qui ideo fruſtra mulierum naturam ſpectari contendant, quod opinione Galeni eadem & mulierum & virorum natura eſſe videatur, & eadem fere temperies. Scribit enim diſtingui penes partes generationi dicatas, cæterum idem eſſe, ut ſoli calori diſtinctio tribuenda ſit qui validius in viris foras promit partes, in mulieribus medio velut opere ſubſiſtens idem præſtare

Hipp. l. de Nat. mul. in homin. τὸ θεῖον in muliere & nat. & χροὰς conſiderat. 1.

Lib. de vet. med.

Cap. 2. l. 2. de ſemine.

Sub finem c. 2. l. 1. de ſemine.

14. de uſu par. Gal. in l. 2. de ſem.

Hipp. ſub finem lib. de Natur. pueri in viro & maſculum & femin. ſemen ſtatuit: in femina & maſcul. & femin.

(a) Divinum.

(b) Per excellentiam.

ſtare nequit. At longe aliter ſentit auctor idem (ac miror tantum virum tam ſui diſſimilem eſſe) maris & feminæ diſtinctionem non petens ex iſta excluſione aut concluſione partium, quum, inquit, toto corpore ac temperamento diſtinguantur: Virorum corpus calidum, compactum, perſpirans, rarum tamen: mulierum frigidum, molle, effeminatum, minime difflabile: Paullo quidem acutius alio loco ſexus diſtinctionem petit, non quod abſolute ſemen καθ' ὅλου (*c*) altero ſit robuſtius, ſed quod κατὰ μέρος (*d*) contingat unum altero ſuperius eſſe: unde id foras in mare explicatur, quod in feminis concluſum latet. At facile eſt eum qui rerum diſtinctiones noverit pugnantes diſſidenteſque has opiniones componere: quum nemini dubium ſit quin hujus rei diligens quæſtio Galeno multum negotii dederit, & ejus mentem in varias partes traxerit. Porro quum naturæ mulierum meminerit, videtur abs re colorum quoque meminiſſe: ſed ut artifex ſenſui addictus univerſali naturæ inſpectione contentus non eſt, ſed peculiarem in colorum obſervatione rationem habet. Quod duabus de cauſis præſtitiſſe viſus eſt. Ac prius quidem ut humorum dominatus dignoſcatur, dictante Hippocrate, *conſentaneum eſt talem eſſe corporis colorationem, quale eſt alimentum*, id eſt ſuccus in venis contentus, & *contra*: & alio loco τὸ χρῶμα τῷ χυμῷ ἐστὶ (*e*); Poſterius autem ut ex colore de moribus & totius corporis habitu, quem φύσιν καὶ ἕξιν (*f*) Hippocrates vocat, liquido conſtare poſſit. Unde verum illud, mulieres ſubalbidæ humidiores ſunt, fluidiores, & nigræ flavæque duriores ac adſtrictiores: & ex glabritie aut pilorum abundantia de temperamentis judicandum cenſet Galenus. Nunc autem περὶ θείου (*g*) aliquid litteris mandari poteſt, quum non parum referat quid hoc nomine velit Hippocrates: forte quum τοῦ θείου καὶ γυναικῶν (*h*) meminit, aliud nihil expreſſit quam quod ab Ariſtotele dictum eſt, ſol & homo hominem generant: nomine θείου (*i*) ſolem comprehendens, nomine γυναικῶν hominem; ſed de mulieribus expreſſe dictum eſt ob eas, quæ ante explicatæ ſunt, cauſas. Hippocrates aërem ſub nomine οὐρανοῦ (*k*) comprehendit, & τὸ θεῖον (*l*) nomine οὐρανοῦ: ut & aër dicatur cælum & divinum. Itaque quum ἐν ἀνθρώποις θεῖον (*m*) tamquam cauſam agnoſcit, cælum aëremque ipſum intelligit, cujus maximæ ſunt opportunitates ad ſanitatem juxta ac morbum: ab iiſdem enim eſt ſanitas ac morbus. Ac in eo ſenſu idem auctor tria morborum principia mira arte ac methodo proſequitur, violentiam, plenitudinem ſeu humorum πλησμονὴν & φορὰς (*n*), item & cælum. De cælo ita ſentit, ut ab eo morborum occaſio naſcatur, quum quæ a cælo ſunt inepte nobis accommodantur: quod præſertim de manifeſtis qualitatibus audiendum eſt, a quibus corpus noſtrum varie afficitur, ut *in aphoriſmis* & *alio loco* paſſim

Cap. 6. lib. 14. de uſu partium.
Cap. 5. l. 2. de ſemine.

Eod. cap.

Qualis color in cute efflo-reſcit, talis humor ſub cute deliteſcit.

Part. 29. ſect. 4. l. 6. ep. 2.

Lib. de humorib. vide com. in aph. 2. l. 1. Partic. 31. l. 2. de diæt. acut.

Hipp. l. de mul. nat. In phyſicis. Cap. 5. l. 2. temper. & in arte parva. Unde l. de natur. puer. Hipp. quamcumque humiditatem cæro attraxerit, ei ſimilem capillum eſſe oportet.

(*c*) Univerſaliter.
(*d*) Particulariter.
(*e*) Color ſucci eſt.
(*f*) Naturam & habitum.
(*g*) De Divino.
(*h*) Divini & mulierum.
(*i*) Divini.
(*k*) Cœli.
(*l*) Divinum.
(*m*) In hominibus divinum.
(*n*) Plenitudinem & impetus.

demonſtratum eſt. Immo morum nonnullam informationem ab ipſo cælo ac aëre petit Galenus, multis efficiens argumentis corporis temperamentum mores ſequi: quod idem duobus ſuis principiis, igne & aqua, ingenioſe adumbravit Hippocrates. Quoniam autem in mentionem περὶ θείου incidimus, tametſi ab inſtituto curſu deflectere videamur, non alienum tamen erit pluribus id explicare. Jam enim demonſtratum τὸ θεῖον in hominum generationem ac conſervationem concurrere: Item & cælum, quod non inepte, ἐν τῷ θείῳ (o), comprehenditur, unum eſſe ex morborum principiis: nunc quæri optimo jure poteſt an illud θεῖον, quod prius concurrere diximus, vim aliquam nanciſcatur in morbis aut producendis, aut gignendis, aut occultandis: vidimus enim digladiantes ea de re auctores, nec adhuc quiſquam hanc controverſiam diremit. Ac eo maxime conſilio de divino agendum putamus, quod certo noverimus inter diſputandum de morbis mulierum, oblatum iri occaſionem quærendi περὶ θείου, quod forte diſputationis tunc inſtitutæ filum incideret ac interrumperet. Nec enim dubitamus in multorum mentibus jampridem opinionem hanc inveteraſſe ac conſenuiſſe, quod ex morbis qui genus muliebre exercere ſolent, plerique divini ſint, occulti, quorum origo ad Deos referatur: quod an verum ſit videndum, ne ſi falſa ſit opinio, longius evagari & ſerpere ſinatur. Magni enim intereſt ad hominum ſanitatem conſervandam ſcire an quoddam morborum genus divinum ſit, an non. Etenim in arte medendi ita ſe ſe gerere oportet ut admirationis potius quam rerum exactæ indagationis ratio non habeatur, alioqui cum idiotis, quibus omnia θεῖα (p) videntur, repueraſcentes & inſanientes nullos eorum morborum attingemus, quorum cognitionem facile non aſſequemur, immo pro deſperatis relinquemus, ſatis officio noſtro factum dicentes, ſi quid habere divini vulgo proponamus. Qua τῷ θείῳ admiratione contenti, peſſime de noſtris hominibus merebimur, a quorum cervicibus infeſtantes morbos aptis ad id remediis non depellemus & avertemus.

Sectio 2. l. 1. Epid.
τὸ θεῖον explicatur.
Hipp. l. 4. de morbis.
Lib. 3. aph. & in l. de aere, locis.
In l. quod animi mores.
In lib. de diæt.
Com. in par. 7. l. 1. Progn.

Part. 8. & 9. l. 1. de diæt. acut.
Quid in morbis τὸ ὀξὺ καὶ θανατῶδες.
Par. 9. l. 1.
Com. in aph. 43. l. 4.
Com. in par. 29. ſect. 1. l. 6. Ep.
Notandus locus.

Hippocrates in morbis duo agnoſcit τὸ ὀξὺ (q), καὶ τὸ θανατῶδες (r). Τὸ μὲν ὀξὺ genus morbi acutum, infeſtans, ſignificat, ut febrem ardentem, peripneumoniam, lethargum, & alia id genus, quæ naturæ vim afferant, brevique periculum creent; τὸ δὲ θανατῶδες, ut λοιμώδης νοῦσος (s), (ſic enim vocat *in lib. de acutis*) malignam vim deſignat, & quæ in totius ſubſtantiæ diſſidio conſiſtat: non quod in febribus continuis, quæ nihil peſtilens habent, non inſit quædam κακοήθεια (t), & prava diſpoſitio ex mente Galeni, ſed illa excellentia a peſtilentium morborum vi maligna evincitur: quod plenius a Galeno demonſtratum eſt *in Epidemiis* quum peſtilentes morbos & febres cum febribus aliis confert: *febres peſtilentes*, ait, *per excellentiam* σηπεδονώδεις, id eſt, putredinis, *ab aliis febribus diſcrepant.* Nam quum in partibus extimis calor manifeſto non appareret, tamen

(o) In Divino.
(p) Divina.
(q) Quod eſt acutum.
(r) Et quod eſt mortale.
(s) Morbus peſtilentialis.
(t) Malignitas.

tamen inteſtinum erat incendium, in peſtilente febre tempore Galeni vagante: quod ſymptomaton genus adeſſe ſolere Thucydidis teſtimonio confirmavit. Et quum uno loco τὸ ὀξὺ καὶ θανατώδες ſpectaſſet Hippocrates, in prognoſticis τὸ θεῖον, καὶ τοῦ νοσήματος ἰσχὺν (*u*) in morbis conſtituit, quæ verba diſcrepant, ſed eodem tamen referuntur. Sic τὸ θεῖον in morbis λοιμώδεις, καὶ ἱερὸν, καὶ θαυμαστὸν, καὶ μέγα, καὶ οὐράνιον (*x*), appellare poſſumus eodem fere in ſenſu: quum his nominibus aliquid latens & ad cognoſcendum difficile comprehendatur: idem quoque ſubindicat *in libris de natura humana* quum morborum originem a diæta & ſpiritu repetit. Nomine ſpiritus aërem, quem vivendo quiſque ducit, intelligit, a quo νοσερὰ ἀπόκρισις, id eſt exſpiratio quædam morboſa derivatur multos e medio ſimul ademtura. Nam quum multi uno tempore, uno morbo capiuntur, illius cladis aërem cauſari oportet, ait Hippocrates, quod tamen Galeno non probatur, ut qui objiciat ob communis diætæ vitium in Æno morbum vulgariter eſſe graſſatum quum nil tale aër committat. Sed Hippocrates illo loco de morbo ait, & quatenus eſt ἐπιδήμιος (*y*), cælitus immiſſus, & peſtilens. Nam quum multi eodem morbo implicantur, nec loci infamia id facit morbos ἐνδημίους (*z*) pariens, de quibus alio loco Hippocrates, nec diæta, morbus vulgaris dicitur; quum autem clades & interitus inde ſequitur, peſtilens dicitur: quamquam Galeno nomen λοιμοῦ (*a*) peculiarem nullum morbum ſignificat. Ac περὶ θείου (*b*) ita cenſet Hippocrates *in Prognoſt.* ut conſiderandum eſſe dicat, an in morbis θειόν τι (*c*): & illius accurate præſenſio tenenda eſt, ut ſibi Medicus laudem ac commendationem quærat. Galenus in commentariis diverſas auctorum de divino opiniones commemorat, ac duas præſertim, quas ut vanas confutat. Alii enim dixerunt ideo τὸ θεῖον (*d*) in morbis dici quod aut omnium aut quorumdam morborum origo diis tribuenda ſit: alii, quod divinum dicatur de quo certo aliquid non tenetur, utpote cujus cauſa lateat. Utrique ab ſcopo aberrant. Quod ad priores, ex germanis libris Hippocratis docet eum numquam in ea opinione hæſiſſe, ut morbos ad Deos referat, quamvis eorum cognitio cauſaque lateret. Sed quum morborum occultorum, ut vulgo videbatur, meminit, conſuetudini loquendi communique, ut ajunt, foro conſulens, morbum ἱερὸν, θεῖον (*e*) dicit, additque, ὡς καλέουσι (*f*), ac ſi non tam manifeſta aſſenſione tritam jam vulgatamque ea de re hominum opinionem recipiat, quam occulta cogitatione eamdem refellat. Unde Scytharum ſterilitatem, ob ſectas pone aures venas ad cedmatis præcautionem, ab idiotis hominibus diutius immitti ſolitam, negat divinum quid eſſe: ſed ſi quid divinum ſit, par jus eſſe reliquis morbis. Unde concludit omnia eſſe divina, & nil altero eſſe divi-

Thucydides. Hipp. 3. par. l. 1. prognoſt. τὸ θεῖον καὶ τῷ νοσήματος ἰσχὺν in morb. conſtituit.

Par. 2. l. 2. de nat. humana, & Plin. l. de flatib. ubi præſertim morbos peſtilentes ab aere petit.

3.

Com. in par. l. 2. de nat. hum.

Com. in par. 13. ſect. 4. l. 5. Epid.

Lib. de aere, locis.

Com. in par. 20. ſect. 3. l. 3. Epid.

Com. in par. 3. l. 1. prognoſt.

Variæ de divino opiniones.

Cap. 11. l. de loc. aëre.

(*u*) Divinum & morbi robur.
(*x*) Peſtilentiale, ſacrum, mirandum, magnum, & celeſte.
(*y*) Epidemicus.
(*z*) Endemios.
(*a*) Peſtis.
(*b*) De Divino.
(*c*) Aliquid Divinum.
(*d*) Divinum.
(*e*) Sacrum, divinum.
(*f*) Ut vocant.

nius: ſed tamen abſque natura nihil fieri aſſeverat. Et *libro de ſacro morbo*, quem Galenus Hippocrati attribuit, jubet valere opinionem eorum qui morbos ſacros aut divinos putant. *Nulla re*, ait, *morbus lunaticus aliis divinior aut ſacratior videtur: ſed naturam eamdem cum reliquis habet. Et divinitatem morbis plerique attribuunt præ admiratione & experientiæ carentia, quod nihil in reliquis morbis ſimile comperiant. Non ego puto corpus hominis a Deo inquinari, ſordidiſſimum a puriſſimo: Quum Deus ſit qui peccata noſtra purget & liberatio noſtra exiſtat*, hæc Hippocrates: quod pietatis pleniſſimum eſt. Et pie magis alio loco Medicos ad cultum Dei hortatur, ut qui in curandis morbis Deorum opem ac auxilium appellare debeant. Itaque omnes morbi divini ſunt, nec magis febris tertiana quam aut epilepſia aut apoplexia ut placet Hippocrati. Tamen neminem latet ulciſcendi cauſa Deos iratos morbum immittere; ſed præſertim ultricem Dei manum homines agnoſcunt, quum qui morbus immittitur vix opem medicam recipit, immo ante multos e medio tollat, quam legitimum præſidium quæratur: unde divinitus contagionem peſtilentem in exercitum Græcorum gliſcere Homerus tradidit:

Com. in par. 3. l. 1. prognoſ.

Lib. de dec. ornatu.

Lib. de Jac. morb.

Hom. 1. Iliad.

Λητοῦς, καὶ Διὸς υἱός. ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθείς,
Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὄρσε κακήν. ὀλέκοντο δὲ λαοί.

id eſt *Latonæ & Jovis filius. Hic enim regi iratus*
Morbum per caſtra excitavit malum, peribantque populi.

Poſterior opinio περὶ θείου (*g*) fuit eorum qui illud divinum appellari vellent, cujus cognitio abſtruſa occultaque foret. At Galenus ex eo convincit eam non eſſe Hippocratis mentem quod illius divini velit nos præſenſionem ad unguem tenere: nec enim eſſet credibile Hippocratem ejus præſenſionem proviſionemque commendare quod nullatenus homines aſſequerentur. Et ſi periodorum in morbis certa ratio reddi non poteſt, aut dierum criticorum in acutis, non propterea tamen idipſum θεῖον dicetur. Itaque jubendi ſunt valere neoterici quidam qui confingunt morbos quoſdam divinos, ac in eorum errorem incidunt quos Hippocrates confutat. Si eorum ſcriptis fides adhibenda, omnes morbi ut divini habebuntur, & ſi divina origo eſt, θεράπειαν (*h*) quoque divinam eſſe oportebit. Sic admirandi partibus nobis relictis, jam vacandum erit & conquieſcendum: & tamquam mutæ perſonæ in medicinali theatro modos faciemus, nihil præterea attentantes, ſed ſoli Deo, id quidquid eſt, relinquentes. Immo iſti neoterici quum divinitatem morbis affingunt, quod periodorum, & motus cauſa ſit in obſcuro, omnem medendi artem contaminant, & in longe diſſidentes opiniones præcipites ruunt. Nam auctor *lib. de abditis rerum cauſis* negat putredinis proprietatem ratæ certæque circuitionis cauſam, immo ne putredinem quidem agnoſcit in febribus putridis, quia evicta omni putredine febris putrida etiam manet, ut ſcripſit auctor ille; & tamen alio loco periodorum ſtatarum cauſam ad proprietatem putredinis refert. Satius eſſet ſi ſecum ipſe non diſſentiret, quam obſcuras illas

Lib. de ſacro morbo.

Lib. 2.

Lib. de febribus.

(*g*) De Divino. (*h*) Medicationem.

illas causas cum discentium incommodo tam diligenter indagaret. Galenus longe aliter de divino sentit, ut ad aëris varias constitutiones attendat quæ morborum parentes sunt, ut *ex aphorismis* sciri potest. Ac si dicat Galenus, quum mundus hic inferior a superiore regatur, & corpus varias mutationes ob ambientem suscipiat, non solum ἐπιδεκτικοῦ (*i*) ratio ad innumeros agnoscendos morbos tenenda est, sed & ποιητικοῦ (*k*): inter causas efficientes autem aër sive cælum primas tenet. Et quum τοῦ θείου (*l*) præsensio commendatur, hoc Hippocratis consilium videtur ut temporum præteritorum, præsertim & futurorum ratio ineatur ad bene & prudenter de morbis præsentiendum: quod idem Galeno videtur in commentario. Sed nos & aliud adjungemus: non solum divinum illud de alterationibus, & vicissitudinibus temporum intelligi debet (nam id vulgares quidem homines latet) sed & de defectione, & alienatione eorumdem: quod quum contingit, morbi pestilentes, malignique oboriuntur, qui præ ceteris aliquid latens & reconditum habent. Nam & pepasmi ἀδυναμίᾳ (*m*) sunt funesti, quum humores invadentes a maligno, & spirituum dissipatione, quum pars animabilis occupatur, & partium solidarum corruptione, quum illæ obsidentur. Simpliciter autem ἐπιδημίοι (*n*) dicuntur & mali quum ab alteratione tantum temporum oriuntur. De utroque modo intelligere videtur Hippocrates *in prognosticis sub finem* fere scribens, oportet τὰς φορὰς, id est, impetus, incitationes, & ἐφόδους (*o*) morborum vulgo grassantium dignoscere, nec non temporum conditionem; hoc aphorismo illud divinum in morbis adumbratur. Κατ' ἐξοχὴν (*p*) autem in defectionibus temporum θεῖον (*q*) intelligemus, quum morbi qui inde nascuntur communem aliorum sortem superant, Medicorum operam ludunt, quos multorum periculo sæpe sapere oporteat. Occultus autem morbus non dicetur quum aërem cælumque tamquam causam & πρόφασιν (*r*) habeat, sed quod venenatæ qualitatis ingenium & species non intelligatur: unde morbi κακοήθεις (*s*) dicuntur, omnibus remediis rite comparatis nihil pæne cedentes. Eo autem attentiores in iis dignoscendis nos esse oportet, & quod sensum omnem cogitationemque nostram decipiant, & homines incautos tollant, & si eorum vim accurate tenemus, curandi præsentiendique omnis ratio nobis erit in parato. Sic divinitas in morbis æstimanda, non autem nescio quibus portentosis figmentis involvenda, quæ feriandi potius, & a morbis curandis temperandi occasio erit, quam in eorumdem diagnosin, therapian & prognosin incumbendi. Atque disputationis utilitas orationem nostram, longius quam constitutum esset, produxit, sed tandem recipere nos oportet in primam stationem, ne rerum ordo & series confundatur. Id, de quo institutus sermo erat, ut ratio redderetur cur privato nomine de mulierum morbis ageretur: primaque rei hujus

Lib. 3. aph. & l. de aëre & loc.

5.

Arist. 1. met. Ad cognoscendos morbos & ἐπιδεκτικῆ & ποιητικῆ ratio habenda.

6.

(*i*) Causæ suscipientis.
(*k*) Causæ efficientis.
(*l*) Divini.
(*m*) Impotentiâ.
(*n*) Epidemici.
(*o*) Incursiones, invasiones.
(*p*) Per excellentiam.
(*q*) Divinum.
(*r*) Occasionem.
(*s*) Maligni.

Multis iisque justis de causis muliebris hæc commentatio ab auctore suscepta est.

causa assignata est, quod Hippocrates naturam mulierum unam in hominum constitutione causam considerasset. Adjectum quoque est quod peculiaribus morbis mulieres implicentur quorum cognitio Medicis laudem ac præmium conciliaret. Potest & illud addi, quod quum propagationis sationisque humanæ cura sit habenda ob varias quæ incidere solent difficultates, ac præsertim abortiones, mulieri privatim consulendum sit. Quantum enim ad id faciat, pluribus ante demonstratum est. Ac præsertim cautio summa adhiberi debet; quod sæpe contraria sint momenta rationum medendi quæ a feta aut fetu petantur. Unde nil in virorum morbis tale contingit, in quo tam anceps dubiaque sit periclitatio, & in quo duri ac crudelis reatus conscientia innocens Medici officium aliquando maculetur. Nam coguntur alias perseveranti malo cedere, alias periclitanti gravidæ unius partus jactura salutem mercari etiam ancipitem. Nec omittendum quod quidam ex recentioribus non inepte scribit, Medicis gloriosum esse ac fructuosum morborum muliebrium cognitionem ac scientiam diligenter assequi, quod mulieres Medicorum tubæ vulgo esse soleant. At fortuna, ait Galenus, sæpe non contemnendam laudis occasionem & argumentum Medicis porrigit, qua ignari Medici ob imperitiam uti non possunt. Ac de maris & feminæ distinctione dictum est, quomodo in morbos proclives sint mulieres, de earum ingenii imbecillitate, præterea cur hæc commentatio muliebris πραγματείας (*t*) nomen circumferat. Nunc de temperamento earum, ac utero dicendum est paucis.

1.
2.
3.
4.
5.

Gal. lib. de loc. aff. c. ultim.

ANNOTATIONES.

1. *Accommodate ad ea quæ hic dicentur*, *Hippocrates* lib. de natura pueri, fetus & augmentum & alimentum a matre petit. Et ut se juxta sanitatem ac morbum habet mater, ita & fetus. Itaque mulieris ratio habenda maxime. *Addo & illud, uno tempore, nempe initio, vis seminis virilis apparet, & per totum tempus sanguinis muliebris vis. Et morbi qui contingunt, maxime ob nutrimentum contingunt, & velut ad menstruum pertinent. Sed qui morbi ob semen vitiatum contingunt, non ita sæpe ac facile se produnt.*

2. *Et Galenus* lib. de sang. miss. ex *colore mulierum non sumit occasionem aut secandæ venæ tantum, aut scarificandi.*

3. *Hippocrates* lib. de flat. *rationem reddit, cur in pestilenti flatu non omnes pariter pereant quum communis sit aër, quia ait*, Corpus a corpore, Natura a natura, Alimentum ab alimento differt.

4. *Hippocrates* initio lib. de sacro morbo *ait a circulatoribus, & arrogantibus hominibus, qui popularem auram venari cupiunt, nomen τῦ θείου in morbis fluxisse.*

5. *Hippocrates* lib. de aëre, locis, & aquis *docet cur Scythæ inter se dissimiles non sint, quod nimirum aëris tempestates non evarient: nam, ait, tempora*

(*t*) Pragmateias.

tempora diſſimilia corruptiones & malignitates inferunt in ſemen, ſimilia contra. Quod etiam de ſanitate & morbo debet intelligi.

6. *Quibus rationibus M. Tullius portenta & divinationem tollit* libro 2. de divinatione: *iiſdem & τὸ θεῖον* (*u*) *in morbis, eodem modo quo & Hippocrates* libro de aëre, locis, aquis, *tollere oportet, ut nil divinius altero eſſe, & nihil ſine natura fieri contendamus, verba hæc ſint Ciceronis*: Quicquid oritur, qualecumque eſt, cauſam a natura habeat neceſſe eſt: ut etiam ſi præter conſuetudinem exſtiterit, præter naturam tamen non poſſit exſiſtere. *Cauſam igitur inveſtigato in re nova, atque admirabili ſi potes. Si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuiſſe ſine cauſa: eumque errorem, quem rei novitas attulerit, naturæ ratione depellito.*

CAPUT V.

De Mulierum temperamento.

ATque de mulierum natura ita hoc loco diſſerendum eſt, ut inanes quæſtiones miſſas faciamus, quarum explicatio tametſi nonnihil conferre videatur, cogendus tamen orationis curſus, ne nimii in re minimum neceſſaria videamur. Et tamen de natura ita agendum, ut quum remedia tractabuntur, peculiari ſexui accommodentur. Generalior quidem hæc erit tractatio, ſed quæ explicatione individui in privato de mulieribus tractatu, in aliquas anguſtias cogetur. Omnino autem mulier viro frigidior eſt, ut quæ in ſuo genere calidiſſima ſit omnium, viro etiam frigido frigidior exſiſtat. Ita enim per comparationem rerum temperies æſtimanda eſt, vel ut res cum ſeipſa conferatur, vel cum iis quæ ſui ſunt generis, vel cum iis quæ alio in genere continentur: quod temperamentorum examen primus attigit Galenus; hoc autem dicendum fuit ne rerum ordo ac ſeries confundatur, quum ſæpe contingat videre mulieres quæ & ingenio, & actionum celeritate, & colore, & charactere, & mole, & habitu corporis temperamentum virile, calidumque exprimant: contra vero viros qui omnibus iſtis ſexum muliebrem exprimant ac præ ſe ferant. De ingenii quidem mollitie in viris ante dictum eſt, nunc autem corporis temperiem narrare conſilium eſt. Itaque genus mulierum temperamento frigido præditum eſt, atque ita præditum, ut tale natura eſſe neceſſum fuerit: nam quoniam in propaganda humana procreatione alimentum ac nutricatum erat ſuppeditaturum, nil fuit opus tantopere calorem elucere qui triplex ſubſtantiæ effluvium promoveat, omneſque alimenti reliquias conſumat, ut nil ſuperſit quod alendo fetui eſſe poſſit. Quæ ratio primum a Galeno artificioſe excogitata eſt. Ita autem ſcribit in ſuis commentariis: *Oportebat*, inquit, *quamdam eſſe feminam; nec veriſimile fuiſſet partem totius generis noſtri dimidiam ab opifice*

In genere mulier viro frigidior.

1. de temperamentis.

Cap. 6. l. 14. de uſu part.

(*u*) Divinum.

fice Deo inchoatam tantum ac mancam effectum iri, niſi hanc imperfectionem utilitas non contemnenda proxime fuiſſet conſecuta. Fetus magna eguit materiei copia, non ſolum ad primum ſui rudimentum, ſed & ad augmentum & toto tempore reliquo nutrimentum: proinde aut neceſſe fuit geſtantis mulieris proprium alimentum ſubſtrahi, aut aliquod ſuperfluum ſuppeditaſſe. Nil ſuperfluum fuiſſet, ſi exquiſite calida mulier extitiſſet: nam diſcuteret, ac deſiccaret. Itaque eatenus eam frigidiorem exſiſtere convenit, quoad alimentum coctum confectumque totum non diſcuteret ac digereret: nec enim omnino frigida, quod ne alimentum coqueret quidem: nec calida, quum majoris diſcuſſionis metus eſſet. Et quæ in muliere frigiditas fuit moderata, neutro exceſſu ſeſe proferens, commoditatem alimenti ſuperflui, & partium intus reconditarum, foras præ caloris imbecillitate non promiſſarum & explicatarum videtur attuliſſe. Sanguinis autem menſtrui ex ſe in corpore vitioſi non exſiſtentis commoditatem magnam eſſe, præter quam paullo ante demonſtratum eſt, aliis quoque locis clarius manifeſtiuſque eſſe poteſt: immo ſolum ſanguinem generationis principium videtur Galenus ſtatuere: hujus hæc verba: *Quoniam id exiguum eſt, quod in uterum, ſemen projicitur, ipſum autem alitur ex ſanguine ac augetur, ſic parum abeſt quin particulæ* (omnes) *ex ſanguine formari videantur; quatenus autem ſemen ipſum etiam ex ſanguine generatur, eatenus ſiquis ex ſanguine fetum generari dicat, verum dicere videatur.* Hippocrates autem à ſanguine menſtruo fetui & augmentum & alimentum ſuppetere ſcribit, eoque fieri ut eodem modo fetus in lucem editus in valetudine ipſa afficiatur, quo & mater dum utero geſtaret. Quum autem in procreatione ipſa & genus, & forma & ſexus ipſe conſideranda ſint, principium quidem generis animalis ex ſubſtantia ipſa eſt, formæ autem ex ſeminis agitatione & motu: ſexus autem ex ſeminis & menſtrui temperatura, ut ſcripto reliquit Galenus. Quibus rationibus eorum opinioni ſatis eſſe factum credimus, qui mulierum temperamentum abſolute frigidum eſſe autumant: non enim bene coquerent, & excrementis multo pluribus abundarent: nam ſi te hæc ratio in eam opinionem trahit ut abſolute frigidas mulieres credas, quod ſanguine ſuperfluo abundant, qui alioqui facile diſſiparetur ſi calor aliquis vegetus foret, cur non pari jure viros ſubfrigidos colligas, quum ſemine benigno tertiæ coctionis excremento ſuperfluant? Si calor in viris tantus coquendo ſufficit, cur non & dirigendo? ſanguis enim menſtruus & ſemen id inter ſe commercii habent quod utrumque ſit excrementum, utrumque benignum, utrumque ſuperfluens, & in caloris copia aut morbi longitudine facile diſſipabile, ſola officinarum varietate diſtinguuntur; ſi menſtruum inopiæ caloris argumentum eſt, cur non & ſemen? Nec mulieri diuturno morbo afflictæ, aut ægritudine tabeſcenti, aut jam ſenio confectæ ſanguis ſuperfluit, ut nec viro capulari, aut diuturnitate morbi conſumpto, ſemen, ut & ab iiſdem cauſis ſemen & menſtruum ſuccreſcere, turgere, adoleſcere, ac ſuperfluere videantur, & deleri, diminui ac deeſſe. Itaque non inde colligas mulierum temperamentum frigidum, quod menſtruus ſanguis ſuperſit, quem digeri diſſiparique eſſet veriſimile, ſi calor multus foret: menſtruam enim eſſe neceſſe fuit, ſi uterum erat geſtatura,

Gal. ibid.

Com. in part. 27. l. de natur. hum. & c. 2. de elementis.

Hipp. l. de nat. pueri.

Cap. 5. l. 2. de ſemine.

Menſtrua eſt mulier quia uterum erat geſtatura, ex

geſtatura,

ſtatura, ut pluribus demonſtravit Hippocrates: commoditatem ad id maximam attulit temperies paullo frigidior quam ſit in viris. Quamquam aliis locis non quærit eam commoditatem Galenus ex temperamento aliquanto frigidiore, ſed potius ex eo quod mulieres tum menſtruis abundent quum non amplius in augmentum mulierum ſanguis conſumitur. Si enim frigiditas ſanguinis menſtrui proventum commoditatemque ſuppeditaret; cur non ſenes grandævæque mulieres menſtruæ fiant, in quibus tamen par eſt & ſanguinem adeſſe ſatis multum: quum præterea frigiditas ipſa difflatuſque prohibitio ad id juvare poſſit? At nec ſeniores, nec virgines menſtruas moleſtias perſentiſcunt. Quum autem maribus hæmorrhagiæ, & mulieribus menſtrua iiſdem fere ætatis partibus contingant, & ab iiſdem cauſis fere, Galeno auctore, juvenibus profuſiones ſanguinis non eo contingunt, quod plus ſanguinis generetur, ſed quoniam in augmentum minus conſumitur: quia enim ſanguis & nutritioni & augmento præſto aderat, idem ſoli nutritioni ſatisfacit, unde fit ut quæ pars augendo erat, ea ſuperſit. Plenius autem *in lib. de uſu partium* iis verbis omnia demonſtrantur. *In declinantibus mulieribus quod earum vires langueant, alimentum non probe coquitur, quo fit ut cum iis bene agatur ſi ſibi ſolis conſulant. In iis quæ augentur, vires quidem conſtant, ideoque alimentum benignum coquunt plurimum, quod quum nutritioni & auctioni ſufficere oporteat, ſuperfluum nihil relinquit. In ſolis itaque ætate florentibus, ceu augeri deſinentibus, & viribus valentibus, magna benigni alimenti eſt affluentia.* Et tamen in iis maxime quæ ætate florent calor eſt vegetus, ſi alias umquam: & perſpiratus facilis; Sic non prohibita difflatio, non frigiditas, ſed ſola copia ſanguinis, qui non conſumitur in auctionem, menſtruas mulieres efficit. In virginibus autem quia quicquid eſt, totum in auctionem & nutritionem abſumitur, nil menſtruum eſt: eaque ratio multo mihi probabilior videtur illa quam Hippocrates adſtruit; quum vaſorum anguſtiam cauſam eſſe ait cur juvenculis menſtrua non adſint, ut nec ſemen pueris maſculis. Contra enim Galenus *in ſexto Epid.* demonſtrat in pueris vaſorum eſſe & laxitatem & capacitatem, quo fit ut in eorum veſica potius σύναγμα (x) (lapidis coagmentationem voco) generetur, quam in viris. Et quum de temperamento mulierum controverſum ſit, alias Hippocrates ſtatuit mulieres viris calidiores, alias frigidiores tum ex ſe, tum ratione vitæ inſtituti: nam otio ſeſe magna ex parte dedunt. Ita enim *in libris de diæta*: mulieres humidioribus & pigrioribus diætis utuntur, & caliditatis purgationem ex corpore ſingulis menſibus faciunt. Quo loco frigiditatem mulierum colligit ex vitæ inſtituto, & excretione rei calidæ, ſanguinis nimirum menſtrui. Quæ an probabilia ſint, alii judicent. Nec enim veriſimile videtur periodicam menſtruorum profuſionem mulieres frigidiores efficere, niſi immoderata ſit. Quemadmodum & illud a communi ſenſu alienum videtur, quum alio loco ſcribit coitionem calefacere tum propter laborem in contactu ſuccuſſuque,

ſanguinis autem exſuperantia ne colligas mulier. eſſe frigid. temperamentum. Hipp. l. de nat. pueri.

Com. in aph. 28. lib. 3.

Com. in aph. 28. lib. 3. Cap. 4. l. 14.

Hipp. l. de genitura.

Com. in part. 11. ſect. 3. l. 6. Epid.

Lib. 1. de diæta.

Hipp. 2. de diæta. Ariſt. contra ait l. de diuturnit vitæ animalia proclivia ad libi-

(x) Collectio.

dinem & ſemine abundantia brevioris eſſe vitæ c. 2.

Hipp. l. de corde.

Illo loco ſanguinem cum arterioſo ſanguine confert, ideoque illum frigidum eſſe ait facta cum hoc comparatione.

Hipp. l. de aëre & locis, & l. de genitura.

Vide com. in aph. 2. lib. 6. Hipp. 1. de morb. mul.

Lib. de glandulis ſub fine.

ſuque, tum propter frigiditatis excretionem: frigiditatem vocat corpuſculum frigidum, nempe ſemen. Quis autem ex veteribus tam abſurdus umquam fuit qui ſemen tenui ſubſtantia & aërea plenum ſpirituque turgeſcens, frigidum dixerit? Sed quoniam veterum ſcripta benevole candideque ſunt interpretanda, ne potius noſtram ignorantiam detegamus quam veterum, *ex libro de corde* explicationem hujus rei venabimur. Hippocrates illo loci, ait ſanguinem non eſſe natura calidum, nec aliam aquam, ſed caleſcere. Ita & ſemen ex ſe calidum non eſt, ſed caleſcit; id eſt, Hippocrates in aqua frigiditatem agnoſcit, & ideo quæcumque aquea ſunt aut natura, aut συςάσει, id eſt, conſiſtentia, ea frigida eſſe dicentur, quod calorem tantum mutuata ſint aliunde, & quem mutuo calorem conceperint, eum facile deponunt, atque ita frigiditatis primariæ fiunt participia. Sic aqua quia ſanguis communicat frigidus dicetur, facile enim refrigeſcit ad ſenſum: item & ſemen. Effuſum enim ſemen glaciei ſimile eſt ad ſenſum tactus & viſus, & facile evaneſcunt ſpiritus quibus turgeſcebat, & inops, languens, ſubfrigidumque manet. Numquid etiam ſpermaticæ partes frigidæ ſunt, & cerebrum frigidum a quo tamen magna ſeminis copia derivatur? Sectio venarum poſt aures in hamaxobitis hujus fidem facit. Atque ita divini auctoris verba ſunt accipienda, non in contrarium ſenſum detorquenda. Atque eo modo accipienda ſunt ea quæ de calore mulierum, raritate, & teneritate ab eodem Hippocrate ſcripta ſunt, quæ iis quæ communi ſenſu percipiuntur e regione adverſa eſſe videntur. Idem enim ſcribit in libris *de Morbis Mulier. Dico mulierem rariore præditam carne quam virum: nam a ventre trahit humiditatem & citius & magis quam corpus viri.* Et poſtquam eorum demonſtrationem attulit, ſubdit: *habet mulier ſanguinem calidiorem, & propterea calidior eſt quam vir.* Et alio loco dum comparatur vir cum muliere: *Mars*, ait, *compactus eſt, ac denſus, mulier vero rara, laxa, mollis, quare humiditatem non remittit id quod laxum & molle. Juvat & eam mollitiem otium & ſegnities.* E quibus colligere poſſis omnino calidam eſſe mulierem, & viro calidiorem: nam & plus ſanguinis & calidioris habet, & rara eſt: raritas autem caloris

1. opus eſſe videtur. Præterea citius augetur crementumque acquirit, quod omnes caloris energiæ & vi attribuent. Sed Hippocrati ſcopus eſt & inſtitutum explicare cur morbis a plenitudine mulieres maxime ſint obnoxiæ. Earum mollities efficit ut affluentis undelibet humoris corpus fiat particeps: idemque earum corpori contingit quod & lanis quæ humiditatem imbibunt facile, nec deponunt. Itaque raritatem & mollitiem mulieribus affingit. Sed ex libris veterum raritatem proprie dictam calori attribuimus, nec non halituum copiæ quæ efficit quominus non ſubſidant reſerata cutis ſpiracula, ut Galenus explicat. Quod ut intelligatur, legenda ſunt quæ *in libris de ſanit. tuend.* ſcripta ſunt: rarum proprie dicitur, cui magna per totum corpus inſunt ſpiracula: denſum, cui eadem parva ſunt. Sed καταχρησικῶς laxum dicitur rarum, & denſum compactum: at longe differunt. De iis dictum ab Hippocrate: *Cutis raritas, ventris denſitas, colligatio cutis, carnium incrementum.* Sic raritas calidis humidisque quadrat auctore Galeno, cum initio quidem: nam pueri calido humidoque

Gal. l. 2. de temper.

Gal. c. 5. l. 2. de temp.

Gal. c. 5. l. 2. de ſanit. tuend.

Part. 1. ſect. 3. l. 6. Epid. Com. in aph. 63. lib. 5. & 14. l. 1.

Cap. 5. l. 2. de temper.

midoque temperamento non præditi ſint; quos πόρους (*y*) habent, eos patentes non retinent, ſed præ mollitie facile conſidunt ac uniuntur eodem auctore. Demonſtratum enim abunde eſt *in lib. de ſimplicibus medicamentis* cutim initio ſibi totam continuam eſſe, ſed tempore reſerari ac perforari. Juvenes autem rari proprie ſunt, quum meatibus ob energiam vimque caloris pateant, ut pluribus a Galeno eſt demonſtratum. At raritas proprie dicta in mulieres non cadit, quum raræ dicantur cutis, id eſt effeminatæ, mollis ac laxæ, ut exigui admodum ſint meatus, & in ſeſe lanarum madefactarum inſtar concidentes (ut mirum ſit cur Hippocrates eas comparet cum lanis imbutis humore & tamen rariores, calidioreſque viris aſſeveret. Sed de raritate improprie dicta audiendus eſt. Horum demonſtrationem manifeſtiorem elicies *ex com. in Epidem.* ubi Galenus explicat cur Hippocrates dicat marem citius concreſcere, conſtitui ac moveri quam feminam: hanc vero citius adoleſcere, ac ſeneſcere quam virum. Ἀσύστατα (*z*) enim videntur, marem citius moveri, conſtitui, concreſcere, & non adoleſcere; quum auctio facilior caloris opus ſit. Et Ariſtoteles quum probaſſet viros magis longævos eſſe quam mulieres (niſi forte ſint ſalaciores majoreque impetu ad libidinem ferantur, quum copia ſeminis abundent; in quo animantium genere mares ſunt ad libidinem procliviores, iis brevior vita eſt quam feminis,) & id argumento eſſe quod mares partibus ſuperioribus ſint amplioribus, feminæ autem inferioribus: in amplitudine partium ſuperiorum caloris potentia elucet: in partium inferiorum craſſitie & mole vis frigoris. Galenus *in Epidemiis* veram rei diſtinctionem affert: nam ait extra uterum mulierem augeri facilius & ſeneſcere ob mollitiem corporis, deſinere vero citius ob facultatis auctricis impotentiam. Nam quæ ſunt imbecilliora per illam ſtatim & cito augeſcunt, ſed ratione ejus imbecillitatis citius deſinit incrementum. Itaque accreſcendi facilitas & in omnem dimenſionem dilatandi ſeſe non ex caloris vi pendet, ſed potius a corporis laxitate & mollitudine. Sic ſeſe facile exporrigit corpus ac expandit. Nec longe diſſentanea ab his ſcripta ſunt ab Hippocrate: *Quum a matre ſecretæ fuerint filiæ, citius quam mares pubeſcunt ac ſeneſcunt, & ſapiunt ob corporum imbecillitatem & vitæ inſtitutum.* Nec mirum ſit ſi τοῦ ἐπιτηδεύματος (*a*) meminerit; quum id plurimi in rerum diagnoſi facere ſoleat Hippocrates. Quum itaque Hippocrates ait, κινηθὲν ἐμολύνθη, καὶ βραδύτερον αὔξεται ſupple τὸ ἄρρεν: *Mas motus celerius moveri deſinit, & tardius augetur*, de auctione extra uterum intelligitur. Et neſcio quid in mentem venerit interpretibus Hippocratis verborum potius quam rerum aucupibus, ut verbum ἐμολυνθη inepte verterint *inquinatum eſt*: tametſi autem μολυνέσθαι (*b*) & conſpurcari, & inquinari ſignificet, non tamen admittenda ea verbi ſignificatio, ſed alio eſt recurrendum. Μόλυνσις (*c*) Ariſtoteli inchoata & non abſoluta elixatio

Lib. de nat. pueri docet quomodo raritas ob excretionem ſeminis contingat. Cap. 12. l. 1. de ſimpl. Cap. 5. l. 2. de temp.

2.

Ex lib. de nat. pueri apertiſſime docere poſſis calidiorem eſſe feminam mare ratione ſuæ cōpactionis.

Lib. 1. de morb. mul. Cap. 3. l. de diut. vitæ, & c. 11. l. 4. & c. 7. l. 9. de hiſt. Animal. Ar. demonſtrationem pleniorem adfert c. 7...9. de hiſt. anim. Maribus part. ſuper. ampliores ſunt, fem. contra. Com. in part. 43. ſect. 2. l. 6. Ep. Hipp. l. de ſeptim. partu. Par. 43. ſect 2. l. 6. Epid. & ſect. 3. l. 2. Ep. Quum Hipp. marem tardius augeri dicit, id de auctione extra uterum intelligendū.

(*y*) Poros, meatus excretorios.
(*z*) Inconſiſtentia.
(*a*) Inſtituti & apparatus.
(*b*) Retardari, moram trahere.
(*c*) Moroſitas, retardatio, pigritia, inertia.

Cap. 3. l. 4. mete.

tio dicitur, inconcoctioniſque ſpecies eſt, quum externum humidum calidius quidem eſt quam ut nulla ex parte movere poſſit humorem in eo quod elixatur contectum, ſed tum eſt imbecillius quam ut perfecte coquere poſſit & ad æqualitatem reducere. Sic μόλυνσις inconcoctionem elixationi perfectæ contrariam ſignificat, ab aliis inquinatio dicitur ut apud Theophraſtum, quo loco Gaza vertit μόλυνσιν moroſitatem, alii inquinationem. Ac forte, ut conjectura aſſequi poſſumus, quum quid in aquam injicitur elixandum, & ob penuriam caloris in humido externo non abſolvitur, ſed inchoatur tantum elixatio, idipſum quod inchoatum tantum eſt, inquinari ſolum dicitur, ac ſi dicas cœpit mutari, & ab incipiente mutatione quamdam caloris maculam contraxit. Hic traductum eo eſt, ut inquinationem ſignificet, ac ſi dicas nil reſtare præter labem ac maculam in eo quod cœpit elixari. Itaque *in illo ſexto Ep.* quum ait, κινηθὲν ἐμολύνθη, vertere non oportet, *inquinatum*: ſed, *quum motum eſt, ſtatim moveri deſiit ac mutari*, ut mari in utero idem contingat, quod rei elixandæ. Nam id quod elixandum eſt, & tantum inchoatur ob inopiam caloris dicitur μολύνεσθαι, id eſt moveri quidem ad elixationem, ſed ſtatim ceſſare; ita qui mas in utero ſtatim movetur dicetur μολύνεσθαι, moveri ac mutari deſinere, ut motus mutationiſque ſit quædam ceſſatio. Et ideo Galenus antiquarum Hippocratis vocum ſedulus indagator explicationem illius verbi obſcuri ex eodem venatur. Nam *lib. 2. Epid.* ſcribit: *Ad aurem ſiniſtram tumor, ſecundo ad dextram, ſed minor, diſparebant hæc* καὶ ἐμολύνθη: *& moveri deſierunt*: interpres vertit male, *inquinata ſunt, & non ſuppurarunt.* Galenus autem ſubdit ἀπόσημα dici μολύνεσθαι (*d*), id eſt, τὸ παύσασθαι τῆς ὀξείας κινήσεως καὶ μεταβολῆς, *qui abſceſſus ſemel motus a cita ceſſat & motione & mutatione*: vel *qui non amplius movetur & mutatur, ſed refrigeratur*, ut ipſe loquitur; ubi verbum ἀποψύχθην (*e*) potius verterem, *exareſcit*, id eſt nil amplius commemorabile apparet. Et *in Prorrhet.* τὸ ὑπώδυνον καταμολύνεσθαι (*f*) Galenus ait ſignificare τῆς ὀδύνης τὴν κατὰ βραχὺ λύσιν, *Doloris ſolutionem ſenſim factam.* Significantius Hippocrates dixiſſet, τὰ ἐπώδυνα ἐξαίφνης ἀφανισθέντα φλαύρα (*g*). De verbis hactenus. Unum reſtat tantum de denſitate & compactione. Denſo rarum opponitur, laxo compactum. Vir rarus eſt & compactus, femina denſa & laxa proprie dicta: quando docuimus aliquando denſum compactum confundi commiſcerique; Hippocrates viro ſolidiorem carnem aſſignat, compactionem: *In lib. de glandulis* πυκνὸν quidem vocat, denſum, ſed minus proprie: nam paullo poſt πάσσον vocat, id eſt, ſucculentum ſolidumque, & ἀσφιγές, compactum cohærentemque. Quæ compactio, cohærentia, ſoliditaſque non prohibet perſpiratum, immo juvat quod mæandri & ſpiracula non ita concidant ut in feminis, quarum corpus ἀραιὸν καὶ χαῦνον καὶ μαλθακὸν, rarum, laxum fluidumque & molle, propterea non

Μόλυνσις & μολύνεσθαι quid.

Hipp. 2. Epid.

Com. in par. 45. ſect. 2. l. 6. Epid.

Cap. 5. l. 2. de ſani. tuend.

Hipp. l. de glan.

3.

(*d*) Abſceſſum dici moram trahere.
(*e*) Refrigeratum eſt.
(*f*) Quod doloroſum eſt ceſſare.
(*g*) Quæ doloroſa ſunt, & de repente diſparent, pernicioſa.

non difflantur; corpus habent craſſum, effeminatum, exuviæque facile ſupprimuntur. Idemque contingit mulieribus quod in humida auſtrinaque conſtitutione, in qua tantum abeſt ut quippiam e corpore exhalet, ut quod cumulatum eſt adaugeatur: caro enim mollior eſt. Ac de mulieribus inſignis locus apud Hippocratem intelligi debet, πρὸς τὴν σαρκὸς ἐυεξίην καύματος φλεγμονὴν ἀνάγκη γίνεσθαι: *Ad habitiorem corporis ſtatum neceſſe eſt conſequi ardoris inflammationem*: præſertim quum corporis raritas non adeſt, ſed laxitas mollitieſque cum mole quadam & denſitate. Nunc de utero eſt agendum.

Com. in part. 8. ſect. 1. l. 1. Ep.

Hipp. l. 1. de diæta.

ANNOTATIONES.

1. *Huc pertinet locus* initio lib. 2. de morbis: carnes rigatæ, & elevatæ & rarefactæ ſanguinem ex venis attrahunt, corpus attollitur & bene coloratum redditur. *Quod mulieribus pote raris maxime quadrat.*

2. *Item nomen raritatis improprie dictum eſt uſurpatum ab Hippocrate* lib. de aëre & locis, *agente de ſenum deſtillationibus, quum ait in auſtrina conſtitutione in ſenibus catarrhos fieri ob venarum raritatem & eliquationes; non quod velit cutim ſenum raram eſſe.*

3. *Si Galenus* com. in part. 74. lib. 4. acut. *liberalius adimit ſanguinem denſioribus, ſolidioribus, minus ſpirantibus; ſi mares ſunt ſolidiores & compactiores, cur non plenius demitur ſanguis? contra Medici mulieribus audacius & plenius ſanguinem auferunt?*

CAPUT VI.

Uteri τὰ σχήματα (h), id eſt ὕπαρξις, conſtitutio, figura, ſitus, conformatio ac cum aliis partibus conſenſus explicantur.

IN corpore duo maxime conſiderari debent τὴν χυμῶν δυνάμις, καὶ τὴν μορίων σχήματα, ſuccorum humorumque per corpus ſparſorum vires, & partium corpus conſtituentium figuræ, conformatio, & ſitus. Quæ duo divus Hippocrates longa ſerie proſequitur ad morborum diagnoſin exactam, repudiato eorum errore qui ſatis in arte medica factum ſibi eſſe putant, ſi phyſicorum generalia de rerum principiis theoremata ad unguem didicerint. Unde non abs re erit ſi antequam ad morbos muliebres noſtra feſtinet oratio, unius uteri τὰ σχήματα, id eſt ὕπαρξιν, conſtitutionem, figuram, ſitum, conformationem ac cum aliis partibus conſenſum explicaverimus, quum ea ſit pars quæ hominem ab homine ſeparet maxime ac ſejungat. Quod Avicennam & alios medendi magiſtros factitaſſe conſtat, ut partium affectiones & πάθη (i) explicaturi, earum naturam ac deſcriptio-

Hipp. l. de priſca medicina. In corpore duo obſervat χυμῶν δυνάμεις & μορίων σχήματα. Cap. 3.

(h) Schemata. (i) Paſſiones.

ſcriptionem ob oculos objiciant. Maxime vero de utero hæc ſciri debent, ut & morborum ab eo naſcentium idea cognoſcatur, & eorum error convincatur qui omnes morbos muliebri generi infeſtos uni utero aſſignant. Ante quidem demonſtratum eſt ex ſententia Hippocratis uterum omnium morborum cauſam eſſe, non quod tamen omnium origo cauſaque ab uno utero repetenda ſit (nam ſæpe in capitis dolore per πρωτοπάθειαν (k) excitato, aut catarrho in fauces illabente uterum inſontem accuſamus, eique innocuo temere, uſu ſolennium remediorum, non ſine gravi moleſtia, pœnam infligimus) ſed quoniam morborum qui κατ' ἐξοχὴν (l) genus muliebre reſpiciunt, & illarum ἰδιοσυγκρασίαν (m) quodammodo ſequuntur ac exprimunt, nec non a communi aliorum morborum, qui promiſcue viros ac mulieres affligunt, conditione deſciſcunt, ab utero uno tamquam a capite arceſſimus: vel etiam quod cauſarum morbificarum vis in uterum ipſum redundet. Ut enim concedamus ob metum, mœrorem, aut infarctum venarum hepatis, ſuppreſſionem menſium contingere, nullo in utero concepto vitio, non diutius tamen immunis erit uterus, contra illius ſuppreſſionis cladem feret aliquam; ſic commiſſi in aliis partibus criminis, ut ſic dicam, pœna tandem utero alias innocuo irrogabitur. Ut autem ante dictum eſt, per ἐξοχὴν τινα (n) uterum morborum omnium in mulieribus auctorem eſſe, ita & de utero unum a Galeno dictum eſt in commentariis, dum de illius conſtitutionibus ab Hippocrate diſputatur: *Corpus*, ait, *totum utero omnino ſimile eſt*: In græco vox τὸ ὅλον πᾶν legitur, quam alii per *omnino*, alii per *fere*, verterunt: idem tamen fere ſenſus ut de verbis non laboretur. Quæ ſimilitudo in duobus intelligitur: in vaſorum conſtructione & excrementorum proventu. Si enim corpus reliquum temperamento frigidum ſit, vaſa anguſtiora eſſe conſentaneum eſt, & proinde obſtructionibus patere, nec non excrementorum proventui: Idem quoque utero contingit: nam & frigidiuſculus eſt, & venarum anguſtiam habet, ſubindeque excrementis & obſtructionibus pervius eſt: nam totum corpus utero ſimile eſt. Alii eam ſimilitudinem non ita intellexere, ſed de conſenſu cum aliis partibus audiri voluere: quum omnibus fere cum corporis partibus uterus conſentiat, ac conſpiret, quod ex magnitudine vaſorum Galenus collegit. Hæc ſimilitudo a nobis explicata numquam alias partibus reliquis tribuitur: nam ſæpe corpus capiti non eſt ſimile, nec caput corpori: Utero autem peculiari modo hoc conceſſum eſt. Uterus, Græcis μήτρα καὶ ὑστέρα, pars eſt mulieris tunica conſtans velut ex duabus dividuis coagmentata, concipiendi gerendique fetus inſtrumentum. Diſtinctos vero duos ſinus & conſpicuos non apparere certum eſt, quamquam id interiore ſenſu ac judicio intelligitur ex iis quæ plurimum eveniunt: ac præſertim ex maris & feminæ diſtinctione. Itaque Galenus colligit in diverſis ſinubus marem ac feminam coagmentari, illum quidem in dextro, quod ad dextram uteri partem ſanguis repurgatus per renes, ad ſiniſtram impurus

Hipp. l. de locis in hom. *Uterus ut dicitur cauſa morbor. muliebr.*

Com. in aph. 62. lib. 5. *Corpus ut eſt ſimile utero.*

Com. in par. 1. ſect. 1. l. 6. Epid.

Uterus quid.

Diſtincti in utero ſinus nulli apparent. *Com. in par. 44. ſect. 2. l. 6. Ep.*

(k) Per primariam affectionem.
(l) Per excellentiam.
(m) Idioſyncraſian.
(n) Excellentiam quandam.

impurus ac ſeroſus affluere cernatur. Nec impedit ſitus cordis quin ad ſiniſtras ſeroſus irruat, quum ſitum ſit in medio corpore ad ſiniſtram minimum devergens. Hippocrates certis argumentis illam ſinuum diverſitatem ex geminorum procreatione convincit. Ac ne quis in nomine τῆς ὑςέρας (o) decipiatur: ſciendum nomen ὑςέρα, καὶ ὑςέραι ϖ ὑςερῶν, uterum, & uteros paſſim apud Hippocratem ſignificare: Idemque ſpecie nomen ὑςέραι, ὑςέρων, καὶ ὕςερα, lochia, & ſecundinas ſignificat; hanc accentuum varietatem in genitivo ὑςέρων Galenus affingit, ut unum pro altero non male accipiatur. Ita enim apud Hippocratem pro caſu lapſuque ſecundinarum, græce ϖ ὑςέρων ἔκπτωσις dicitur, non autem ὑςερῶν: alioqui de utero intelligeretur. Et inepte admodum Leonicenus vertit, τὰ ὕςερα, *uteros*: quum proprie τὸ χωρίον (p) ſignificetur. Non inepte minus dicunt qui ϖ ὑςέρων ἀντὶ τῆς μήτρας, καὶ ϖ λοχίων (q) ſumi volunt. Sed grammaticos tantum agunt. De vocum proprietate hæc dicenda ſunt, ne rerum cognitio obſcuritate verborum confundatur. Uterus porro nervoſam ſubſtantiam an habeat, quæſtione dignum eſt: ea enim de re controverſia mota eſt inter veteres. Ac primum nervus non eſt, nec tendo, nec ligamentum ut ex Galeno ſatis patet: itaque reſtat ejuſdem naturæ eſſe cum veſica, pene, & ventriculo. Alias videtur Galenus nervoſam ſubſtantiam in utero agnoſcere, alias eamdem repudiare. Evertit enim eorum opinionem qui perſpicui conſenſus uteri cum cerebro cauſam, ad illius nervoſam ſubſtantiam referrent. Eſt enim proprium (ajunt) nervoſarum partium ut cerebro nervorum principio conſentiant. At Galenus ex eo iſtum conſenſum evertit, quod ſi uterus conſentiret cerebro, quia nervoſus eſt, potius peritonæo & ventriculo conſentiret, utpote partibus utero vicinioribus quam ſit cerebrum utero: at hoc non fit: in quo tollit dogma de nervoſa uteri ſubſtantia. Tamen alio loco dum Hippocratis aperit ſententiam de noxa quam mulieribus oxymel affert, ideo contingere id ait, quod uterus ſit nervoſus. Frigida autem, præſertim quæ tenuium partium ſunt, nervoſis, frigidis, & exſanguibus corporibus ſunt infeſta: Uterum enim nervoſum eſſe in immenſam molem dilatatio, & in anguſtum contractio demonſtrat: Ventriculus quidem cibis impletus expanditur, ſed non in omnem partem ut uterus: plurimum autem dilatari contrahique nervoſorum corporum proprium exiſtit: unde nervoſam uteri ſubſtantiam neceſſario convincas. In *Epidemiorum commentariis* ne cogatur fateri conſenſus uteri cum cerebro neceſſitatem inde ſequi quod nervoſus ſit uterus (nam generis ſocietate συμπάθεια (r) fit) recurrit ad vaſorum amplitudinem. *Num* (inquit) *præ ceteris corporis partibus plurimæ maximæque utero venæ conceduntur*, unde fit ut quæ febres ab utero ſunt, moleſtiarum pleniſſimæ ſint, linguamque habeant admodum fuliginoſam ac nigricantem: quod ſi venas amplas habeat, arterias quoque haud abſimiles habere neceſſum eſt. Negat

Hipp. de diæta.
Gal. c. 4. l. 14. de uſu part.
Nominis ὑςέρας explicatio.
Aph. 49. lib. 5.
Com. in aph. 35. lib. 5.
An uterus nervoſus.
Com. in par. 1. ſect. 1. l. 6. Epid.
Com. in part. 30. l. 3 de diæt. acut.
Com. in par. 1 ſect. 1. l. 6. Ep.
1.
2.

(o) Uteri.
(p) Chorion.
(q) Secundinas loco matricis & lochiorum.
(r) Sympathia.

Negat autem plane nervoſam ſubſtantiam habere, ſed ait, ſecundum corporis ſimilitudinem & ἀναλογίαν (s), nervoſa ſubſtantia donati ſunt, non autem ſecundum vim & potentiam nervorum ipſorum. Quo fit ut conſenſus iſte magnus cum cerebro, unde & accidentium & convulſionum, rerumque ſimilium ſumma ſunt omnia, non a nervoſa natura dependeat. Quod autem de diſtenſionis facilitate in uteris dictum eſt, ita audiendum ut id non quovis tempore fiat, ſed præſertim in iis quæ in florente ætate ad concipiendum gerendumque fetum ſunt utiles. Admiranda enim naturæ induſtria, quæ veſicam per omnes ætatis partes augeri voluerit, ut aliquando magnitudine uterum ſuperet, tunc autem uterum magnum eſſe voluit, quum ejus neceſſarius incidit uſus. Sic quoniam matricis nulla eſt commoditas utilitaſve aut in iis quæ adhuc augentur, aut quæ jam conſeneſcunt, ideoque effetæ ſunt, mulieribus in augeſcentibus, & ſeneſcentibus uterus magnitudine a veſica ſuperatur: in perfectis autem mulieribus uterus veſicam ſuperat: quod ex ſecandorum corporum artis demonſtrationibus & oculari fide petendum eſſe Galenus aſſeverat. Et ne plura de utero temere effundamus, ſatius multo eſt ex Galeno repetere ea quæ ad hoc noſtrum pertinent inſtitutum, quam falſa forte opinione rei anatomicæ inſcitia illud contaminare. Et quo omnia conciſius intelligantur, libet ex Silvio Iſagogen, eam quam ex Galeni penu ampliſſimo deſumſit, repetere. Uterus tunica conſtat propria, velut ex duabus dividuis coagmentata, villos rectos intus habente, nec multos tranſverſos, foris plures; obliquos medios plurimos & valentiſſ. Uterum perficiunt tunica altera, venæ, arteriæ, ambarum cotyledones, nervi, cornua, teſtes: per hæc omnia annexio cum vicinis partibus, ſitus, magnitudo, figura, uteri os, collum, & colli os, ſeu ſinus pudoris. Tunica altera eſt nervoſa a peritonæo hypogaſtrii propinquo nata, in recens fetis, ſicut & propria, tenuiſſima; in virginibus, & ſterilibus craſſiſſima. Venæ & arteriæ duplices tribuuntur, priores a ſpermaticis vaſis: dextra quidem a vena cava & aorta, paullo infra renalia: ſiniſtra vero a renalibus: niſi quod ſæpe arteria ab ipſa aorta exit. Venæ ambæ multo majores quam arteriæ, præſertim jam parturiente muliere; hæc vaſa, ramulum quemdam valde flexuoſum teſtibus largita, in uterum abſumuntur, inter duas ejus tunicas varie diſperſa, ſed proprie magis uteri tunicæ hærentia: uti & ſecundæ ſeu & poſteriores quæ partim in uterum aſcendunt, partim in collum deſcendunt, ortæ quidem a ſacrorum vaſorum ramo per oſſis pubis foramen in crus deſcendente. Alia vaſa a renalibus vidit Herophilus, Galenus non vidit. Cotyledones ora ſunt vaſorum in uterum internum penetrantia, quæ aut jam grandiore fetu, aut menſtruis per hæc fluxuris intumeſcunt hæmorrhoidon parvarum modo, ſervata in medio ipſorum orificiorum parva cavitate. Per has utero prægnantis hæret χωρίον (t) paribus ſuorum congenerum vaſorum oribus, tum chorii interventu fetus: & ſic in utero nutritur. Cotyledones in muliere qui negat, Hippocratem negat.

Maximus uteri cum cerebro conſenſus quum ob nervoſam ſubſtantiam, tum ob vaſorum ampliudiné.

Veſica per omnes ætatis partes augeſcit, uterus ſolum quum ejus neceſſarius incidit uſus.

Gal. c. 4. l. 14. de uſu part.

Ex lib. de diſſect. vulvæ.

Silvius Iſagoges anatomicæ lib. 3.

Uteri anatome.

Cap. 5. lib. citati de diſſect. vulvæ.

(s) Analogiam.

(t) Chorion.

negat. Spectet mulieres craſſiore ſanguine abundantes, & recens enixas, eas conſpicuas videbit. Nervi in uterum diſtribuuntur a coſtali & infima rachitide. Cornua ſunt duæ apophyſes a lateribus ad ilia, cornibus exorientibus ſimiles. In duo cornua ſemen muliebre excernitur, & contractæ allantoidis extremitates finiuntur. Teſtes uteri lateribus ad fundum adjacent, minores virilibus, tecti tamen peritonæo, vaſa in hos ipſos cum ſanguine ſpermatico varicoſius educente, tum epididymide, propria tunica: erythroide & ſcroto & carnoſa membrana carent. Immo Galeno auctore, in teſtibus mulierum ἐπιδιδυμίδες (*u*) non ſunt conſpicuæ, ſed vel non ſunt, vel admodum parvæ: nam & teſticulus parvus, & vas ſpermaticon. Ac maris teſtes ſunt humidiores, & molliores femineis: vaſa ſpermatica duriora. Contra in feminis duriores teſtes, vaſa ſpermatica mollia quæ facile in teſtes inſerantur ut epididymide non ſit opus. Cauſa cur feminis teſtes duriores, maſculis humidiores, molliores & laxiores, eſt caloris infirmitas in feminis: imbecillus enim adeo fuit ut diſtendere non potuerit. Quod tamen falſum ante demonſtravimus, quum corpora fluida, laxa, molliaque frigidiora duris ac compactis docuimus. Porro cum partibus ſingulis uterus connectitur: per peritonæi tunicam uterus firmiſſime alligatur oſſi ſacro, ilion, & pubis: per venas & arterias præcipue ſpermaticas & peritonæi ἀπόφυσιν (*x*) has deducentem, magnis vaſis alligatur, & per nervos ſpinæ: per villos tenues recto inteſtino; per alios veſicæ, ſed plures & laxiores: per vincula oſſis pubis & ſacri & lumborum muſculis. In prægnante ſine ullis villis uterus diſtentus attingit præcordia. Magnitudo mediocris uteri eſt undecim digitorum a fundo ad pudendum: ad ilia cornibus extenditur. In utero duplex ſinus diſtinctus per illam tunicæ propriæ in medio glutinationem futura quadam, qualis in ſcroto ineſt, foris deſignatam. Os uteri in virginibus ſterilibuſque eſt glandi virili ſimile: parturientibus & recens enixis adeo patet; ut nil ſuperſit, quin continua cavitas a fundo ad ſinum pudoris appareat. A conceptu contrahitur valde; mediocriter hiat quum ſemen recipit, aut excernit, aut menſes: eſt corpus muſculoſum carne dura ac cartilaginoſa conſtans, in annos occaleſcens. Cunnus eſt os colli uteri, cui cutacea epiphyſis, & pellicula innaſcitur præputio virorum haud abſimilis. Atque ex Galeni auctoritate hæc dicta ſint de uteri figura, ſitu, conformatione & conſenſu cum partibus aliis. Reſtat tantum monere ad uterum, uti & partes ad inferas nervum a ſexta conjugatione pertinere qui ei parti ſenſum impertiat. Cur autem varia nomina ſortitus ſit, nihil fuit neceſſe dicere: a proprietate enim ſæpe induntur: aliquando prout cuique collibuit: ut *in Epid.* Hippocrates uterum ἄγγος vocat, latinè, *vas*, *mulctram*, *conceptaculum*: cur ita, aliorum eſto judicium: immo ejus appellationis cauſa Galenum latuit. Porro quum ex morbis mulierum alii ſint in utero, alii ab utero, alii proprie morbi dicti, alii καταχρησικῶς (*y*) tantum, quum ſym-

Cap. 14. de uſu part.

Ex hoc loco multo calidiores viris docere poſſis.

Hipp. 5. aph.

Hipp. part. 18. ſect. 5. l. 6. Epid. uterum ἄγγος vocat.

(*u*) Epididymides.
(*x*) Proceſſum.
(*y*) Abuſivè.

ptomatωn nomine potius donandi ſint, antequam hæc omnia explicemus, ad fœdos virginum colores jamjam properare inſtituimus.

ANNOTATIONES.

1. *Hippocrates* lib. de morbis *ait uterum partem eſſe teneram & exquiſiti ſenſus, & cavitatem habere nervoſam.*

2. *Galenus tamen* cap. 5. lib. de uteri ſectione *negat adeo magnas eſſe conſpicuaſque arterias, ut ſunt venæ.*

3. *Uterus duplicem habet conſenſum, unum qui fit tum ratione membranæ externæ, tum vaſorum tum ligamentorum; alterum quatenus pars eſt nervoſa & exquiſiti ſenſus: hinc Hippocrates bis hoc dicit* lib. 1. de morbis mulierum, uterus pars eſt tenera & exquiſiti ſenſus, & cavitatem habet nervoſam: Multæ ſunt partes cum quibus ſocietatem habet, ſynciput & ſtomachus. Mens percellitur & improba fit, & non facile intelligit, *loquens de eo conſenſu.*

CAPUT VII.

De fœdis virginum coloribus.

Hipp. par. 17. ſect. 2. l. 6. Epid.

QUum corporis ipſius color vividus nitet ac floret, Græcis χλώρασμα λαμπρὸν dicitur, alimentum corporis a ſua non deſciviſſe natura argumentum eſt. Sin coloris in deterius mutatio deturpatioque cutis contigerit, ſuccos alioqui alendo idoneos labem concepiſſe declarat: hinc illud τὸ χρῶμα ἀπὸ χυμῶν (z): Corporis coloratio ab humoribus eſt, niſi ſeſe intro receperint: & cujuſcumque modi alimentum fuerit, talis in corpore color efflorescit: alimenti nomine pro ſanguine, ſuo ambitu utramque bilem & ſeroſos humores complectente, ſumto. Nam ſanguis proprie dictus, & a cujus exceſſu humorum coalitus conjunctioque ſanguinis nomen meretur, vitioſus non dicitur, nec alio quam rubro colore inficitur, ait Galenus. In virginibus porro, ſive menſes eruperint, ſive jam erupturi ſint, minoribus alias, adultioribus alias, præſertim quum aliquarum voluptatum illecebris illiniuntur, earum fructum opinione tantum adumbratum, non autem re expreſſum magno cum deſiderio ceperint, quoniam flos viriditatis in facie decutitur ac exareſcit, contra illa inficitur pallore; hujus cauſam latenſque principium, & curationem inquirere conſilium eſt. Etſi enim tanti hujus mali, quantum numquam experiuntur, in uno Veneris ludo amplexuque curatio poſita eſt, præſertim quum virgineus fundus colitur, non alienum tamen de iis erit conſcribere, quod Medicorum inſcitiæ ſæpe querulæ matres illius mali, quo ſuas natas diminui ac extabeſcere

Corporis coloratio ab humoribus eſt niſi intro ſeſe receperint. Vide c. 2. lib. 3. de cauſ. ſymp. Hipp. l. de hum. Gal. Com. in aph. 2. l. 1. par. 19. ſect 4. l. 6. Ep. Gal. com. in illam part. 2.

(z) Coloratio humorum.

cere in dies vident, τὸ ἀνίατον καὶ ἀνήκεστον (a) attribuant. Inter ſymptomata a Medicis obſervari ſolita ſunt colorum mutationes magnum ad partium ſubditarum & facultatis naturalis œconomiæ vitium aut integritatem dignoſcendam ſubſidium allaturæ: his enim quaſi ducimur ad ſuccorum diagnoſin, ut paullo ante dictum eſt, & quum diſputaremus περὶ χροιᾶς (b) in mulierum corporibus. Illud enim Hippocratis: *Quamcumque caro humiditatem attraxerit, ei ſimilem capillum eſſe oportet*, non tantum de excrementitio humore, ſed & alimento legitimo intelligendum eſt. Inde autem ſcire oportet colorum obſervationem tanti eſſe, ſive ſit εὔχροια (c), ſive ἄχροια (d), ſive, ut ſic dicam, δύσχροια (e), ut hæc una ad obſcurorum latentium morborum ſedes animo luſtrandas conducat. Quoties enim pravus aliquis color in corpore elucet, ſi rerum externarum occaſionis, quam ἀφορμὴν (f) Græci vocant καὶ φανερὰν πρόφασιν (g), excuſatio non adeſt, vitii aut in humoribus, aut in partibus ipſis reſidentis index eſt & argumentum. Nam quum ea oculis mentis obtineri ſuperarique debeant, quæ oculorum conſpectum effugiant, multi autem morbi in obſcuro lateant, vocis claritatem, tarditatem, colores rerum excretarum & corporum natura juvent, quorum ſubſidiaria opera abdita cognoſcantur, ut præclare docuit Hippocrates.

Ac de fœdis virginum morbis hæc accurate, quoad fieri poſſit, tenenda erunt. Qua cauſa, quo ex morbo, quarum partium propria affectione, an quarumdam, an omnium, an eadem in omnibus ſpecies, an cachexia ſit, an ἀτροφία (h), an neceſſario lædatur lien, an hepar, cur ille potius quam hoc, an uterus ſit, an melancholia: & quæ item ſit tot ſymptomaton cauſa, an potius morbus animi ſit, an corporis: deinde ad therapian accedemus. Ac de morbis ſæpe non eſt facile ſcire quod eorum cauſa in imo lateat omnem Medicorum ſenſus acutiem ſuperans. Quod tametſi vile habetur, in pretio autem quod in ſuperficie poſitum operam manus poſtulat: ad ea quæ vulgo vilia habentur mentis agitatione deveniendum eſt. Nam qui morbi certis ſe ſignis exhibent, eorum forte certa ratio atque ſcientia comparatur: At illa maxima ex parte aut ſunt fallacia, aut ambigua, hinc ab Hippocrate dictum ajunt ſimilitudines bonis & eruditis Medicis imponere. Si qua morbi pathognomonica, eis fides non deroganda. At hic ſæpe hæreas quum alia ἑτερογενῆ, ſive ὁμογενῆ ἢ ὁμοιοσχῆ (i), ut abunde explicat Galenus, apparent, quorum concurſione, græcis συρρομὴ dicta eſt, aliquid tandem ſeſe in apertum prodit.

Ut a re propoſita non diſcedatur: in fœdo virginum colore (qui morbus improprie dicitur) ſigna modo icteri flavi, modo icteri nigrioris elucent, modo ex utroque promiſcuus icterus exſiſtit. Definiunt enim quidam fœdum illum in virginibus colorem per icterum ex flavo nigroque mixtum

Gal. c. 5. l. 3. de ſympt. cauſ.

Cap. 4. hujus libri. Hipp. l. de nat. pueri.

Cap. 5. l. 3. de ſympt. cauſis.

Forte huc referendus locus Prognoſtici in quo de faciei coloribus agitur.

Hipp. ſub finem lib. de arte.

Variæ quæſtiones hic agitandæ de fœdis virginũ coloribus.

Hæc ex initio lib. Hipp. de flatib.

Hoc citat Gal. com. in aph. 2. l. 4. idque ex ſect. 8. l. 6. Ep. Com. in par. 1. l. 1. prorrh. Holler.

An ſit icterus. Hipp. par. 28. ſect. 4. l. 6. Ep. Et Gal. in com.

(a) Incurabilitatem & immedicabilitatem.
(b) De coloratione.
(c) Bonus color.
(d) Decoloratio.
(e) Fœdus color.
(f) Occaſionem.
(g) Cauſam manifeſtam, externam.
(h) Atrophia.
(i) Heterogenea, ſive homogenea & conſimilia.

tum ac vireſcentem. Minora non ſunt argumenta obſtructionis viſceris alterutrius aut utriuſque, a qua icteri origo eſt. Oculorum nativus ſplendor nitorque perit, quorum ob viriditatem & munditiem facilius in illis quam in partibus reliquis aut roboris, aut infirmitatis, aut latentis vitii ſigna eduntur, ut ex eorum intuitu ad totius corporis cognitionem deveniatur. Deinde flatuum proventus non raro adeſt, quem in ictericis quoque adeſſe quidam oculatiores obſervaverunt, idque contra Hippocratis ſententiam: ſed de ea controverſia paullo poſt plenius: ex iis itaque patet quis conſenſus inter fœdum virginum colorem & icterum: ſed in ictero ea frequenter non apparent, immo raro, quæ crebro admodum in virginum deſœdatione. In hac enim acerbiſſimi ſunt capitis dolores, ac maxime in ſyncipite, non tanta in ictero macies corporis, nec anhelitus difficultas quanta in fœditate iſta virginum, non ἀποσιτία (*k*), ſitis, urinarum alias crudarum, alias urinis jumentorum ſimilium, alias aquearum excretio, non ita turbida inſomnia mentiſque a vanis imaginibus perculſio, pavores, timores, plerumque ſuffocationes ac ἀφωνίαι (*l*), ac quod in iis viget maxime gradiendi impotentia, ὀρθοπ@- (*m*) inexplicabilis, ignavia ac torpor, rerum omnium contemptio: denique ſurarum quantus maximus dici poteſt dolor. Quamquam ex iis alia communia ſunt cum icteri ſignis, alia fœdis coloribus propria.

Aph. 72. lib. 5.

Dici poteſt de complicatis affectibus.

An ſit hypochondriaca melancholia. In fœdis coloribus magna argumenta ſunt hypochondriacæ affectionis maxime quod ſitis ſignificat hypochondriacorum comes. Cap 7. l. 3. de loc. aff. Atrophiæ & cachexiæ diſtinctio.

Quemadmodum autem cum ictero ſignorum communicatione conſentiunt, ita & eorumdem ſymptomaton ſetura, & communicatione ad melancholiam hypochondriacam videntur accedere. In utraque enim affectione ſitis eſt (ſiquidem hypochondriacam phlogoſis quædam primarum venarum Dioclis & Galeni opinione committit), oppreſſio diaphragmatis, δύσπνοια (*n*) aliquando, ructus acidi, primarum venarum ἀναδόσεως (*o*) interceptio, ſpectra, alias fugacia, alias fixa, deſperatio ac rerum contemptio, mortis appetitio, immutatus faciei character, dolores capitis & ſtomachi frequentes, gravitas corporis, ſenſio gravitatis in alvo etiam minimo ingeſto cibo, ſitis intolerabilis. Alias cachexiæ, alias ἀτροφίας (*p*) ſigna obſervantur cum pallore & virore quodam. Nec abs re enim atrophiam ab altera diſtinguimus, quod in illa corpus extenuatum ſenſim extabeſcat, in cachexia corpus ſatis tumens & turgidulum. Qui enim ſanguis in atrophia nec concreſcit, nec adhæreſcit & vix ſanguinis nomen admittens, tametſi in cachexia vitioſus, ſanguis tamen appellatur; in utroque affectu vires laborant, ſed in atrophia magis, quod in hac nutritio nulla, in cachexia ſit aliqua: quamquam & atrophia in ſanguinis redundantia eſſe poteſt: & tunc etiam ſectioni venæ locus eſſe poteſt: in quo remedio uſurpando virium maxime conſtantia poſtulatur. In muliere atrophiam obſervavit Galenus ob diuturnam menſium ſuppreſſionem, quum alioqui ſanguine venæ turgerent; ſummus enim erat marcor partibus alimentum obvium reſpuentibus: cujus rei demonſtrationem ponit Hippocrates:

4. acut. Com. in part. 29. ſect. 3. l. 6. Ep. Par. 25. ſect. 4. l. 6. Epid.

(*k*) Cibi averſio.
(*l*) Vocis defectus.
(*m*) Dolor oſſa frangens.
(*n*) Difficultas reſpirationis.
(*o*) Diſtributionis.
(*p*) Atrophiæ.

crates: *Quibus ventres calidi, iis carnes frigidæ, ii quoque vegetiores & iracundiores*: non quod inſtar cucurbitulæ foris intro calor revocetur, ut contingit in lipyriis febribus, ſed quod alimentum in nidorem convertatur, ad parteſque illabens ab iiſdem repudietur: hinc ſequitur conſumtio partim facultate imbecilliore reddita, partim ſanguine corrupto ut Galenus demonſtrat: etſi ipſius ſanguinis ſolum vitium id poteſt committere non concurrente imbecillitate, quum diutius manente vitioſo humore partes imbecillitatem contrahant. Satis enim ex Galeni commentariis patet & extenuationem imbecillitatis cauſam eſſe, & hanc illius pariter cauſam auctoremque exſiſtere, ut acrimonia caloris alimentum corrumpat: corruptio extenuationem afferat, parte tale alimentum non capeſſente, hinc infirmitas. Eadem autem imbecillitas extenuationis cauſa eſſe poteſt, ut præclare de convaleſcentibus diſputans Galenus demonſtravit, ſtatuens diſcrimen inter ἰσχίον καὶ ἐπιδίδοναι (q): *fit*, ait, *ut corpus non bene alatur, neque proficiat alias ex facultatis nutricis impotentia, alias ex pravorum humorum* πλεονεξίᾳ (r). Quæ omnia plenius a nobis dicuntur, quod controverſia ſæpe moveatur de ſecanda vena in pallido virginum colore, quum differat longe an marceſcant nec proficiant aut facultatis imbecillitate, aut alimenti corruptione. Nam ſi venæ turgent, corpus autem macrum eſt, alimenti probi defectio ſignificatur, improbi autem proventus: ad quem tollendum ſectio conferet. Niſi quis forte objiciat ſanguinem quidem mitti debere ſi abundet, & nondum inſigniter in alterius humoris naturam converſus fuerit: nam ſi iſte mutatus fuerit, detrahi non debet, quo fit ut & Galeni factum in muliere extenuata, de qua dictum eſt, condemnandum ſit, & eorum conſilium qui in fœdis coloribus jam mutato ſanguine phlebotomiam celebrant. Sed hæc ad curationem pertinent quam ex profeſſo hic non attingimus.

Com. in part. præced. Com. in aph. 28. l. 2. aph.

Com. in aph. 31. l. 2.

Obiter de ſecanda vena in fœdis coloribus.

Hæc Gal. com. in par. 43. ſect. 3. l. 9. Ep. vid. ſub finem com. de diæt. acut. part. 10.

Dictum porro ante eſt quæ communitas conſenſioque inter fœdos virginum colores & hypochondriacam affectionem, item & icterum, ut vel hepar vel lien, vel utrumque in vitio ſit. Atque utinam & ſagacitate qua & Galenus ſe uſum prædicat in dignoſcenda affectuum ſede ex ſolo colore uti poſſimus, ut fœditate faciei inſpecta de hepate, aut liene conſtaret: ut ad tactum non concurratur, quo Medici plerique abutuntur fatentes ſe contactu hypochondriorum & minimos utriuſque viſceris tumores, & vitia, & obſtructiones cōnſectari: hæc enim ludicra & inania ſunt, ad deliniendum potius Medicorum voluptatibus animum, una corporis mollis, lævis delicatique puellarum contrectatione inventa, quam ut utilitatem aliquam afferre poſſint. Hinc Galenus ait aut ſumme extenuatos eſſe debere abdominis muſculos, aut ingentem admodum inflammationem tumoremque eſſe debere antequam tactu deprehendatur ac manuum appulſu. Et quum plerique fœdos colores cum affectibus ſuperioribus confuderint, ut nec alias cauſas, nec remedia alia quærant, non alienum erit eorum quoque opinionem attexere, qui fœdi coloris originem ex animi pertur-

Reverſio ad inſtit. Cap. 7. l. 5. de loc. aff. Gal. ex ſolo colore judicat de affect.

Cap. 7. l. 5. loc. aff.

An ſit perturbatio animi.

(q) Robuſtum fieri & augeri. (r) Plenitudine.

perturbatione, quam in insano amore constitui volunt, repetivere. Hoc morbo virgines præsertim rerum usu paullum edoctæ sæpe capiuntur ut perdite quosdam opinione pulchritudinis aut reconditæ virtutis depereant: quod quum alias communi in experientia versetur, tum maxime exemplis e Galeno desumptis licet illustrare. Pyladis amor satis indicat quo summe mulier quædam laborabat, ut audito amasii nomine & faciei color mutaretur, & innumeræ in pulsu mutationes contingerent: commilitonum nec nomen, nec victoria quicquam in pulsu afferebat insolens. Docuit quoque Erasistratus qui prudenter elicuit collegitque adamari perdite novercam a privigno suo: uterque in dies tabescebat, nec animo ægro quicquam opem afferebat præter potiundi spem. Affectus hic seu ægritudo seu perturbatio vocetur, Græcis Ἔρως (*s*) dicitur, hinc τὸ ἐρωτικὸν & ἐρωμανία κατὰ τοὺς ἐρομένους, insana in adamatos affectio & propensio: forte aptius ἐρωτολημψία (*t*) dici potest, quum puella ita amoribus inflammatur & æstuat, ita libidinibus pellicitur ut ad insaniam fere adigatur, omni mentis arte præstricta ac retusa. Hujusmodi cupiditas aut insania insidiatrix est, non aperta, in venis, visceribus medullisque recondita, sensim atque sensim corpus tabefaciens ac consumens: ut quædam virgines ἀλυπώτατα (*u*) hinc suum diem obiisse constet. Quo fit ut Homerus Venerem insidias nectentem fingat, eique baltheum tribuat in quo doli essent, & fraudes:

Animos hominum quæ prudentum insidiata fefellit.

Quod si prudentum mens percellitur, multo magis & imbecillarum virginum quarum genus est ἀσθενὲς καὶ ἄθυμον, imbecillum, excors & fracti animi, ut loquitur Hippocrates: quo fit ut tacito latenteque veluti dæmonio agitatæ versatæque virgunculæ, blanditiis multis pellectæ, multa animo versent volvantque, immo extra se sæpe sint, (amor enim animum extrahit ut ex Euripide Galenus demonstrat) indeque velut exsangues emortuæque expallescunt: nam in tanta animi perturbatione fieri non potest quin vitali, naturali, animalique facultati vis inferatur, quod ex melancholicorum animoque perturbatorum exemplis facile discetur. Quod plerosque impulit ut coloris in virginibus fœditatem ab una hac perturbatione repetant.

Atque ex superioribus abunde satis patet promiscuum esse aliquid in virginum coloribus fœdatis ex melancholia morbo, ictero, splenitico affectu, atrophia, cachexia, & eroticis. Nam hæc morbum statuunt ab Avicenna *Iliscin* vocatum, de quo forte postea dicturos nos pollicemur. Quid ergo hic agendum in affectuum, causarum, symptomatonque concursione? An curatio promiscua esse debet, ut nihil hic privatim dicatur, sed curationis partes distributæ ad singula affectuum capita revocentur? Ac mehercules involuta admodum morbi hujus cognitio, ut verum sit quod scribit Hippocrates; *corpus, nec principium nec finem habere*, quod de morborum causis intelligendum, de quibus sæpe dubitamus an his in illis

Gal. c.6. l. de præcog. ad Postium.

ibidem.

Arist. c.6.l.7. Ethic.

Hipp. l. de virginib. Cap. 6. l. 4. de dogmat. Gal. l. de melanch. & in l. de loc. aff.

Conclusio præcedentiū.

Avicennas.

Lib. de locis in homin.

(*s*) Amor.
(*t*) Ab amore captura & illaqueatio.
(*u*) Citra molestiam ac veluti jucundissimè.

illis partibus tribuendæ ſint. Tamen ex communi rerum perſpicientia, ex ætate in qua virgines deturpantur, peculiaribus accidentibus, communique practicorum uſu, ſcriptis veterum venanda ſunt quæ ad inſtitutum pertinebunt. Nemo de hoc affectu aliquid privatim ſcripſit. Quicquid ſit color non eſt naturalis, nitor deperit: hujus tamen variæ ſunt ideæ. In elephantiaſi, vitiligine, impetigine, pſora, lepra, morphea vel continuo defœdata eſt cutis, vel fœdis maculis conſpurcata. Quum cutis non nitet, ſubjectum alimentum accuſamus, aut facultatem, aut utrumque. Hic non includimus alimenta externa quorum vitio, aut præpoſtero uſu aliquid præter naturam obveniat. In actione ſunt hæc abolitio, depravatio, defectio: peſſimum omnium eſt depravatio. In Atrophia actio aboletur: In gracilitate diminuitur, præſertim in ea quæ morboſa eſt, in qua ſpirituum & ſucci alibilis paupertas adeſt. In iis qui e morbis exſurgunt ſi crudorum humorum copia eſt habitus turget: hoc autem a cruditate eſt, & inopia caloris, in hydropicis imbecillitas eſt facultatis: ſed in leucis & elephantiaſi depravata actio eſt, depravatum alimentum. Quamquam quidam volunt eamdem leucorum & hydropicorum eſſe rationem: ut utrique facultatis imbecillitatem conſequantur: tamen Galenus in eodem genere & leucas & elephantem conſtituit. Dicunt ſecundario tantum leucen a depravata actione eſſe ob malum habitum qui apparet alimento in idoneam qualitatem non mutato: at multo aliter in morphea, & lepra. Aut dicemus potius nomen λεύκης (x) preſſius a Galeno ſumi nec ad hydropem extendi proprie dictum; quum hic in crudiore ſucco tantum conſiſtat, illa in depravato & ad elephantiaſin properante: aut in diuturniore tantum leuce cachexiam contrahi, in qua non videtur ſimpliciter deficere actio, ſed depravata eſſe. Leucen vitiliginis ſpeciem ſtatuunt, ut vitiligo in alphon, leucen, & τὸ μέλαν (y) dividatur. In virginibus color alias atque alias evariat, ut aliquando cruditatis, aliquando obſtructionis, aliquando erroris facultatis magna ſit ſuſpicio. Itaque ut remediorum inventio irrita non ſit, hæc tenenda ſunt, quum idem morbus ſpecie in diverſis corporibus varias ideas ſuſcipiat: vereque dictum ab Hippocrate: *Corpus a corpore, natura a natura, alimentum ab alimento differt.*

Examen de iſta cutis fœditate.

Lib. 3. de ſympt. cauſis c. 1.

Vid. com. in part. 17. lib. 2. prorrh. Ibid.

Nunc amplius de iſto colore diſputatur.

Lib. de flatib.

Ac de virginum pallore nunc plenius dicendum. Primum de eo qui jam grandiores virgines prehendit, præſertim quum menſtruæ purgationis tempus inſtat. Quia enim propter inſolentiam fluendi natura conturbatur, non mirum ſi multo ante quam ad eam purgationem natura accedat, multæ mutationes in corpore virgineo molli ac delicato contingant. Accedit quod venarum ſæpe multa ſit obſtructio tum ob pravum victum, tum otioſam deſidemque vitam, quam facile non poteſt vincere ſanguis nondum fluere ſolitus. Sic antequam ſuperfluus ſanguis erumpat mutatio jam obtingit, & quum ſemel eruperit vix ac ne vix quidem periodum menſtruam habet, quæ nonniſi aſſiduitate fluendi comparatur. Accedit quod etiam quibuſdam mulieribus jam nuptis & enixis laborioſe menſtrua erum-

(x) Leuce, albi coloris. (y) Quod nigrum eſt.

erumpunt, nedum virginibus incorruptis. Demonſtratum quidem ante puellas menſtruas non eſſe, quod alimentum in nutritionem auctionemque ſuppetat: nec ſeneſcentes, quod non ſuccreſcat; ſed medias, quoniam qui olim ſanguis in duplex munus conferebatur, idem in nutritionem tantum inſumitur, ut pars reſidua ſit quæ adaugendo corpori erat: ſic neceſſe eſt magnam aliquam evenire mutationem dum ſanguis redundat; ea præſertim parte quæ augendo inſerviebat. Immo in omnium ætatum partibus, ſive per ſeptenarios ſive per alios annos, mutationes ad ſalutem, ad mortem, ad ſanitatem aut morbum fiunt. Hinc illud Hippocratis de morborum ſolutione per menſes aut annos ſeptem: & de iis qui quum ſani diu vixerint, quadrageſimo anno aut eo circa, eſt incidendum in morbum a quo ægre emergunt. Apertius autem idem explicat quum ait vitam noſtram ſeptem dierum eſſe, id eſt, per ſeptenarios annorum aliquid aliud atque aliud in nobis viſitur ac contingit. Verba Hippocratis hæc ſunt: *ſeptenariis annorum quum alia multa inſignia in corporibus fiunt, tum maxime pueris dentes enaſcuntur, ac excidunt.* Quæ omnia facilius in virgunculis apparere debent in quibus tanta fieri debet mutatio ad evacuationem menſtruam, quum duorum ſeptenariorum vis abſoluta eſt. Nam fere poſt decimum quartum aut paullo ante expalleſcunt, & eo magis quo ſalaciores fuerint, & minus libere educatæ, & quæ facilioris ſunt apprehenſionis. Nam multa animo volvunt ac comminiſcuntur, quorum compotes quum non fiunt animo cruciantur, & eas ſperantes non tam exhilarant, quam angunt non potitas. Ad id facit animi anguſtia quæ efficit ut perturbationibus is facile quatiatur; at quantam perturbationes animi corpori mutationem afferant, ſive in rebus ſecundis, ſive in adverſis locatæ ſint, ſatis ex philoſophorum præceptis abunde patet. Atque quod & fœdorum in virginibus colorum, & perturbationum animi argumenta ſeſe edant, non jam viro junctis, delicatis virorum amplexibus omnem ægritudinem veteremque ægrotationem ex pectore ejicientibus, ſed exactis annis quatuordecim & quum hircire ſeu caprire incipiunt, græcis τραγᾶν καὶ τραγίζειν (ut quod Hippocrates maribus & marium teſtibus voce eleganter accommodata tribuit, idem nunc clarioris doctrinæ cauſa, feminis concedatur) immo & quum menſes jam ὁρμὴν τινα (*b*) efficiunt, primus obſervavit Hippocrates: hujus hæc verba ſunt: *A ſpectris quum videlicet quidam dæmones apparere videntur, multi ſe ſtrangulaverunt, plures mulieres quam viri: eſt enim muliebris natura animi magis dejecti. Ceterum virgines nubiles, & maturæ viro hoc magis patiuntur, una cum menſium deſcenſu, antea non valde hinc afflictæ. Nam poſt ſanguis in uteros confluit, velut effluxurus*; horum demonſtrationem ad fœdi coloris perſpicientiam apprime pertinentium paullo poſt ſubdit: *Et quum oſculum exitus non pateat, ſanguis autem amplius influit ac ſe offert, ob cibos & corporis augmentum, tunc ſanguis non effluens præ copia ad cor reſilit & ad ſeptum tranſver-*

Aph. 28. lib. 3. Hipp. de diæt. Hipp. l. de carnib. In ſecundo Epidemiorum aliquis eſt locus de iſto dierum aut menſium numero. Lib. de ſept. part. Vita hom. ſeptem dierum, per ſeptenarios magnæ in corporibus noſtris mutationes contingunt. Cap. 7. l. 14. de uſu part. c. 5. l. 2. de ſem. Com. in par. 25. ſect. 3 l. 6. Quod in marium teſtibus τραγᾶν καὶ τραγίζειν (z) dicitur σφίγγειν (a) apud Hip. l. de ſterilibus dici poteſt de mammarum in puellis intumeſcentia & orgaſmo. Lib. de virginum morbis.

(*z*) Hircire.
(*a*) Turgeſcere.
(*b*) Impetum quendam.

tranſverſum; his repletis cor infatuatur, ex fatuitate torpor, ex torpedine delirium παράνοια dictum. A torpore pedes ad gradiendum ſunt impotentes, donec ſanguis ad ſe redeat. Ex pedibus facile refluit ob rectitudinem venarum: non tam facile ex corde: nam venæ ſunt obliquæ, locus periculoſus, & ad delirium maxime aptus. Hinc horror cum febre πλανήτας πυρετοὺς (c) efficiens: & præ inflammatione inſaniunt, & cetera: *Aliquando ſive ſpectris voluptas quædam adeſt ex qua mortem tamquam ſummum bonum expetunt. Curatio in venæ ſectione, optimum remedium viris cohabitare. Sunt & mulieres viro junctæ idem patientes ac maxime ſteriles.* Quibus omnibus exacte terſeque & morbum, & ſymptomata, & cauſam fœdorum colorum explicat. Nec enim eum neceſſe fuit meminiſſe fœditatis in facie, quum fieri nequeat ut tantis mutationibus ſymptomatiſque virgines opprimantur, quin ſanguinis corruptiones contingant, affecto calore nativo, oppreſſiſque partibus naturæ muniis ſervientibus. Atque ex ſuperioribus verbis quædam ſunt obſervanda quorum ratio quoque teneri debet: primum notat menſium eruptionem præſentem eorum ſymptomaton cauſam: ubi duo obſervare oportet, prius quidem eum deſcenſum per ſe id non efficere, ſed per accidens, nempe ratione μεταπολῆς (*d*) ad eruptionem non aſſuetam & inſolentem: poſterius, nil tale eventurum, ſi quum ſunt in motu cierentur menſes ac effluerent. Deinde quod ait ſubſiſtere ſanguinem, eumque copioſum, duo notari debent. Subſiſtit, ait, ob oſculorum anguſtiam & obturationem, quod idem dixerat Hippocrates in maribus & feminis ſemen & menſtruum non procedere ob anguſtiam venarum: quod a ratione alienum videtur: nam ante demonſtratum eſt ex Galeno quum rationem reddit cur in puerorum veſica potius quam in renibus fiat λιθίασις (*e*), vetuſte magis σώαγμα (*f*), ideo coagmentationem in veſica fieri, quod meatuum libertas, laxitaſque ea ſit in pueris una cum facultatum naturalium robore, ut facile ſine obice ad veſicam uſque craſſa etiam materies pellatur: quæ adverſantur Hippocrati. Si itaque in puſionibus eæ dotes adſunt, cur non & in virginibus annos duodecim natis? Sic credibile vias ſatis patere. Jam vero redundat ſanguis ob augmentum & alimenti copiam, id eſt, quia non tantum alimenti in αὔξησιν (*g*) inſumitur, & tamen nil de cibis ſolitis deraditur deciditurque; non mirum ſi abundet. Si itaque abundat, quomodo ſibi viam non parat? Præterea acrimoniam aliquam habet, ut & in juvenibus quibus hæmorrhagiæ ob calorem acrimoniamque ſanguinis contingunt, ait Galenus: immo idem virginibus menſtruis futuris, quod & juvenibus hæmorrhagiam paſſuris eodem auctore Galeno, ſi acrimoniam habet, viam ſibi munire poteſt. Accedit & naturæ ὁρμὴ ſive ὁρμὴ impetus, incitatioque. Et ſi in pueris & beſtiolis ſuas habet ἐφόδους (*h*), cur non & in virgunculis, ut viis non ita obſtructis, ſanguine copioſo eoque acriore, motus orgaſ-

Hipp. textus explicatio.

Lib. de nat. puer.

Cap. 5. hujus lib.

Com. in part. 15. ſect. 3. l. 6. Ep.

Com. in par. 25. ſect. 4. l. 6. Epid.

Com. in aph. 28. lib 3 cap. par. 3. ſect. 5. l. 6. Epid.

(*c*) Erraticas febres.
(*d*) Mutationis.
(*e*) Lithiaſis.
(*f*) Coagmentatio.
(*g*) Augmentum.
(*h*) Incitationes.

orgaſmique tempore jamjam adventantem facile excretionem moliatur, ſua induſtria a tot miſerandis malis illas vindicatura? Tamen non mirum ſi in virginibus ægre menſes erumpant, quum & vitæ inſtitutum, & torpor, & minimis momentis magni animi motus, proclivitas in iram & tædium, & fluendi inſolentia ad id conferat, quum etiam in jam nuptis pauci admodum effluant niſi pepererint, aut purgationes aliquas immodicas ſuſtinuerint: tunc enim vaſa fluidiora fiunt, ac magis reſerantur, ut accommodate explicavit Hippocrates. Atque inter cetera meminiſſe oportet febrium erraticarum in fœdis virginum coloribus oriri ſolitarum ut experientia maxime demonſtratur. Nec omittendum quod ab eodem Hippocrate ſcribitur non longe ab hoc inſtituto: Verba ſunt: *Si virgini menſes maturi non prodeunt, multum & febrit, & dolet, & eſurit, & vomit, & furit, & rurſus reſipiſcit. Uterus movetur, & quum ad viſcera vertitur, vomitus ac febris & delirium accedit. Ubi ſedatur uterus & hæc quieſcunt, eſurit, & ſitit, & febris lenis, Epialon vocant, prehendit.* Itaque ex his quæ nunc ſcripta ſunt colliges febres adoriri ſolitas virgines deſœdatas duorum eſſe generum, erraticas, & epialas. De erraticis nihil dubium eſſe poteſt, quoniam ob materiei multiplicitatem facile in virgines incidunt. Atque illæ maxima ex parte quartanarum febrium ſunt πρόδρομοι (*k*), ut Veteribus placuit; quartanis autem ſæpe corripiuntur virgines decolores & hydrope, præſertim ſi lien laboret, paullo ante dictum eſt brevibus, ſed abunde magis poſt explicabitur. At de epialo major dubitatio: Epialos febris levis eſt, quoad ea quæ foris conſpicua ſunt, ſed tamen ſymptomatis feta eſt graviſſimis: & quia mitior ſenſui obvia eſt, ideo ἠπίαλον (*l*) vocaverunt, quaſi ἠπίως ἀλεαίνοντα blande tepefacientem, ut Paullus ait: ad quotidianas febres proxime accedit, ſed a frigidiore, viſcidiore, caloremque egregius concipiente originem trahit: ut eam pituita vitrea committere dicatur ſua natura ἀνεκθέρμαντος (*m*) frigusque in ſe habens privativum, ut practici loquuntur. Ejus ſedes in prima regione, unde in acceſſionibus febris frequentes animi defectiones obſervavimus; tum propter alvi viciniam, tum ſummam quæ in illa febre ineſt inæqualitatem: immo in iiſdem partibus caloris & frigoris ſenſio exſiſtit, ac ſi calida & frigida intemperies ſimul exſiſteret: idem in rigore contingit: unde apud veteres nemo ſine febre rigebat. Et quodam loco Hippocrates ſcripſit, *rigor, non tamen febris*, ac ſi inſolens eſſet rigore quempiam prehendi quin e veſtigio ſequatur febris. At de epialo plura legere poſſis apud Galenum. Non abs re tamen meminiſſe oportuit febris ἠπιάλου (*n*) & erraticarum quibus decolores virgines exercentur: epialus enim propriam quamdam habet curationem. Unum quoque admonere velimus cur ante dictum ſit erraticis & quartanis febribus puellas prædictas capi, immo & hydrope; horum cognitio ad rem maxime ſpectat, ut ſucceſſiones morborum intelligantur quæ pro nihilo habendæ non ſunt ut divus Hippo-

Initio l. 1. de morbis mulierum.

Hipp. l. de ſuperf.

Duorum generum febres deſœdatas virgines adoriuntur, Erraticæ & Epialæ.

Ægineta l. 2. Epialam vocat quaſi ἠπίως ἀλεαίνοντα.

Epialæ febris cauſa & ſedes
Gal ſub finem l. de inæquali intemp. com. 5. in 1. Epid. par. 22. Et c. 6. l. 2. de differ. feb. Gal. l. de inæqual. intemp. Lib. Ep. ſect. 6. Lib. de aere & aquis. Gal. meth. 13. 4. de uſu part.

(*k*) Prodromi.
(*l*) Epialam.
(*m*) Quæ calefieri non poteſt.
(*n*) Epialæ.

Hippocrates litteris tradidit, *pro quibus qui morbi*, ait. Quartanarum febrium Ilias lienum imbecillitatem conſequitur: quod præterquam humoris ſpecies in liene redundare conſueti declarat, ipſe quoque Hippocrates aperte indicavit. Nam loquens de uſu aquarum putrium ait apud eos quibus tales aquæ uſui forent quartanas æſtivas longas admodum graſſari, etenim lien his infirmior fit: quoties autem lienis infirmitas eſt, quartanarum magnus proventus eſt: nec enim alimentum bene defæcat, & melancholicum quo voluptuatur non attrahit. Quomodo eſt intelligenda controverſia de facilitate ſcirrhi in liene. Quod enim lienis rarum corpus ſit, facile admittit & retinet humores, qui diu retenti ſcirrhum tumoremque generant, humor autem craſſus & fæculentus. Hæc Galenus. Et tamen idem ſcribit lienem tanto tenuiore ſanguine nutriri, quanto hepate rarius eſt: ſic hepar facilius obſtructionibus patebit. At *in libris de uſu partium* de vero & proximo alimento loquitur: aliis vero locis de alimento non vero & remoto; has τῆς τροφῆς (o) differentias expoſuit Hippocrates. Quum itaque puellæ coloribus defœdatis præditæ maxima ex parte ſint melancholicæ, mirum non eſt ſi & ratione imbecillitatis lienis, & ſuccreſcentis humoris melancholici quartanis impediantur: Item & erraticis ob humores in diverſis locis ſitos & promiſcuos. Eamdem quoque de propenſitate in hydropem rationem afferre poſſumus. Vel enim primario hydropicæ fiunt, vel ſecundario. Primario quidem ratione imbecillitatis quæ in illis diuturnitate temporis contrahitur, & intempeſtivi aquarum uſus ac præſertim veſperi; facile enim attrahit raritate carnis criſpæ & tortitiæ, ut loquitur Aphrodiſæus, donatus, & de induſtria a natura inſtructus valida facultate attractrice, ut & ventriculus, & cyſtis cholidochos, & ren opinione ejuſdem. Unde dum rationem reddit cur febre laborantibus lienes augeantur, cauſam ſtatuit aut largiorem hauſtum egelidæ, quam ratione ſui corporis rari & fungoſi lien facile prolectet: aut quia viſcus debile eſt, materias eo affluentes maxime excipiat: unde facile ſequitur hydrops. Quæ cauſa impulit Hippocratem ut aquam tamquam humorem in liene conſtituat: nec adeo deceptus ut exiſtimet aquam proprie humorem dici: multa enim reclamant: ſed ut aperte *ſub finem librorum de morbis* argumentis multis demonſtrat, de aquæ uſu immodico id capiendum eſt, quam lien alliciens omnium facillime corpus in hydropem conjicit: itaque a ſymptomate quod lienis tumorem maxime conſequitur, aquam in liene ſtatuit: id eſt, hydropis generatio, præſertim ejus qui ob exceſſum rerum liquidarum fit (nam *in prognoſt.* alium conſtituit febrium continuarum heredem) a liene maxime repetenda eſt: quæ ut quis tamquam inania non rejiciat Hippocratem conſulat. Secundario autem in hydropas virgines incidunt per ſucceſſionem alius morbi: nam longi morbi in hydropem ſæpe degenerant, ut ante ex Aphrodiſæo demonſtratum eſt: immo & quartana (quæ tamen ſecuriſſima eſſe cenſetur, & a magnis vindicare morbis) in hydropem degenerat ut Galenus *ſection. tertia lib.* 1. *Epid.* indicavit. Accedit & alia hydropis ſpecies diligen-

Hip. l. de Alimen.

Quomodo lien ob potum aquæ hydropē indicat.

Hip. pleniſſime explicat l. 1. de morb. mulierum.

Aphrod. proble. 81. *l.* 2. *ait ſplenem vim allicien-di habere maximam & inde nomen ſortiri.*

Aphor. prob. 68. *ſect.* 3.

Aph. probl. 57. *ſect.* 2.

Probl. 41. *l.* 2.

Lib. de morbis.

Lib. de genitura.

Lib. 4. *ſub finem.*

Vel dicere poſſis aquam in liene ſuccreſcere, quia ſi humores ſint ſeroſiores, maxime intus

(o) Alimenti.

meſcit lien & hydrops ſequitur. 2. prog. Hoc explicat Gal. l. de typis docens febres quartanas quotidianas provocare ὑδρεντικὰς παρηγχύσεις (p). Hipp. ſub finem ſect. 6. l. 6. Ep. & par. 4. ſ. 3. l. 1. Ep. Hipp. l. de affection. Cap. in ap. 33. l. 6. Hipp. l. de vet. med. De his vid. l. 2. Ep. meorũ. Hip. 4. de morb. & Gal. l. de ſang. miſ. De liene locus eſt commemorabilis 3. aut 4. c. l. 9. de comp. medend. ſecundum locos. Hipp. l. de locis in hom. Gal. l. 2. de nat. facult. c. 9.

ligentiſſime obſervanda, & de qua nemo Veterum umquam ſcripſit, pote quum quis diuturno morbo confectus fuerit, atque interea temporis medicamentorum uſum neglexerit: tunc enim diuturnitate iſta carnes corrumpuntur ac liquantur, hinc hydropis occaſio. At puellas fœdo laborantes calore ut plurimum febres morbique diuturni affligunt: quibus & aliæ affectiones neceſſario ſuccedunt. Ceterum quod ante monſtrare cœperamus, quum in puellis ſanguinis erumpere volentis, propter tamen cauſas aliquot exilire prohibiti, refluxus fiat ad partes ſuperiores, inter eas maxime afficiuntur quæ naturam habent ſpongiformem. Ita enim *in aphoriſmis* non aliam rationem reddit Galenus, cur facile omnes humores in ſe pulmo admittat, quam quia laxus & rarus; idem de liene judicium eſto. Atque rurſus ex laxis partibus, eæ vitium attingunt prius quæ propinquiores; ut mirum non ſit ſi refluxus illius primam cladem lien perferat. Hepar quia compactius non ita facile recipit ex ſententia Hippocratis: idemque eſt judicium de corde ac hepate ratione ſodalitatis ac compactionis: lien & cerebrum fluxionibus ſunt maxime opportuna. Sed quid ex lienis tumore aut alio vitio conſequitur? Nec enim principatum in corpore tenet, ut ejus labes & vitium tanti non ſit. Quod verum quidem eſt, ſi cum reliquarum partium præſtantia & dignitate conferatur: ſed tamen lienem muneris neceſſitas toti corpori commoda commendabilem reddit. Quod autem interſit magni ad corporis aut κακοξίαν ἢ εὐεξίαν (q) an lien valeat an non, graviſſimus auctor Hippocrates docuit: ita enim ſcribit, *cum ſplen præ febre magnus fit, corpus minuitur: nam a cauſis iiſdem ſplen effloreſcit, & corpus contabeſcit*: In græco legitur σπλὴν θάλλει (r): Apud Græcos autem τὸ θάλλειν vireſcere, florere, ac pullulare ſignificat, ut ad plantas θάλλειν referatur, quemadmodum ad flores τὸ ἀνθεῖν (s). Et quemadmodum ἀνθεῖν de ſuperficie corporis dicitur, τὸ θάλλειν ita de tumore ac veluti progerminatione partium in corpore contentarum intelligi poteſt. Illam ſententiam Galenus explicat *in ſecundo de natur. facultat.* diſputans adverſus Eraſiſtratum qui nullum lieni in corpore publicum munus attribuerat: contra autem deſtinatum eſſe ſanguini repurgando demonſtrat. Atque ita ex Hippocrate citat, *quibus corpus floret, iis lien minuitur. Præterea*, ait, *quibus viſcus id magnum ac tumens augeſcit, iis corpus lien minuit, & cacochymum reddit.* Sed quod Hippocrates dicit lienem θάλλειν, Galenus periphraſticῶς explicat, in tumorem molemque augeſcere. Ideoque quidam volunt τὸ θάλλειν opponi τῷ ξηραίνεσθαι (t). Ut lien θάλλων dicatur, floreſcens, increſcens, ſeſe ſua circumſcriptione præferens veluti rotunditate quadam, ut de quodam ſcribit Hippocrates: denique in molem excreſcens: contra dicatur ξηραινόμενος, collabens, exareſcens, imminutus, ac conſumtus. Quæ verborum proprietas ad unguem tenenda eſt ad cognitionem quæſtionis quæ in medium

7. Quid ἀνθεῖν & θάλλειν (u).

(p) Seroſas effuſiones.
(q) Malum habitum & bonum habitũ.
(r) Splen efflorescit.
(s) Efflorescere.
(t) Excreſcere.
(u) Efflorescere & pullulare.

dium adducetur. Nam cur non moles lienis & efflorescentia in bonis ducenda est? Quum enim tumet augescitque lien, duo significantur, & vis summa attractrix lienis qua plurimum sanguinis fœculenti prolectavit, & exoneratio corporis in lienem tamquam in partem ignobiliorem, quæ postea aut fluxu dysenterico, aut re aliqua simili sese iis molestiis liberabit: itaque ut corpus niteat floreatque, par est augeri intumescereque lienem, ut idem lieni contingat, quod & hæmorrhoidibus: at hæmorrhoidon tumor vitio non datur: sic verum illud non videtur, quibus corpus floret, lien minuitur. Immo quum lien est parvus ac imminutus, succo melancholico corpus redundat diffluitque, sic suum nitorem amittit. At ita satisfaciendum quæstioni. Tumor lienis magnus, & ejus extenuatio exilitasque in malis poni possunt. Tumor quidem, quia malus ut signum & ut causa; ut signum quidem, quoniam magnum succi melancholici proventum declarat, sua veluti copia & impetu in lienem sese profundente, unde brevi futurus scirrhus & hydrops ut ante demonstratum est. Ut causa autem malus est, quia brevi contingit ut præpeditis præ tumore viis humori melancholico non sit fluxus & refluxus: unde metus ne massa sanguinis contaminetur. Nam quum corpus undequaque sit apertum, confluxile & exspirabile, ut Hippocrates scribit, immo circuitu quodam excretiones fieri debeant a partibus internis quum repletio est (ut idem auctor scribit,) in isto lienis tumore non potest non malorum consecutio afferri: quæ omnia fuse a Galeno explicantur. Extenuatio autem ejusdem lienis mala est, quod & facultatis infirmitas significetur, & visceris vitium: itaque mediocritas laudanda est. Et quum ait, liene imminuto corpus florere, nomen imminutionis largius est accipiendum pro mediocri lienis constitutione; fieri potest autem ut tumor lienis laudetur, præsertim si bis semelque tumeat, natura abscessum moliente in lienem; & corpus a succo melancholico expurgante. Et quod lien turgens dicitur θαλλων, id καταχρησικὸν (x) est, & ex politico loquendi modo sumptum: Vulgus enim rerum bonitatem floremque ex mole ac crassitie metitur, quo modo, meo judicio, ex crassitudine & tumore corporis sanitatem plerique colligebant, de quibus Galenus *lib. de plenitudine.*

Quibus corpus floret, iis minuitur lien & cur? Vide l. 9. de comp. med. secundum locos quomodo lien facile obstruatur.

Hipp. l. de loc. in hom. 5. p. 1. sect. 6. l. 6. Epid. Hip. l. 3. de diæta. Com. in apho. 12. l. 6. & c. 8. l. 2. de nat. facult.

Ex quibus omnibus patet in decoloribus virginibus non esse forte petendam aliunde tanti mali originem, ac præsertim atrophiæ, cachexiæ, extenuationis ac hydropis denique, quam ab uno liene: hæc siquidem pars nusquam fere non tumet, efflorescit adaugeturque: in scirrhosam sæpe naturam abit: & ex nostratibus Medicis quibus ex munere incubuit ut aliquid opis ad fœdos colores afferrent, omnes uni lieni & ventriculo suam operam dicaverunt. Sed unde illud vitium in liene? unde succi melancholici ubertas? Nam & pallores, & dolores capitis surarumque implacabiles, & ἀσφυξίαι (y), & atrophia, & ἀφωνίαι (z), & cordis palpitationes, & febres cujusque generis ea duo consequuntur: item & curæ & sollicitudines

(x) Abusivum.
(y) Pulsus defectus.
(z) Vocis defectus.

licitudines quibus virgines præter rationem implicantur, & ut ait Hippocrates, corpus conſumitur ac liqueſcit, ab eodem fonte ſcaturiunt. Hæc autem idem auctor ab inſolita naturæ aggreſſione in citandis menſibus, & recurſu ſanguinis ad partes ſuperiores repetivit, ut ante demonſtratum eſt. Dictum enim eſt mirum eſſe non debere ſi corpus virginum tenellum propter inſolentiam ita laboret: nam ſi jam junctis viro, quarum etiam fundus colitur, & falſa jucundaque titillatione vaſorum amplitudo procuratur, dolores lumborum adſunt, horrores, mœſtitia, viis etiam patentibus, multo magis inſolita menſium eruptio plena erit calamitatis & moleſtiarum: nec enim fluoris eſt facilitas, nec meatuum libertas: accedit inutilis naturæ conatus: Ac quoties natura aliquid aggreditur, in aggreſſione ipſa tumultus excitantur, tanto majores, quanto natura magis nititur ac laborat: id quod in criſibus præcipites mutationes teſtantur. De indole morborum defœdatas virgines fatigantium hoc dicam. Quantum communi uſu deprehenditur, fere fieri videmus, ut qui morbi puellas invadunt, ita obſtinato animo cum iis pugnent, ut Medicorum operam ludant: quod cum alias ob humorum quandam ἰδιοσυγκρασίαν (a) contingat, tum maxime quia quicumque cum lienis tumoribus obſcuriſque affectionibus junguntur, nec non cum animi angoribus, eorum natura eſt indomita ac inexpugnabilis: Declarant plerique omnes qui anguſtiis animi preſſi eliſique in morbos incidunt: aut enim ab his non emergunt, aut longiſſime graviſſimeque divexantur. Cur autem dolor animi viſcera contrahens tam effrenes immedicabileſque morbos pariat, id dignum quod in quæſtionem veniat: ſed id explicationem arduam habet. Si enim una cum corpore animus ægrotat, unde ægrorum relatione perſpectam cognitionem urgentis morbi habere poſſis? fruſtra ægrotanti de morbo narranti credideris; nam nil veriſimile narraturus eſt: ac dubitatur an ægro animo, an corpori medela quærenda ſit. Et fruſtra artis noſtræ remediis exercentur, quum ægritudo pluris faciunda ſit, quam ægrotatio corporis; illa aut minis, aut objurgationibus, aut animi libertate, aut optatæ rei adeptione ac fructu eſt lenienda, cura enim in corpus redundat.

Hipp. l. 2. de diæta.

Ab inſolita nat. aggreſſione & recurſu ſanguinis ad ſuperiora lienis vitium ſucci melanch. copia & ſympt. illas contingit.

In aggreſſionibus naturæ tumultus excitantur.

Sunt qui deſidem otioſamque vitam virginum id morbi genus afferre comminiſcuntur: Veſtales virgines in exemplum conſtituunt: nec abs re fortaſſis. Nam divus Hippocrates præclara methodo ſtatuit morbos alias oriri quum cibus laborem ſuperat: alias quum cibus a labore ſuperatur: Illi ad repletionem referuntur: hos in inanitione potius definies. Sanitas autem elucet tunc ac conſiſtit quum laborum ciborumque æquabilitas ac ſymmetria adeſt. Ac de ſuperante laborem cibo ita cenſuit. *Incipiente repletione quum cibus laborem vincit, ſomni longi ac dulces continguni. Quum vero corpus non ſuſcipit amplius repletionem, ſecretionem ac repurgationem aliquam jam intro remittit præ circuitus violentia, quæ ſecretio contraria eſt alimento a cibis profecto, & animam perturbat. Et tunc non amplius jucundi ſunt ſomni, & neceſſe eſt hominem turbari, & videtur cum aliquo pugnare. Qualia enim corpus patitur, talia videt anima viſu jam concluſo.*

An doſes & otioſa vita ſœdi virginum coloris cauſa. Hipp. l. 3. de diæta.

Idem l. de inſomniis.

Quæ

(a) Idioſyncraſiam.

Quæ tametſi obſcuriora, ſatis tamen apta ſunt ad morbum illum virginum de quo quærimus, quum ex eis videantur illæ potiſſimum defœdari quæ prope moleſtas matres vitam otio & ſilentio tranſigunt. Quæ enim negotioſæ ſunt, aut animo liberiore ſunt, aut ſuæ ſpontis (ſi modo blandus tacituſque amor non feriat ſinus) aut liberalius educentur, nihil tale experiuntur: præterea ſolas urbanas id vitii attingit: quæ ruri degunt immunes videntur.

Solas urbanas id vitii attingit, ruſticæ immunes. Hiſtoriæ.

De virginibus ita affectis pauca narrare conſilium eſt. Aurifabri filia annos duodeviginti nata ſexennio fere fœdos colores patiebatur: nil artis remediis contra contumax malum proficitur. Dum peregre profectura curru ſuccuſſorio devehitur nauſeabunda tandem vomit incredibilem humorum variegatorum copiam: animam agere videtur: Intra quatuor quinqueve dies deperditus faciei color recuperatur, nulla ope medica, ſed ſolo vomitu ſpontaneo revocatus. Ut mirum non ſit ſi tantopere in omni repletionis ſpecie vomitiones Hippocrates commendaverit. Itaque credibile eſt a variis humoribus iiſdem corruptis malum hoc ali ac foveri. In vico ſancti Antonii quædam virgo viro matura anniſque plena præ fœdis coloribus mire languebat: incredibilibus ſymptomatis ac præſertim oppreſſione hyſtericaque ſuffocatione detinebatur: & huic virgini adeo os uteri totaque vulva hiabat, ita ut vix quiſquam credere poſſit: quo Medici colligebant præcipuam mali cauſam in veneris appetitione conſiſtere: & naturam iſto uteri hiatu ſatis indicare quodnam tam longi mali remedium aptum futurum eſſet. Ac plura de fœdorum colorum origine, deque affectuum ſimilitudine qui horum auctores eſſe poſſent, a nobis dicta ſunt, quam quod inſtitutum eſſet: ſed ordo & rerum ſeries in eam πολυλογίαν (*b*), ut ita dicam, traxit. Nunc quoad fieri poteſt accommodatiſſime θεράπειαν (*c*) conſectabimur: quod difficile eſt propter & ſymptomaton & affectuum complicationem & confuſionem. Quæ autem a nobis ea de re ſcribuntur, tametſi ſenioris cujuſdam Medici uſuque triti induſtriam videantur expetere, quia tamen & auditione, & lectione, & cogitatione, quæ quidem ſtudio & diligentia ætatem præcurrunt, nonnulla animo notata ac comprehenſa habemus quorum non negligenda explicatio, ea in communem utilitatem afferemus. Si ex ſententia Hippocratis ejuſdem eſt facultatis morbos noſſe, & eorum cauſas, ac morbos ipſos omnibus medicamentis, quæ morbos augeſcere prohibent, curare: ex perſpicientia cauſarum remedia quodammodo eruemus.

Lib. 3. de diæta.

In fœdis virginum coloribus curationis ratio vertitur in pharmacia & diæta: ſed ad diætam properandum potius & corporis conſtitutio, & contumacia morbi ſuadet: niſi forte aut erraticæ febres, aut epialæ adoriantur, quarum in depulſionem incumbendum, ut poſtea dicetur. Ideo autem pharmaciæ diætam anteponimus, quod illius uſus vix commodus idoneuſque eſſe poſſit. Nam quum vel extenuatio magna cum virore adeſſe ſoleat quamdam ἀτροφίαν (*d*) exprimens, vel tumor colorque plumbeus cacochy-

Fœdi virg. coloris therapia.

Aph. 36. lib. 2.

(*b*) Garrulitatem.
(*c*) Therapiam.
(*d*) Atrophiam.

cacochymiam cachexiamque adumbrans, in neutro audacter medicationes uſucapiendæ ſunt. De cacochymia illud Hippocratis audiendum, *qui pravo utuntur cibo per medicamenta evacuati cito exſolvuntur*: id eſt, qui pravis abundant humoribus, ſive nomine pravi alimenti id quod externum eſt audiatur, ſive humores humorumque ichores in corpore contenti auctore Galeno, maxime autem cacochymi, medicationes ægre ferunt, quod paucos bonos habeant ſpiritus & calorem imbecillum; præterea vix robur virium in cacochymia, præſertim ſi magna ſit, conſtare poteſt: deinde dum pravi humores exagitantur tetros efferunt ex ſe fumos, a quibus leipopſychiæ inducuntur: tertio dum humores vitioſi per partes ſenſibiles deferuntur pungunt feriuntque, unde verenda ſequuntur ſymptomata: unde cautio adhiberi debet in purgatione corporum malis humoribus præditorum: minus vero extenuatum emaciatumque corpus pharmacis vexandum: impenſe enim corpora ejuſmodi a medicamentis calidis divexantur: & major marcor inducitur & tabes; ut graviſſimus error eorum exiſtat, qui dum corporibus tabefactis aridiſque opem afferre volunt, experti ſemel quod eorum corporum alvus non facile laxetur, ad ſcammoniata valentiaque medicamenta confugiunt, quibus tantam corpori vim afferunt, ut pleriſque perniciem hinc contractam noverimus. At non noverunt iſti proceres Medici (ſi diis placet) difficultatem ſubducendæ alvi ideo evenire quod alvus ſit exſucca aridaque, ut colliquationem afferas potius, quam aliquid educas. At melius Hippocrates non vult graciles dejectoriis medicamentis vacuandos, ſed vomitoriis: contra mediocriter carnoſos ſubductoriis exercendos: videt inclinationem & ῥοπὴν (*e*) humorum in gracilibus, & præſens periculum ſi ſubductoriis agitentur. Ac de gracilibus natura & temperamento Hippocrates intelligit, dicat quiſpiam, non de iis qui propter morbum, aut humorum cacochymiam tales evaſere, quibus maxima ex parte imbecillus ſtomachus, ac propterea ad vomitionem ineptus: quod & Celſi opinione ſunt confirmaturi: *vomitus* (ait) *inutilis eſt gracilibus & imbecillum ventriculum habentibus*: Immo Galenus abdominis tabem ad vomitiones nocere contendit. Quæ Celſi auctoritas nos valde pungit, in eamque opinionem adducit ut credamus nil pro nobis facere aphoriſmum illum Hippocratis quo docere voluimus corpora gracilia & emaciata medicamentis non eſſe tentanda: immo contra ſtat ſententia Hippocratis qui nos hortatur ad purgationem corporum tabefactorum. *Medicamentum*, ait, *donec corpus floret, non propinetur: non enim evacuatio fit niſi exigua. Quum autem gracilis ac macilentus fuerit, tunc bibendum exhibe, & evacuabitur*: itaque convincet audentius minuſque cunctanter extenuata corpora eſſe medicanda, quam bene habita & εὔσαρκα (*f*). Sed Hippocratis verba benevole ſunt accipienda, non detorquenda. Nomine florentis corporis ſanos intelligit, quibus medicationes ſunt inutiles ex ſententia Hippocratis, immo ſi qua illis a ſanitatis gradu deceſſio videatur, ad prophylacticon potius recurrendum conſilio Galen. Nomine gracilium

Gal. com. in aphor prædictum & l. de loc. in homin. ſcribit, quum intumuerit pallidus exſiſtens exſolvitur ſi quod attenuans datur medicamentũ.

Siccis & ſqualidis alvi duritie præditis nocent violenta medicamenta. Aph. 6. lib. 4.

Celſus c. 3. l. 1.

Com. in aph. 36. lib. 2.

Hipp. l. de loc. in hom.

Hipp. ap. 36. & 37. l. 2. Gal. l. quos & quando.

(*e*) Impetum. (*f*) Carnoſa.

gracilium cacochymos intelligit, utpote quibus propter ſuccorum latens vitium corpus nihilum quidem proficit, aut parum admodum: ſic emaciantur & tabeſcunt, ut *ex ſexto Epidem.* paullo ante demonſtratum eſt. Quod autem ea mens ſit Hippocratis, ita ex iis quæ ſequuntur audiendum. *Medicamenta cholagoga* (ſupple in ictero) *ne exhibeantur, quia corpus conturbatur. Ubi autem ſiccum fuerit corpus quod conturbatum eſt, corpus nutrito, nec medicamine dejice alvum: Sin homo viridis & luteus ſit, purgato, nequaquam ſiccato, ut is color ſtabilis non ſit.* In quibus verbis rerum ad hunc ſcopum pertinentium diori ſmi continentur: nam monet ictericum humectandum, deinde purgandum: & quum corpus reſiccatum fuerit, non eſſe pharmaco turbandum. Sin ſit luteus & viridis (χλωρὸς Græcis) audacter purgandum: id eſt, ſi ſuperſtes ſit cacochymia cujus ſoboles ſit coloris deſœdatio, a purgatione temperare nefas eſt. Sic graciles, id eſt, cacochymos a ſigno & communi ſymptomate nomenclaturam deſumens, libentius ad medicationem adegit. Itaque ex iis legitima ratio medendi deſumenda eſt, ne temere parcamus medicamentis quum opus non eſt, aut eadem uſurpemus. Et ſi turgidulum corpus ſit, & pravis ſcatens ſuccis, purgatio quidem tentanda eſt, ſed per epicraſin ratione virium imbecillarum. Sin extenuatum aridumque, ſequendum Hippocratis conſilium, ut corpus præhumectetur: deinde ſi locus ſit medicamento, id præſtabitur. Ut mirum non ſit ſi ad diætam potiſſimum curationis caput revocaverimus: ſive ea in cibo & potu, ſive vitæ inſtituto, ſive alia in re cernatur.

Gal. c. 11. l. 6. de ſan. tuend. & l. de conſ. Ibidem.

Quum extenuatum aridumque corpus eſt & cacochymum, præhumectetur, dein per Epicraſin repurgetur.

Ac docuimus confuſa promiſcuaque multa eſſe ſymptomata, quæ alias ictorum, alias hypochondriacum quid, alias erotica, alias vitium in liene, alias in hepate deſignent: ut dubitaverimus de curatione an confuſa mixtaque eſſe debeat, ut & capiti, & utero, & utrique viſceri conſulatur. Sed res ita exigere conſilium non eſt, quum vix commentandi finis eſſet. Unum admonere æquum eſt ad curationem apprime faciens, non perpetuo ſuſpicari nos oportere aut obſtructionem in alterutro viſcere, aut inflammationem, aut ſcirrhum, quum corpus pravo calore infectum eſt: quod plerique faciunt ad id ſuum conſilium dirigentes, ſed perperam. Galenus autem in hepate κακοπραγίαν ἄνευ ὄγκου (*g*) agnovit: pote quum in ſua ſubſtantia affectum hepar eſt, & parvo etiam tinctum colore. *Sic*, inquit, *in corpore & viridis color eſt, & plumbeus, & alii colores ineffabiles cernuntur jecore probe ſuum officium non faciente ſine tumore ullo: idem de liene intelligendum ſcribit.* Sic & inflammatio in hepate (quæ alias dolorem infert quum circum membranas eſt, alias quid grave, quum in ſubſtantia eſt: ipſe autem Hippocrates abſolute dixit circa hepar dolores acerrimos eſſe) & obſtructio, & totius ſubſtantiæ vitium (quod ad διαφθορὰν (*h*) revocari poteſt) reperitur: idem de liene cenſendum eſt. Maxime vero in lienis corpore vitium latet in fœdo colore, tracto in conſenſum ventriculo, de quo nuſquam non queruntur deſœdatæ virgines. At

Cap. 7. l. 5. de loc. aff. Gal. com. in aph. 5. l. 6. locus præclarus.

Hipp. ſub finem l. de priſca medicina.

(*g*) Malam elaborationem ſine tumore. (*h*) Corruptionem.

fieri non poteſt quin ventriculus lieni maxime conſentiat, præſertim in ſplenicis, ex Galeni ſententia, qui veriſimile eſſe ait a liene ſanioſam illuviem in ventriculum regeri, quæ gravium eſt cauſa ſymptomaton. An vero ſit ſanioſum quid quod a liene regeritur, dubium eſſe poteſt: Item an a corpore ipſius lienis. Galenus per jejunia attractionem fieri ait a jecore & liene, ut ſufficiatur alimentum ventriculo trahenti & ſuctionis ſenſum habenti: & id alimentum laudabile eſſe poteſt. Qui enim in meſaraicis venis ſuccus continetur vitio maxima ex parte caret. Tamen alio loco dum loquitur de eo alimento quod mendicat in inedia ventriculus ab alterutro viſcere, illud damnat, aitque ſaniem eſſe aut bilioſam, aut pituitoſam, aut ſeroſam: immo dum alimentum hoc repetitur, excrementis corpus impletur: quod falſum videtur, quum eodem in capite dicat culpa vacare ſanguinem qui a venis meſaraicis & lactibus in ventriculum recurrit atque eructatur. Itaque ſibi diſſentaneus eſt Galenus, modo ſaniem vocans id quod ſerie & continuatione quadam ab aliis partibus relabitur, modo laudabilem ſanguinem & ſuccum appellans, hæc ἀσύστατα (*i*). Item ſecum pugnat de jecore diſputans: nam modo ait a lactium & meſenterii venis aliquid refluere in penuria alimenti, non ipſo vero jecore & vaſis in eo contentis, negat: paullo poſt vero ait mirum non eſſe ſi ab ultimo corpore aliquid intro recurrat, nec ſi a jecore & liene per eas vias per quas deductum erat, refluat: itaque & a liene, & ab jecore aliquid relabi aſſeverat. *Totum enim corpus apertum undique, ſpirans, ac incitatum*, ait Hippocrates. Controverſia utraque dirimetur pæne filo. Quod in ventriculum refluit, id & ſanies eſt, & quid laudabile. Sanies, ſi eouſque progrediatur attractio, ut pars obvio quovis alimento in meſaræo contento non ſatiata ſit: ſanguis vero laudabilis eſt, ſi a primis venis tantum aliquid mendicetur. Nam, ut ait Galenus, non eſt credibile illum ſuccum qui in parte ipſa contentus eſt, a ventriculo reſumi: itaque non fit attractio ab ipſius hepatis corpore, ſed a venis ei affinibus, non a contentis in ipſo: quæ omnia obſcurius explicantur a Galeno, eodem in loco: tamen dubium eſſe poteſt num ab interno corpore ipſius lienis abducatur revellaturque aliquid, ut declarant appetentiæ melancholicorum vehementes ob refluxum humoris acidioris: Immo, ait Galenus, hepar & lien ſæpe ex ſe excrementa in ventriculum rejiciunt: immo & pus & ſanguis in parte contentus, ejuſdem opinione, redit. Tamen Hippocrates alia eſt in opinione: dum enim rationem reddit cur pulmones, mammæ, lien facile humorem admittant, eumdemque ægre deponant, ait in illis partibus ventriculum atque capacitatem non eſſe, cujus, & commoditate & beneficio partes illæ exhauriantur, ac propter id facile indurantur. Sed hæc facile intelligi poſſunt. Jam vero in penuria alimenti ex liene & jecinore attractio fieri poteſt, & partes hæ nimio humore obrutæ in ventre eructare aliquid valent, maxime vero lien ob vaſis venoſi fundum ventris contingentis commoditatem. Si quid ab intimo corpore deraditur, eorum præſertim quæ jam nutritura erant, ſaniei ſpeciem referre poteſt: & tametſi forte hepati aut

Gal. c. 6. l. 5. de loc. aff. & c. 7. lib. 3. Cap. 13. l. de nat. facult. & 7. c. l. de atra bile.

Dum ventriculus eſt vacuus, corpore fruitur colliqueſcente. Cap. 13. l. 3. de nat. facult. Ibidem & c. 19. l. 14. de uſu part.

8.

Ibidem.

Hip. l. de loc. in hom.

De iſta ſanie quæ in ventriculum refluit ſive dolor adſit, ſive mœror, ſive jejunium, ſive corpus bilioſum. Gal. com. in aph. 50. l. 6. ampliſſime. Cap. 13. l. 3. de nat. facult. Cap 1. l. 6. de loc. aff. Cap. 9. l 5. de loc. aff. Cap. 9 l 5. de loc. aff.

Vide ſub finē c. 13. l. 1. de ſan. tuend.

(*i*) Inconſiſtentia.

aut lieni ſanies eſſe non poſſit, ventriculo ſanioſum eſt & non ὁμοιότροπον (*k*): quod enim uni commodum eſt & nutrimentum, alteri excrementum eſt, & contra. Ideo dicebat Hippocrates, alimentum non alimentum, ut chylus ventriculo excrementum eſt, benignior vero pars eidem alimentum, quum nutritio veræ nutritionis æmula in ea parte fiat. *Lib. de alimento.*

Sed ad ea quæ de curatione quaſi partiendo dicere incipiebamus redeuntes, quod de ſectione venæ dicturos, nos pollicebamur, id nunc reſumemus. Viſum enim ſatis eſt de controverſia an purgationi locus hic foret, aperuiſſe, quum non minus ea quæ ſolet adeſſe infirmitas cum quadam extenuatione a pharmacis nos debeat avertere, quam ad eamdem adducere tumida quædam moles cum pallore & cacochymiæ aut potius cacoethiæ & cachexiæ ſignis copulata: quamquam in utroque forte ne tutus quidem medicamentorum uſus: Quod idem de venæ ſectione dici poteſt; ut non præter rem dubitent Medici an hic ſectioni locus, an purgationi, an omiſſo utroque, quicquid eſt negotii in tam obſtinato malo, naturæ ſoli committendum. Videamus an aliquid ea de re Hippocrates litteris prodiderit. Locus eſt præclarus his verbis contextus: *Cognoſcere oportet quam ob cauſam quidam dolore capitis teneantur: Item decolores*, græce ἀχρόους, *raucos*, *lienoſos*, τοὺς λιφαίμους, id eſt, *exſangues*, *item quibus contenta hypochondria*, *præterea morbo regio laborantes quorum venter cruda egerit*, deinde ſubdit: *Nulli horum medicamentum propinato.* Qui locus ad virgines fœdis coloribus laborantes pertinebit: nam & hæ graviſſimis capitis laceſſuntur doloribus præſertim vero ἑτερομανίη (*l*), ſunt lienoſæ, ut ante docuimus, ἄχροοι καὶ λείφαιμοι (*m*), diſtenta hypochondria maxime habent, icteroque cum cruda ventris egeſtione deturpantur; Itaque decreto Hippocratis purgatione interdici debent, multo magis & venæ ſectione. Porro hujus aphoriſmi explicatio magnam vim habebit, ad eam tractationem quam ſuſcepimus. Galenus omnia hæc probat; præterquam quod meminerit lienoſorum, ſed tamen ἀδιορίστως (*n*) capienda non eſſe contendit, ſed pro varietate cauſarum & corporum ſingulis accommodanda cenſet. Quum enim dolentes capite a purgatione excludit, non omnes audit, ſed eos qui ſine cacochymia ob externum errorem aut exceſſum ita affecti ſunt, quibus potius juſculis, cibo potioneque eſt conſulendum. Vel forte de iis doloribus intelligit qui cum febre ſunt, in quibus obeſt purpatio capitis: illi enim a vapore elato & a febrili calore ſuſcitato ſurgunt: quod defœdatis virginibus maxime contingit, ſiquidem experientia vidimus in fœdis coloribus cum febre quadam lenta & obſtructione junctis immedicabiles capitis dolores paruiſſe, quibus tollendis Medicorum opera nil plane contulit. Item loquens de diuturnis doloribus capitis ait eodem in libro, *ſi caput purgaveris magis affliges*: hoc autem evenit quum materia adhuc cruda eſt: nam ſi dantur pilulæ aut alia medicamenta valida & valide e capite humores abducere ſolita, dum movetur humor, pote crudus, magis

An fœdis virg. col. venæ ſect.

Hip. par. 115. lib. 4. acuto.

Aph. 24. l. 1. expreſſe e numero repurgandorum eos rejicit qui diſtenta habent hypochondria.

Lib. de loc. in hom.

(*k*) Aſſimile.
(*l*) Hemicrania.
(*m*) Decolores & exſangues.
(*n*) Indefinitè.

gis ferocit atque irritatur, itaque expectandum donec manſueſcat, ita enim medicamento trahenti patebit: de iis Hippocrates dixit, *febricitanti caput ne purgato: alioqui furioſus fiet*: quod diligenter notandum eſt ne fruſtra in fœdis coloribus pilularum cephalicarum uſu capitis dolorem rebellem profligare tentemus. Nos enim aſſerimus id fruſtra ſæpe tentatum a Medicis, qui non habita ratione doloris capitis virgines affixere ſoliti ad pilulas confugerunt, dolorem auxerunt, nedum ſuſtulerunt, immo ne lenivere quidem. Videndum an ἄχροοι καὶ λείφαιμοι non ſint purgandi. Ἄχροοι proprie λειφαίμιες ſignificant, id eſt exſangues: nam λειφαιμίη apud Ariſtotelem ſanguine deſtitui ſignificat: ſed qui ita decolores ſunt paucique ſanguinis exercitatione potius ſunt calefaciendi: item uſu vini generoſioris & cibo ait Galenus: quod ad virgines accommodari poteſt quum videantur eſſe ἄχροοι. Si ἄχροον τὸ λείφαιμον (*o*) ſignificet, cur duo hæc nomina uſurpantur? Proprie quidem ἄχροον τὸ λείφαιμον ſignificat, ſed tamen in ſe τὸ λείφαιμον (*p*) aliquid habet peculiare, nam ſignificat inopiam ſanguinis ſine manifeſta illa decoloratione quæ in ἀχρόῳ (*q*) eſſe ſolet: nam ἄχροον decolorationem perſpicuam deſignat. Sic non abs re e numero purgandorum καὶ τοὺς ἀχρόους καὶ τοὺς λειφαίμους (*r*) eximit. Sed ut præclare Galenus eodem in commentario monet, aliud longe eſt κακόχροον (*s*), aliud vero ἄχροον καὶ λείφαιμον (*t*): nam illud κακόχροον vitium in colore notat ut vel plumbeus, vel lividus, vel niger, vel auruginoſus, vel cum virore pallidus color ſit: ac neceſſario viſceris vitium & peculiarem affectionem inſequitur, quod *ex libris de locis affectis* ante demonſtratum eſt. Ut enim hepate & liene probe ſuum officium faciente ſanguis purus eſt, floridus ac defæcatus: ita alterutro aut utroque laborante defœdatio cutis conſequitur. Sed ἄχροον καὶ λείφαιμον non vitium in colore ob cacochymiam aut cruditatem ſignificat, ſed coloris defœdationem improprie dictam per penuriam & defectum caloris & ſpiritus qui partes illuſtrantes colorem nitidum ſplendentemque præſtant. Nec abs re dixi defœdationem improprie dici cum id a politico loquendi modo petatur: vulgus enim decolores ἀχρόους male coloratos appellat: quum color malus vitium ſubeſſe demonſtret: ἄχροια (*u*) autem ab inopia & exhauſtu, aut refluxu intro caloris & ſpiritus oritur. Sic pallentes & ἀχρόους καὶ κακοχρόους dicere poſſimus diverſa ratione: ἀχρόους (*x*) quidem ſi color non ſit alienus ut viridis, plumbeus, livens nigricanſve: κακοχρόους (*y*) autem ſi aut ſuperſtitis aut ſuccreſcentis cacochymiæ ratione mala coloratio adſit, ut in ictericis ſuffuſiſque cernitur. Et utroque modo ab effectu & mors pallida, ut apud Virgilium Ditis regnum deſcribentem,

Veſti-

Gal. com. in aph. 115. l. 4. acut.

Gal. ibid.

Gal. ibid.

Ἄχροοι καὶ λείφαιμοι & κακόχροοι diſtinguuntur.

(*o*) Decolor exſangue.
(*p*) Exſangue.
(*q*) Decolore.
(*r*) Decolores & exſangues.
(*s*) Male coloratum.
(*t*) Decolor & exſangue.
(*u*) Decoloratio.
(*x*) Decolores.
(*y*) Male coloratos.

Veſtibulum ante ipſum 6. Æneid.
Luctus & ultrices poſuere cubilia curæ,
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.

Morbi pallentes dicuntur quod homines reddant & decolores & male coloratos: decolores quidem non conſumpto ſanguine & ſpiritu, male coloratos ob reſiduam cacochymiam, aut quia diuturnitate morbi, præſertim ſi impurgati manſerint ægri, carnes corrumpuntur ac liqueſcunt, unde leucophlegmatiæ origo, ut ſcribit Hippocrates. Præterea decolor pro obſcuro ſumitur apud eumdem Virgilium, ut quum ait, *Hip. l. de affection.*

Rebus nox abſtulit atra colorem. *Eod. l. 6.*

Nam res obſcurat lumine ſubſtracto: quum aër illuſtratus medium ſit quo res aſpectabiles ſub ſenſum cadunt ut Ariſtoteles docet. Quæ omnia nobis longiori oratione explicantur, ne temere quis τὸ κακόχροον ἀντὶ τοῦ ἀχρόου ἢ λευφαίμου (z) male uſurpet: nam κακόχροια (a) peculiaris alicujus affectionis ſoboles eſt & pravi alimenti in venis contenti. Ut mirum ſit cur dum Hippocrates de colorum mutationis cauſa agit, hanc a corde repetit: *Colorum mutationes* (inquit) *corde venas aſtringente fiunt, & eodem ſeſe laxante. Laxante quidem rubicundi fiunt, bene colorati ac pellucidi; conſtringente vero ſe, virides cum pallore & lividi.* At hæ mutationes attribuuntur potius alimento. Sed id fit tantum ob revocationem ſpirituum, aut ratione caloris aut frigoris, aut caſus ipſius facultatis, ut Galenus de livore partium extimarum docet. At quæ mutationes ab alimento ſunt, aliis ſignis ſunt inquirendæ. Nec mirum ſi corde affecto mutationes iſtæ contingant, quum verum illud ſit Galeni: *Quicquid cor per caliditatem aut frigiditatem patitur, hujus confeſtim aliæ corporis partes participes fiunt.* Ex ſuperioribus jam abunde patet non parvi intereſſe ad corporum & morborum diſtinctionem an corpus decolor ſit, an pravo infectum colore. Quod autem Hippocrates lienoſos medicamenti uſu prohibeat, id non probatur Galeno, immo ob nigrorum melancholicorumque excrementorum proventum eos præ ceteris medicamentis agitari vult, idque ἀδροτέρως (b), id eſt, valide vehementerque, ut loquitur in aphoriſmis Hippocrates. Si ſplenicos medicamentis interdicimus, in eorum cenſu habere oportet virgines colore fœdo laborantes: demonſtratum ſiquidem eſt ante in iis lienem maxime de cauſa eſſe. Sed ut hac in parte deſerto Galeno pro Hippocrate ſtemus, arbitri honorarii partes agemus. Eſt ubi lienoſi medicandi ſunt ſicut & icterici, eſt ubi non. Non adeo imprudens eſt Hippocrates ut eos lienoſos purgare prohibeat, quarum in liene plurimum humoris fæculenti concluſum coacervatumque eſt, quum medicatio eis plurimum ex uſu profutura ſit: ſed de iis mihi videtur maxime intelligere quibus imbecillus lien, aut præ imbecillitate nequit corpus præſertimque hepar defæcare, ut inde totum abdomen intumeat, præcipue flatibus malis ibidem coercitis, nec non corpus emacietur ac de-

Ariſt. in l. de ſenſu & ſenſili.

Hipp. l. de oſſium nat. Unde videas multos & bilioſos & melancholicos per aduſtionem quibus facies pallet utpote corde ſe conſtringente. Gal. com. in par. 8. & 9. l. 2. prognoſt. Gal. c. 5. l. de ſang. miſſione. De lienoſis locus eſt præclarus huc faciens l. 2. de morb. cap. de Eryſip. Com. in part. 115. l. 4. acut. Hipp. 4. aph. Quibus lienoſis & ictericis medicatio eſt ex uſu.

(z) Quod eſt male coloratum loco decoloris & ex ſanguis.

(a) Mala coloratio.

(b) Validè & vehementer.

floreſcat. Quis enim eos medicamento præſertim valido agitabit? Itaque non erit alienum duas has voces conjungere, λειφαίμους καὶ σπληνώδεις (*c*), ut de lienoſis emaciatis & extenuatis locus intelligatur, quibus nimirum imbecillus eſt lien, & corpus pæne exſangue: quod in pleriſque patet: at κακοχρόων (*d*) alia longe ratio eſt. Sic ſignis ſyllogiſticis venanda eſt diſtinctio τῶν ἀχρόων καὶ κακοχρόων (*e*), alioqui non mediocris error committetur. 10. Plura de purgatione hic dicta ſunt, quam propoſitum eſſet: ſed difficultates quæ recens oboriuntur, ſæpe orationis filum producunt. De ſectione venæ dicendum eſt non paucioribus verbis. Quæ enim de purgatione & ſectione venæ dicuntur, non tam accommodata ſunt huic de fœdis coloribus inſtituto ſermoni, quam ut exacta diligenſque explicatio nobis axiomata & poſtulata ab Hippocratis ſequacibus appellata ſuppeditet, quum ad alia ſeſe noſtra convertet ratio. Quum ea quæ generalius ſunt tractata, facile pro re nata in anguſtum coerceri poſſint.

An fœdis coloribus venæ ſect. conferat.

Ac de ſectione venæ jam aliquid attigeramus in dubitationem adducentes, an in fœdo colore ſectio ex uſu foret: nam quum in ea affectione aut alimenti defectio ſit, aut ejuſdem, cum mole corporis crudi aut corrupti, & ſanguinis limites infra ſuprave excedentis, exceſſus aliquis, plenitudinem ad vires potius quam ad vaſa inducens, non præter rem de ea re quæritur. Nam ſi ſuccorum defectio, quid attinet venam tundere? 11. Si crudus humor & proxime leucophlegmatiam accerſiturus, coquendum potius: ſi cacochymia, purgandum: ſi contumax obſtructio, liberandum & aperiundum. Qua vero ſit ingrediendum, quidve hac in re ſequendum, illud ex artis fontibus hauriendum: ſiquidem hic idem quod & in decernendis judicandiſque litibus contingit, ut nimirum facti quam juris quæſtio ſit obſcurior. Sæpe enim æquum videtur ut quid fiat, quod tamen faciundum non eſt: ut contra multa faciunda ſunt, quæ an jure, an loco, an tempore fieri debeant, ſcitu eſt difficile: ut de diæta *in libris acutorum* demonſtravit Hippocrates. Ac ſectione venæ in primis plethora præſertim cum viribus juncta (a quibus prima indicatio deſumetur) evadet; hæc aut ad vaſa, aut ad vires eſt; utraque vel pura dicitur, vel impura: pura quidem quum ſucci laudabiles cum quadam æquabilitate redundant: impura autem cacochymiæ particeps cum ſuccorum in vaſis impurorum redundantia. Pura plethora, ſuis ſignis ſeſe proferens quæ Galenus copioſe expreſſit, tuto ſectione tollitur, alioqui metus eſt gravioris mali; in impura cunctantius agendum: parcius vero atque reſtrictius quo impurior fuerit. Nam Galenus de laſſitudine ulceroſa diſputans, rem definivit: *videndum*, ait, *an laſſitudo cum ſanguinis copia ſit, an cum crudis humoribus, an per ſe ſolus conſiſtat vitioſus humor laſſitudinis auctor: nam ſi eſt cum ſanguinis copia, aut ſecanda vena, aut aliquid ſuppar agendum, ut provocanda hæmorrhois, aut ſanguinis fluor: quod ſi vitioſi tantum ſucci, hique citra ſanguinis copiam, purgatio tentanda eſt: idque pro*

Lib. 1. & 2. de diæt. acut. Loc. annotatus a me præcl. init. l. 1. Epid. meorum quum agitur an ſit purgationi præmittenda venæ ſect. Gal. l. de com. in aph. 3. l. 1. Gal. c. 4. l. 4. de ſan. tuend.

(*c*) Exſangues & lienoſos.
(*d*) Malè coloratorum.
(*e*) Decolorum, & malè coloratorum.

pro dominatu humoris agendum. Sin crudi humores, mitificatione domabuntur: coctionis autem argumenta ex ſudoribus & urinis petentur: nam vel tenues manent: vel craſſæ meiuntur & manent; vel tenues mejuntur, & tamen poſtea fit ſecretio: vel tenues quum excernantur, turbantur ſtatim, aut longe poſt. Quorum omnium ratio ad unguem tenenda: petendaque *ex quarto de ſanit. tuend.* Ceterum ſi corpus virginis probe erat conſtitutum, ſed aut interno vitio, aut victus errore cacochymia contracta eſt, eouſque tantum demendus ſanguis, dum plenitudinis metus vitetur, deinde impuritati conſulendum: quæ ſi in meſenterio primaque adeo regione, frequentius audentiuſque ad purgandum tete accinges. Ac calida bilioſaque plenitudo eſt tuto ſectione venæ minuenda propter eam maxime, quæ inde ſequitur refrigerationem: melancholica parcius: quod verum quidem ſi refrigerationem ſpectes, quæ tanta non requiritur, quanta in ſuperiore bilioſa: ſed ratione aut humoris fæculenti multi calorem obruentis, aut aduſtionis modo generati ſucci melancholici, ut in iis contingit qui olim fuerint ἰυανθεῖς καὶ ἐξέρυθροι, id eſt floridi & prærubri ſanguine dominante, temporis autem ſucceſſu corporis prohibita difflatione melancholici redduntur, & cum frontis rigiditate quam Hippocrates apte nomine σκυθρωπότητος ſignificat, plenius largiuſque ſanguinem demimus: quod & faciundum Galenus ſuadet *in ſuis libris de locorum affect. notitia.* Sed inter ceteras in pituitoſa reſtrictiores eſſe oportet: quum enim humor ſit frigidus, ſectione duplicatur frigiditas; hinc difficultas coctionis conſequetur: accedit quod huic maxima ex parte comes ſit virium imbecillitas, quæ evacuationem iſtam diſſuadet: Et quum morbus longus ſit, temporeque egeat ad mitificationem, aut ſectionem venæ differimus, aut eam parce celebramus. Quod autem in copia crudorum humorum vires langueant, manifeſte Galenus explicat, docens illam impedimento eſſe quominus ſanguis mittatur, idque ratione virium. Non tamen quoties a copia gravantur vires, a phlebotomia deſiſtendum: ſed ſi humores ſunt laudabiles qui gravant & pulſus inæqualitatem afferunt, neceſſario ad phlebotomiam eundum; ſi moles ſit & oppreſſio a crudis ſuccis aliud conſilium ineundum. Quamquam infirmitas omnis per ſe non diſſuadet phlebotomiam, ſed ea maxime quæ ab exhauſto eſt; quæ a ſuccorum pondere aut copia nonniſi homonymως: in quo pulſus maxime ſunt obſervandi. Nam ſi inæqualitas eſt ut modo magnus, modo parvus, modo tardus, modo celer, frequens aut rarus, mollis aut durus, videndum an plures majores, frequentiores, duriores, ordinati, an contra: & his obſervatis de virium, non præſentium, ſed potius futurarum, ſtatu divinare conjectarique oportet: atque hic prudentia Medicorum elucet.. Ac de cruditate & ejus ſignis, præſertim quum redundant crudi ſucci, qui turgentes præ copia periculum forte tranſlationis crearent, abunde Galenus *in ſuis comment.* Verba ſunt: *ſic ubi corpus albius pituitoſum humorem arguit: Item videas ceu plumbi colorem, vel miſtionem albi lividique, vel lividum ſolum: ergo hi colores crudos dominari ſuccos ſignificant, qui quum de genere ſint pituitæ, minus tamen humiditatis habent, quam ea quæ publice nominatur pituita: plerumque ei nec lentor ineſt. Sanguis*

Cap. 4.

Quæ plenitudinis ſpecies venæ ſect. minuenda.

Gal. com. in part. 14. lib. 2. prorrh. & c. 7. l. 3. loco aff. Hipp. par. 14. l. 2. prorrh. Cap. 7. l. 3. loco aff.

Cap. 9. l. de ſang. miſſione.

Cap. 4. l. 4. ſanit. tuend.

guis autem velut medius eſt inter bilioſos & hos crudos: illi ex ſanguine nimium cocto fiunt, hi ex eo nondum ſatis cocto: Itaque de pituitæ natura participant. Et quoniam variæ ſpecies ſunt, prout vel ſupra vel infra ſanguinem receditur, ubi paullum vel citra ſanguinem reſtitum, vel ultra proceſſum eſt, audacter mittendus ſanguis; ubi plus, conſideratius agendum, ubi plurimum, in his nullo modo mittendus ſanguis. Inſpicies quantitatem: ut ſi bonus ſanguis paucus ſit, reliquus ſuccus multus a ſectione temperandum. Sin bonus multus, ſuccus paucus, audacter ſecundum. Hinc idem Galenus, *quibus copioſus ſanguis & nondum inſigniter in alterius humoris naturam verſus, audacter detrahendus: contra agendum ſi jam mutatus eſt.*

Part. 43 ſect. 3. l. 6. Epid. Admirabilis hic eſt locus de phlebotomia.

Atque hic duo quæri poſſunt obſervatione digna. Prius, ſi ubi paucus ſanguis bonus, & reliquus ſuccus multus a phlebotomia temperandum, cur in ſumma extenuatione, & ſanguine jam in naturam aliam converſo & pici ſimillimo mulieri ſanguinem largus detraxit Galenus? Bis enim peccat contra ea quæ dicta ſunt *in libro de ſanitate tuenda.* Poſterius, an verum illud, mutatio ſanguinis in naturam alienam etiam inſignis a ſecanda vena avocat, ut ante dictum eſt? Contra enim videmus feliciter detrahi ſanguinem bis terve dum etiamnum inſigniter mutatus ſanguis, ut dum cum virore pallet, aut ὠχρὸς (*f*) eſt, aut viridis, aut lividus, aut puri varii coloris finitimus: Præterea ex ſententia Galeni: Is dum interpretatur quid vocet Hippocrates in pleuritide ad coloris mutationem ſanguinem detrahere, ait, *ſi ſanguis pituitoſior ſit qui in toto corpore ægroti ſparſus eſt, ille qui in obſeſſa a phlegmone parte continetur rubicundior apparebit: Sin rubeat univerſus ſanguis, niger ab affecta parte evacuabitur: Sin lividus eſt, talis exſiſtit dum a rubro in nigrum proceditur.* Itaque ſi commode rubeus pro pituitoſo, niger aut lividus pro rubro & florente educitur, quum in aliam naturam mutatio inſignis facta ſit, cur non ex univerſo corpore convenienter & lividus, & niger, & viridis tunſa apertaque vena eximetur? Eadem & partis & totius ratio videtur. Sed ne quid animos legentium moretur atque ſuſpendat, utramque quæſtionem dirimemus; de priore quidem hoc videtur ſtatuendum. Ubi paucus quidem ſanguis bonus, multus vero alius eſt, vel eſt crudus, vel vitioſus, vel utriuſque naturæ particeps. Si crudus ſit vel vitioſus, conſtat quidem vires hic ſtare non poſſe: itaque ſecundum canones a Galeno propoſitos *in libro de phlebotomia* in neutro ſecanda vena eſt. Tamen hic conſideratos eſſe oportet: nam quum vitioſus ſanguis ac velut coinquinatus fiat vel ratione ſuppreſſæ ſolennis evacuationis, vel propter dominatum caloris æſtuoſi qui κακοήθειαν (*g*) quamdam inducit omniaque inficit, vel ob pravam partis diſpoſitionem, unde κακοπραγία (*h*) & prava hæmatoſis in hepate, unde & colorum contra naturam apparitio Galeni opinione, hepate labem quæ minime elui poteſt, quæque proxime accedit ad lanas arte infectoria intinctas, (ut de cerebro omnium clariſſime docet Galenus explicans vim τῆς παρακρούσεως ἀσαφοῦς (*i*) *in Prorrhet.*) item & in

Com. in par. 29. ſect. 3. l. 6. Epid.

Com. in par. 10. de diæt. acut. Quid ſit ſanguinem detrahere ad mutationem coloris.

12.

Gal. c. 7. l. 5. de loc. aff. Magna vis ipſius διαθέσεως (k) ad alendum fovendumque morborum ſemen.

(*f*) Pallidus.
(*g*) Malignitatem.
(*h*) Mala elaboratio.
(*i*) Deſipientiæ obſcuræ.
(*k*) Diſpoſitionis.

in pulmonicis vulgo dictis, præsertim qui phthoe laborant, ob peculiare vitium eo malignitatis humores deveniunt, ut labes immedicabilis corpori contrahatur; cum, inquam, omnibus his modis vitiosus maleque moratus fiat sanguis, videndum quid opus facto. In solenni suppressione si contracta labes, vel quæ in marcorem jam corpus conjecerit, Veteres minus sectioni venæ pepercerunt, si alia arte procurari evacuatio solita non posset. Quamquam etiam in suppressione mensium sola malleolorum scarificatione contentus est Galenus, ac si dicat in solennis evacuationis suppressione satis superque esse si naturam invitemus ad cursum solitum repetendum, nec ad evacuationem arte nostra progrediundum. Atque causa paullo superius adducta Galenum invitavit ad celebrem profusamque phlebotomiam in muliere extenuata. Et *in Epidemiis* in affectu quem ἀναπτησίαν (*l*) vocat, etiam venam secat ut *in nostris commentariis* scripsimus. Sin autem acer calor sit, ut in iis quos ante ex Hippocrate θερμοκοίλους (*m*) vocavimus, & quibus extimam carnem alvo æstuante esse diximus, satis est temperare sanguinem. Et si quando phlebotomiæ locus est, præparce id faciendum refrigerationis moderationisque ergo. At si in parte totius substantiæ vitium sit corruptionis auctor, alio forte quam ad phlebotomiam recurrendum. Sed dicat quis: quid de crudo sanguine censendum, hic enim sæpe talis fit ob suppressam solennem evacuationem? Præterea quid vitiosus a crudo distinguitur? nam *in libris de sanitate* quum lividi coloris plumbeique causas inquirit, eum a crudis succis originem ducere scribit. Et tamen id genus colores non modo ab iis humoribus qui infra sanguinem sunt (quo genere omnes pituitæ differentiæ continentur) ducuntur, sed ab iis etiam qui supra sanguinem sunt, ut sunt atrabilarii & bilioſi. Inter utrosque enim sanguis ambigit ut aperte demonstrat Galenus. Locus itaque postulat ut τῶν ὠμῶν καὶ ἀπέπτων (*n*) distinctio afferatur: incoctum, Græcis ἄπεπτον, non omni ex parte coctum, quod & Veteribus Medicis ἄσηπτον dicebatur, ac si dicas, imputrefactum: mos enim fuit Antiquis cocta, putrefacta appellare, & incocta, imputrefacta ut ex Hippocrate demonstrat Galenus *in aphorismis*. Ita enim putrefactionis nomine coctionem indicabant, unde Empedocles, ut Aristoteles & Plutarchus notant, vinum aquam in vite putrefactam esse dicebat, id est, coctam ac mitificatam. Et Plistonicus cibum in ventriculo putrescere dicebat ut ait Celsus. Sed hanc convulsit opinionem de putrefactione Galenus. Ut ad rem redeamus. Quum humores mitificati non sunt ἄπεπτοι (*p*) dicuntur: quum in ventriculo chylus aut in hepate sanguis nondum est satis coctus, ἀπεπτεῖ (*q*) dicitur: sed diversa ratione: omne pituitæ genus ἄπεπτον dicitur, quia infra sanguinem est: & qui morbi inde surgunt, ex incocto humore proveniunt. Tamen ut rerum distinctiones vere assignentur: dicemus τὰ ὠμὰ, id est cruda, τῇ πέψει (*r*) opponi, & τὰ ἄπεπτα τῷ πεπασμῷ

Com. in par. pen. sect. 1. l. 1. prorrhet. 13.

Gal. c. 11. l. de sang. missione.

Cap. 4. l. 4.

Ibidem.

Ut differant ὠμὰ καὶ ἄπεπτα (o). Gal. com. in aph. 1. lib. 6. Hipp. l. de aff. Plutarch. in nat. quæst. Arist. c. 5. l. 4. topic. Plutarch. in nat. quæst. Arist. c. 5. l. 4. topic. Celsus in proœmio l. 1. Gal. c. 1. lib. 3. de sympt. caus. sis.

(*l*) Analepsin, virium resumptionem, anactesin.
(*m*) Ventre calidos.
(*n*) Crudorum & incoctorum.
(*o*) Cruda & incocta.
(*p*) Incocti.
(*q*) Incoctus.
(*r*) Concoctioni.

πεπτῳ (*s*) : id eſt quum abſoluta nondum coctio eſt, cruditas exſiſtit coctioni proprie dictæ oppoſita : quum humores mitificati non ſunt, mitificationis exſiſtit vacuitas pepaſmo objecta atque adverſa. Sic bilioſi humores etiam aduſti recoctique dicuntur ἄπεπτοι, crudique, ſumto nomine τοῦ ὠμοῦ (*t*) largius. Hippocrates ait, *attrahuntur a thorace & pulmone bilioſa cruda*, græcè ὠμὰ : Galenus ἄπεπτα (*u*) proprie vocat, aitque vocari multa ab Hippocrate & Medicis cocta quæ tamen in naturam noſtram non poſſunt faceſſere, minimeque ſunt alibilia : eatenus autem cocta dicuntur, quod vi naturæ evicta, domita, ſuperataque ſint antequam excludantur, ut bilis utraque & ichores, id eſt ſerum mitificationem non facile admittens : quæ omnia a Galeno fuſiſſime *illo in comment.* Et Ariſtoteles idem docuit dum explicat quomodo urinæ & corporis excrementa generalius cocta dicantur. Itaque non abs re diſtinximus crudos humores a vitioſis, & incoctis, ut crudi dicantur infra ſanguinem ſubſiſtentes, vitioſi & incocti, qui vix naturæ gratiam recipiunt. Sic evacuatio ſuppreſſa & crudos & vitioſos humores poteſt inducere : crudos quidem, dum refluxu humoris evacuandi calorem nativum aut minuit aut ſtrangulat, quod in mulieribus quibus menſes non reſpondent videre eſt : nam pingueſcunt & craſſiores redduntur copia crudorum humorum præ caloris paupertate in corpore ſuccreſcentium : item & vitioſos inducit humores, dum qui ſanguis humorve ſupprimitur inficit reliquum corpus atque contaminat. Itaque hic aliter atque aliter ſe gerere oportet. Nam ſi cruditas humorum proprie dicta adſit ob caloris inopiam in coquendo & mitificando incumbere oportet, immo ſi illam ſuppreſſa evacuatio induxerit, initio ut tuta eſt ſectio venæ, ita calore jam obruto ſtrangulatoque cautiores eſſe oportet. Sin vitioſi ſucci ſint ac contaminati, aliqua oneris parte levari poteſt natura ad reliquum evincendum. Nec abs re in muliere extenuata, largius ſanguinem detraxit, ratus e re futurum, ſi detracta peſſimi ſucci magna parte, natura in reliquum ſeſe accingeret : quod Galenum feciſſe intrepide credibile eſt viribus aliqua ex parte firmis : nec enim debilitatis viribus tantam evacuationem molitus fuiſſet is qui tanti vires in phlebotomiæ controverſia facit, ut ab iis fere ſolis indicationem ſecandi deſumat. Quamquam vix ac ne vix quidem fieri poteſt ut vel vitioſis ſuccis redundantibus, vel crudis cum paucitate ſanguinis laudabilis virium aliqua ſit firmitas. Sic facti quam juris controverſia difficilior eſt. Reſtat unum explicandum de mutatione ſanguinis : obſcurum eſt enim quid hac in re ſequendum. Etenim ſi ex Galeni ſuperius adducta opinione ſectio venæ omittenda eſt, quum inſigniter ſanguis mutatus eſt, multis perperam celebratur ſectio in ſanguinis corruptione : tamen felici ſucceſſu id fit. Et quod objectum eſt de pleuritide in qua lividus, vermiculans, nigerque ſanguis detrahitur, aliud eſt peculiaris ſectionis venæ rationem habere, aliud totius corporis : nam

Hipp. par. 44. l. 2. de diæt. acut.

Ariſt. c. 2. l. 4. met.

Credibile eſt in illa muliere potius τῷ συνδιαφθορᾷ (x) peccaviſſe ſanguinem quãvis qualitatem vulgo terrificam acquiſiverat, quam τῇ γενέσει (y). Quod notandum. Nam in hoc conſiſtit diſtinctio, quæ poteſt deſumi ex com. in aph. l. 4.

(*s*) Incocta concoctioni, maturationi.
(*t*) Crudi.
(*u*) Incocta.
(*x*) Concervatione.
(*y*) Generatione.

nam dum a parte inflammata aut vicina ſanguis deducitur, neceſſe eſt ratione phlegmones primo quoque tempore ſanguinem mutari etiam inſigniter: quod ſi in ea inſignis mutatio totam ſanguinis maſſam attingeret, cautiores eſſe oporteret in phlebotomia. Atque hæc ſufficiant.

An in fœdis coloribus & in cruditate ſi febris jungitur, vena tundenda? Com. in par. 49. l. 2. prorrh.

Unum eſt reliquum quod nobis negotium faceſſeret. Si in fœdis coloribus & cruditate plenitudineque ad vires febris jungitur, an ratione febris phlebotomia ſuſcipienda? Nam hoc hodie factitari videmus, ut audito nomine febris ad ſectionem ſtatim accurramus. Immo in crudorum humorum proventu febris quædam analoga commoditatem aliquam afferre videbitur. Etenim juvat humores frigidos mitificando, ut *in Prorrh.* explicat de Apoplexia loquens, frigiditatem humorum temperat eodem auctore, immo coquit, ut *in Epidemiis* exemplo gravedinum cum febribus junctarum explicat. Et quartanarum febrium calor morborum frigidorum vindex eſt, auctore Hippocrate, *Epidem. ſexto.* Itaque in iſta cruditate excitanda potius febris eſſet, nedum quum orta eſt reprimenda. De ea re Galenum audiamus dum de cruditatibus loquitur & plenitudine ad vires: *Crudis humoribus*, ait, *abundantibus antequam ægrotent caute vacuandum: ubi febricitant, nequaquam.* Quod ut intelligatur, repetenda, quæ ſunt prius dicta. *Ubi plenitudo ad vires gravat non ſemper ſanguis trahendus: nam fieri poteſt ut per corpus univerſum humor ſit ſparſus, in quo attendas quantum valeat virtus, quantumque ſit humoris: nam a crudis ſuccis virtus exſoluta in extremum malum per ſectionem venæ incidet, a quo numquam emerget. Quod ſi factum fuerit, aut leve ſequetur periculum, præſertim ſi æſtiva conſtitutione, ſtomacho male habente, febris acceſſerit, aut ſi corpus univerſum molle & humidum ſit. Hi enim facile digeruntur & leipothymiis prehenduntur, etiam ſi mediocris febris accedat.* His & conſentanea *in methodo* ſcribit: *febricitare incipiunt quidam ubi maximam crudorum humorum copiam cum oris ventriculi offenſa, vel ex cruditatibus, vel alia occaſione collegerunt; his & præcordia inflata, & corpus tumet; tum color aliis ad albidius, quam pro naturali habitu, & fere qualis in hydropicis: aliis ad nigrius ac lividius. Omnibus pulſus minores quam pro caloris ratione, præterea obſcuri & inæquales. Nulli talium ſanguis mitti ſine maximo periculo poteſt, quum tamen vacuationem exoptent: immo nec purgationem, nec ſanguinis miſſionem ferre poſſunt, pote quos ex facili ſyncope adoriatur.* Atque ita ex utroque loco patet in ejuſmodi cruditatibus neutri remedio locum dari, atque multo magis ſi febris adſit. An vero febris ipſa per ſe diſſuadet? nequaquam. Sed aliæ conditiones ad hanc adjungi debent: alioqui erronea hæc erunt, quum febrilis calor ex ſe ſectionem venæ, aut ſaltem refrigerium poſtulet. Primum jam conſtat copiam eſſe crudorum ſuccorum a qua vires obruuntur; ſi febris auctario accedat, adhuc magis metuitur viribus: omnes enim norunt a febre & vires labefactari & actiones lædi: maxime vero & cruditas, & febris per ſe lædentes venæ ſectionem dehortantur ſi & æſtiva ſit conſtitutio, & ſi delicatius os ſit ventriculi. Quum itaque Galenus ſupra dixit, *caute vacuandum eſt quum ſucci crudi ſint antequam quis ægrotet, quum vero febris adeſt, nequaquam*, ita intelligi debet hæc periodus de febre, ut diſcamus a febre indicationem non peti diſſuadendæ ſectionis

Com. in apho. l. 4. Com. in part. 10. ſect. l. 6. Epid. Gal. c. 10. l. de ſang. miſſ. Gal. c. 6. l. de ſang. miſſ.

Cap. 3. l. 12. meth.

nis venæ, ſed id fieri tantum per accidens, aut ſi febris diſſuadeat, debent quoque alia accedere, nempe ſi æſtiva ſit conſtitutio, & ſi exquiſitius oſculum ſit alvi ipſius. Tamen hoc addemus ad τέκμαρσιν (z) pertinens & uſu probatum: Si quæ ſuccedit febris humorum cruditati a putredine, eaque, ut ſolet, majorem inducat in humores corruptelam, ſitim adaugeat, ἀνορεξίαν (a) majorem pariat, denique ad ſe curantis conſilium revocet, ratione ipſius febris nonnulla tentari per phlebotomiam poteſt evacuatio.

Hæc omnia plenius a nobis dicta ſunt, ut animadvertant ii qui fœdatis virgunculis operam aliquam ſunt navaturi, cautos ſeſe hic gerere oportere, ac forte ſequendum conſilium Galeni quod in crudorum ſuccorum abundantia proponit, maxime vero *in libro de ſanguinis miſſione*, ut nimirum & in frictionibus conſiſtamus, & in unctionibus mediocriter calefacientibus, & potibus craſſitudinem humorum incidentibus. Sed ita res ſunt temperandæ, ut nec valde çalefacientia, nec impenſe attenuantia uſurpemus: nam ab illis febris aut accerſitur, aut accerſita augetur, indeque major vis facultatibus infertur: ab iis vero periculum majoris obſtructionis affertur, & tumultus violenti. Et quod in pituitoſorum humorum copia Galenus facit, abſtinens a diureticis, & iis quæ ſanguinem fundunt ac liquant, id ipſum ſequendum eſt: nam ut præclare docet, *iis quæ coquenda ſunt, magna & ſubita agitatio non quadrat.* Quibus conſentanea ſunt ea quæ *in aphoriſmis* dicuntur, quum demonſtrat quid ſit facere corpus apertum ac perſpirabile. *Qui extenuat atque incidit craſſos humores, meatuſque per quos educi debent humores aperit, recte facit: qui vero hoc negligentes vomitus purgationeſque tentant, iis corpora purgantur non ſine torminibus, vertigine, malo pulſu, diſſolutione atque difficultate.* Itaque mature incidere oportet, meatuum libertatem comparare, & naturæ vim excitare, quod Hippocrates diſputans de viribus oxymelitis in affectibus pulmonum explicavit. Et alio loco Galenus loquens de tollenda obſtructione putredinis parente, *ſi*, ait, *auxiliis quæ obſtructiones eximunt uti velimus, non vacuata prius redundantia, non modo nil proficiemus, ſed majorem reddemus affectum: ſin vacuata multitudine ad obſtructionem accedimus, medicamentis utemur quæ citra calefactionem expedient.* In quibus Galenus ſecum maximè diſſentit: nam alias in cruditate uſum incidentium reformidat, metu majoris mali; alias paullo poſt uſum diatrion pipereon in copia ſuccorum crudorum uſurpat. Præterea *in aphoriſmis* in humorum tenacitate utitur origano, calamo, pulegio, chymo, oxymelle, quæ omnia videbuntur infarcire humores niſi corpus repurgatum fuerit: Et *in methodo*, cavet ne iride, panaceque utamur aliiſque detergentibus: Contra *in libris de ſimplic.* non reformidat in plenitudine ecphratica medicamenta, *quoniam*, ait, *etiam ſi aſtringant aliquatenus, non nocent tamen, quando quidem meatus interni ſunt patentes.* Et quum vult cocta non cruda medicanda,

Cap. 3. l. 12. & c. 7. l. de ſang. miſſione.

In pituitoſorum humorū copia abſtinendum a diureticis.
Cap. 4. l. 4. de ſanit. tuend.
Com. in aph. 9. l. 2.

Hipp. l. 3. acut. c. de oxymel.
Nonniſi vacuata redundantia obſtructio putredinis parens tollenda.
Cap. 4. l. 4. ſanit. tuend. 8. meth.
Cap. 12. l. 5. ſimpl.

(z) Cognitionem conjecturalem & artificioſam.

(a) Inappetentiam.

canda, hoc intelligi volunt de vacuante non autem de alterante medicamento: proptereaque nil impedire quo minus incidentibus detergentibusque utamur. Sed & major longe difficultas. Corpus plenum ſuccis crudis, cujuſmodi ante finximus fœdatarum virginum corpus, nec purgandum, nec ad phlebotomiam adducendum, ſed ad frictiones & olea chalaſtica: Item ut clarius docet Galenus: *quibus cruditates multæ, tenaceſque ac crudi ſunt ſucci, nec non hypochondria contenta, aut urina ſupra modum calida, maxime ſi qua inflammatio, hi omnes ad purgationem inepti ſunt*: ſic ea corpora præparanda ſunt attenuantibus, incidentibus, frictionibus, chalaſticis, & ut abſolute dicam, ὑγρὰ (*b*) facienda ſunt; tamen *in methodo* diſertis verbis vetat Galenus ne quis corpus rarefaciat priuſquam purgatum evacuatumque fuerit. Qui locus ſuperius adductus de frictionibus, de uſu oleorum in cruditatibus, de uſu ecphraticorum plane pugnat, nec non iis quæ Hippocrates de elleboriſmo ſcribit: nam hominem elleboro purgandum præhumectari vult cibo, quiete, balneo: at id corpus rarefacere eſt. Quis enim dubitat quin ſi corpori obſtructo conſtipatoque (nam conſtipatio ad ſuperficiem poroſque corporis externos, obſtructio vero ad internum corpus proprie pertinet ex Galeno) præſcribamus τὰ ἀραιωτικὰ ἢ χαλαστικὰ, ἢ ἐκρατικὰ, ἢ διαπρητικὰ, ἢ ὀξύπωρα (*c*) & alia id genus, & ea quæ detergunt, non auctus ſit obſtructiones, & in inanes capacitates humores impacturus, niſi accurate prima corporis regio ſit repurgata? Numquid etiamſi exercitationibus frictionibuſque utaris incommoda ſis allaturus? Cur enim impuro plenoque corpore vetant therapeutica præcepta ne frictiones parti uni adhibeantur metu tumoris? Quinetiam ſi pleno impurove corpore exſiſtente exercitatio injungitur & ruptionis vaſorum, & epilepſiæ & apoplexiæ aut tumorum ulcerumque metus adeſt ut *in aphor.* explicat Galenus: Unde a vetere magiſtro dictum: *Si impurus laboret, ulcera erumpent*: Quibus omnibus quis eliciat facile in cruditate humorum, in cacochymia magna formidabilem eſſe uſum & purgationis, & venæſectionis, & medicamentorum aperientium, incidentium, extergentiumque ob eas quæ explicatæ ſunt incommoditates. Tamen ut non omnia ad unguem accipienda ſunt, nocetque plurimum in arte medica exactam nimis methodum ſequi, quod agendorum cognitio valde ſit difficilis, ita in fœdis coloribus, eſt ubi ſecanda vena purgandumque eſt, ubi negotium naturæ tradendum, & eſt ſæpe locus medicamentis aperientibus, detergentibus, rarefacientibuſque, idque pro re nata. Sed auctorum ſæpe in remediorum uſu exquirendo diligens ſedatumque examen eſt, ut nos ad errorem committendum ſimus tardiores.

Com. in aph. 24. l. 1.

Aph. 9. lib. 2.

Aph. 13. lib. 4.

Gal. l. 1. de diff. feb.

Com. in aph. 20. l. 3. par.: 34. ſect. 5. l. 6. Epid.

Concluſio præcedentium.

His relictis quæ generalioris ſunt contemplationis, rem inſtitutam perſequamur. In fœdis virginum coloribus & cauſa, & morbus, & partes peculiariter affectæ, deinde & ſymptomata ſive quæ aſſident, ſive quæ demonſtrandi vim habeant, ſive quæ affectionis propria ſint, conſideranda

(*b*) Fluxilia.

(*c*) Rarefactionem inducentia, laxantia, deobſtruentia, diuretica, cito penetrantia.

veniunt; quum ſæpe hic neglecto morbo, præſertim quum obſcurior eſt, cujuſque cauſa in contumaci & inteſtino malo conſiſtit, ſymptomaton cura nos ad ſeſe trahat. Nam & hic dolores capitis graviſſimi exercent, & ſurarum crurumque moleſtæ ſenſiones, ac præ ceteris ſtomachi dolor, ſenſus ponderis, inflatio, hypochondriorum contentio, lienis tumores, hypochondriaca ſymptomata, icterica, ſplenica, immo & febris epiala, cujus forte hic ratio habenda, quoniam ut ante ex Hippocrate docuimus, in fœdis virginum coloribus, hæc vexat aliquando. Atque quod huc pertinet maxime, quærat quiſpiam, an in fœdis virginum coloribus ut & in alio quopiam affectu febris quædam peculiaris accedat, quæ morbi aut partis, ut ſic dicam, ἰδιοσυγκρασίαν (*d*) ſequatur, hoc fortaſſis inauditum ac inſolens eſt? Siquidem omnes dividunt febres in eſſentiales ac ſymptomaticas; ut eſſentiales dicantur, in quibus non eſt peculiaris in parte aliqua affectio ut nec obſtructio, nec dolor, nec eryſipelas, nec inflammatio: quod ſi ob lateris inflammationem, vel pulmonis vel alicujus partis febricitent, ſymptomatica febris dicitur, atque hujus cura gerenda non eſt, quum priore morbo ſublato ea facile tollatur, hinc hepatici, lienoſi, peripneumonicique qui ita laborant, dicuntur. Et alio in loco, queis ſine partis inflammatione qui in venis putrent humores febrem accendunt, ii proprie febricitant, hinc differentiæ, epialos, lipyria, elodes, typhodes, tertianæ, quartanæ, ſynochi putres & imputres, tritæophyes, hæmitritæus. Hepaticam autem febrem, vel lienoſam, vel pulmonicam nemo umquam dixit. Sic in ſymptomaticis locus nobis peculiariter affectus aut dolens, aut inflammatus conſiderari debet, ut febris ſymptoma tantum ſit: in eſſentialibus nil tale. Sed aliquis objiciat, in periodicis febribus peculiaris affectio eſt partis: nam vel lien vel hepar, vel ventriculus, vel meſenterium in vitio eſt, in his partibus mala diatheſis, obſtructio eſt, & dolor. Si itaque ubi obſtructio, aut dolor, aut inflammatio partis alicujus, hinc ſymptomatica febris naſcitur, periodicam omnem febrem ſymptomaticis febribus attribuere neceſſe eſt. Et Galenus ſtatuens diſcrimen inter febres periodo redeuntes & continuas eſſentiales, ait ideo periodo redire febres quod in partibus aut excipientibus aut mittentibus diſpoſitio ſit aliqua: continuas vero fieri, quod in venis atque arteriis humores æqualiter accendantur. Itaque in periodicis aut lienis aut hepatis obſtructio diatheſiſque erit; proinde naſcitura hinc febris non morbi ſed ſymptomatis nomine donanda erit. Quinetiam τριταιοφυὴς (*e*) febris & lipyria e numero cenſentur eſſentialium febrium, & tamen lipyria ſequitur inflammationem aut ventriculi, aut hepatis aut momentaneæ alicujus partis, ſed maxime ventriculi, opinione Aëtii. Nam ſi inflammatio in pulmone, algida dicitur, ſi circum hepar, adurens ſive formoſa: τριταιοφυὴς autem phlogoſin partis alicujus internæ ſequi videtur opinione Galeni, & quorumdam veterum quos imitatur Galenus: Et tamen utramque febrem tamquam eſſentialem propriis remediis Medici profligant, ut febrem lipyriam Aëtius

Lib. de ſuperfœt. An in fœdis coloribus febris accedat peculiaris morbi aut partis ἰδιοσυγκρασίαν ſequens.

Com. ad aph. 73. lib. 4. Febres in eſſentiales, vel ſymptomaticas dividantur.

Com. in aph. 42. l. 7. 1. ad Glauconem. Sub finem 2. de diff. feb.

Gal. com. ad aph. 66. l. 4. feb. a vehementi obſtructione, & ab inflammatione vult eſſe ſymptomaticas, quod ad virg. fœdatas valde pertinet.

(*d*) Idioſyncraſiam.

(*e*) Tertianarum naturam referens.

tius loco adducto. Sed dicendum febres ſymptomaticas inflammationum comites, pote cum illis intereuntium & orientium, eſſentiales quoque dici poſſe propter ea ſymptomata quæ excitant quatenus febres ſunt, quibus amovendis Medicus ſtudet. Et id primus obſervavit Galenus. Quamquam ſymptomaticæ ſucceſſu temporis eſſentiales eſſe poſſunt, ut de febre Anaxionis pleuritici conſtat. Atque hercle magna quæſtio eſſe poteſt, an non eſſentiales febres peculiarem affectionem partium aliquarum internarum ſequantur? Nunc ad rem propoſitam. Cur non licebit febrem aliquam lienoſam, pulmonicam, capitalem, alvinam (ut quæ ad ventriculum proprie pertinet) meſentericam appellare, ut quæ febres mediæ ſint inter ſymptomaticas proprie dictas, & eſſentiales? Ut in fœdis coloribus neſcio quæ febris ſpecies apparet non ſymptomatica, non eſſentialis, ut ad ſe medentis curam trahat, & quam non poſſis nominare, fit autem ob peculiare vitium aut lienis, aut hepatis, aut alius partis internæ, non tamen ſymptomatica dicenda eſt, quum per ſe ſymptomatica curanda non ſit, & habet aliquam intermiſſionem, nulla autem ſymptomatica proprie dicta intermiſſionis particeps eſt. Ac veteres quidem practici quum inflammatio eſt in parte aliqua, febrem continuam ſymptomaticam appellaverunt, ſed quum aliud peculiare vitium eſt in parte quod febrim quamdam lentam foveat, eam non dubitarunt lienoſam, meſentericamque appellare: ut eo nomine nos invitent ad dicandam illi parti operam tollendumque vitium quod morbum tamdiu fovet. Et hæc febris vere eſſentialis non dicitur: quum febrium eſſentialium fundamentum in humoribus maxime ſtabiliatur, qui ſi fuſi ſunt per majora vaſa, ſynochos continuasque febres efficiunt, ſin per minora ut habitum corporis fere contingant, periodicas. Quamquam de ea re dubitatur.

Aëtius c. 89. tetrabil. 1. ſerm. 5.

Gal. com. in par. 5. ſect. 3. l. 1. Epid. Gal. l. de diff. mor. Hiſtor. 8. conſtitut. l. 3. Ep. Vide locum præclar. c. 18. l. 1. de Criſib.

Et quærat quis, cur ſi vitium in liene non quartanæ eſſentiales, aut erraticæ potius fœdas virgines adoriantur? Quum enim quartanarum ἑδρα, id eſt focus, lien ipſe ſit, humorque craſſus qui in illis etiam redundare ſolet earum cauſa & materies ſit, conſentaneum videtur, ut quartanis erraticiſve potius prehendantur. Immo & diſpoſitio partis ad eas febres facit plurimum, quum periodicæ febres ut nec morbi, ſine partis alicujus momentaneæ diatheſi ſurgere, ali foverique non ſoleant, quod a Galeno ampliſſime demonſtratum eſt *in libris de febribus*. Atque occurrit aliquando locus apud Sylvium quo docet in quartanis febribus cancroſam, ut ita dicam, lienis eſſe diſpoſitionem quæ eas tamdiu foveat, ut diatheſis illa abſimilis non ſit ei quæ in partibus extimis apparet quas cancer occupat atque deturpat: quæ ſi vera ſunt, cur non fœdatæ virgines quartanis laborant? Sed jam experientia probatum eſt familiariter illas quartanas experiri: cur ergo & lentas ſæpe habent quum lienis ipſius vitium aliquod ſit? Quæratur itaque an lien tales febres generet, & quare, quoque nomine donandæ ſint. Nullus meo judicio rem hanc tractaſſe melius accuratiuſque videtur quam Fernelius immo nec Galenus ipſe quidem. Febris ſymptomaticæ continens cauſa in venis majoribus non eſt, ſed in parte quapiam a qua vapor in cor obrepit: vel inflammationem, vel obſtructionem contumaxque vitium partis inſequitur. Si inflammationem, ea aut

Cur ſi vitium in liene non quartanæ aut erraticæ feb. potius fœdatas virgines adoriantur. Gal ſub finem l. 2. de diff. feb.

Cap. 8. l. de feb.

remota „

Sympt. febres ut a continuis diſtinguantur

remota, aut propinqua, rurſus aut eſt manifeſta, aut occulta. Si manifeſta, & ſanguinea ſymptomatica, phlegmonodes ſequitur, ſi bilioſa, typhodes. Hoc diſtinguitur ab eſſentiali quod ſymptomatica nullis certis periodis exacuatur, urinæ nullum putredinis ſignum (niſi ex affecta parte putredo obrepat) exhibeant, item in ſymptomatica progreſſu temporis inflammatæ ſedis notæ ſeſe proferunt: accedit quod raro diebus criticis ſolvatur: quæ omnia tamen in controverſiam poſſunt adduci. Alia eſt ſymptomatica latentis obſtructionis vitiique ſoboles: nam non oritur ab inflammatione, ſed a latente obſtructione & putredine quæ viſceri contumaciter adhæreſcit, adeo ut ipſa viſceris ſubſtantia labefactetur. Si putredo effertur, ad putridas febres accedit, ſed omnium putridarum eſt mitiſſima, æger nullo gravi ſymptomate premitur, quod intelliges, ratione ipſius febris. Putredinis notæ elucent in urinis, in pulſu, æger imbecillior in dies fit, non proficit, & quotidie macreſcit, atque liquatur: focus ſæpe in pulmonibus, in ventriculo, jecore, aut liene, in quibus ſemimala putredo cumulatur. Alias ſenſus tumoris eſt perſpicui, alias in ſubſtantia vitium latet qui τῆς ὅλης οὐσίας (*f*) morbus dicitur ad διαφθορὰν (*g*) referendus. Idem auctor febrem iſtam lentam in fœdis virginum coloribus agnoſcit, quam ſeroſæ pituitæ putredo levis inducat. Si itaque aut obſcura eſt phlogoſis, aut impactus contumaciter viſceri humor, aut obſtructio contumax ac rebellis, tunc ea ſymptomatica febris ſurgit quam explicavimus: ſin autem vitium corruptioque in parte eſt, alia ſymptomatica longe deterior naſcitur: quod in purulentis pulmonibus, renibus, hepateque ſimiliter affecto, aut in diſtantioribus etiam partibus contingit. Et eam febrem quidam rerum affinitate ac ſimilitudine ducti ad hecticam revocarunt: tamen ab hectica diſtinguitur. Ac proprie tabificæ febres dicuntur, quibus non ſolum intemperies calida adſit ſed & putredo, non qualis in febribus ab humore putrente natis. Hecticæ autem imputres ſunt, niſi forte ſint complicatæ, ut Galenus docet. Atque non omittendum videtur quod a Galeno & Hippocrate ſcribitur huc maxime pertinens, febres nimirum ſemitertianas (quæ κατ' ἐξοχὴν φρικώδεις (*h*) dicuntur) tabidos prehendere, eoſque qui longis morbis impediuntur: & hæ ſunt letales maximam partem. Cur autem illæ ſemitertianæ tabidos occupent non alia ratione evenit quam propter aut contumacem obſtructionem, aut latens vitium, ut purulentis contingit. Et in commento Galenus in tabidis & longis morbis naſci ſolitas febres ſemitertianas ait non eſſe neceſſe ut retineant illam proprietatem qua dicuntur horrificæ, quum ſine horrore eſſe poſſint: quod mirum eſt, & a Veterum ſententia alienum. Sed de natura & ſede τῶν ἡμιτριταίων (*i*) non eſt dicendum hoc loco, quum nec diſputatio huc pertineat, & de iis abunde dictum ſit *in lib. definitionum medicarum a nobis conſcripto.* Præterea quum Hippocrates ait, *Quintana omnium peſſima, nam & ante tabem, & jam tabidis ſuperveniens necando eſt*, numquid

Symptomatic feb. duplex.

Quæ a Fernelio dicuntur ſunt conſentanea iis quæ Gal dicit com. ad aph. 66. l. 4. ubi ait feb. a forti obſtructione eſſe ſymptom.

Gal. c. 10. & 11. l. 1. de diff. feb. Par. 5. ſec. 4. l. 1. Epid.

Abunde natura ſemitertianæ explicatur in l. Ballonii definit. medicarum ſuperioribus annis in lucem editio.

Hip. par. 9. ſect. 3. l. primi Ep.

(*f*) Totius ſubſtantiæ.
(*g*) Corruptionem.
(*h*) Per excellentiam horrificæ.
(*i*) Semitertianarum.

quid quintana hæc febris aut collectionem puris in thorace, aut aliquid tale, aut vitium peculiare parti conſequitur? Quod ſi ita ſit, cur non ſymptomatica? Si ſymptomatica, falſo itaque ante dictum eſt nullam ſymptomaticam intermiſſionis eſſe participem. Et cur putredo in parte longinquiore, aut in propinqua quidem, ſed quæ per venas & arterias non habeat eum conſenſum cum corde quem & partes in ventre contentæ, in quibus colluvies corporis maxime congeritur, non poſſit evocare febrem aliquam ſemiputrem ſymptomaticam, eamque intermittentem? Sed hæc alius loci ſunt: ut autem orationis vela contrahamus, ſatis jam dictum alias ſymptomaticis febribus deberi curationem, alias non. Quod tenendum fuit neceſſario ut quiſque intelligat febres lentas ſymptomaticaſque fœdis coloribus adjungi, quas ſi ideo negligat quod ſint ſymptomaticæ, aberret turpiſſime, & in miſerorum ægrorum perniciem conſpiret.

Feb. lent. & ſympt. fœdis colorib. adjunguntur. Part. 18. l. 1. prorrh. Gal. com. in par. 73 ſect. 2; l. 1. Epid.

Dicamus ergo paullum diſcedentes a doctrina Galeni febrem aliquam eſſe cephalicam, aliam lienoſam, ventriculi aliam, hepaticam, aut quum partibus ipſis inuſta obſtructio, aut impactus mordicus humor, aut corruptio contracta eſt. Ut ii erroris convincendi ſint qui & febrium continuarum & intermittentium, & hecticarum, & maraſmodeων ſedem perpetuo in ventre inferiore conſtituunt. Contra enim ſentiendum, immo, quod notandum eſt, febrium ardentium focum Hippocrates in capite videtur conſtituere; & Galenus pulmonis venas. Si in ardente febre aurium ſonitus cum caligine, proveniatque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant: Galenus hunc locum explicat de febre ardente cujus focus eſt in cerebro propter collectam in eo bilem quæ inflammationem excitat: eaque febris diſtinguitur ab altera quæ fit non coacervata in cerebro materia, ſed in venis inferioribus reſide, a qua flatuoſa exſpiratio ſuſcitatur delirium excitans: nam cujus febris ardentis materia in cerebro manſionem habet, ea continuam habet deſipientiam, & ſymptomata non ita ſunt fugacia: atque materia dum ibi ebullit atque efferveſcit flatulentam naturam acquirit, cujus ſigna in variis capitis partibus apparent, prout illa in varias cerebri partes repſerit, parque hoc vel illud nervorum obſederit: at quæ ardens febris materiam habet in aliis partibus, non habet deſipientiam aſſiduam. Prior febris phrenitidi ſimillima eſt ob ſymptomaton cognationem: ſed in phrenitide ſymptomatica ea eſt febris quæ adeſt. Præterea ardens febris primario cerebri affectu contracta fere ſtatim inſilit apparetque: Phrenitis non tam cito, ſed tempore acquiritur. Ita enim Galenus *phrenitis*, ait, *paullatim accidere ſolet, non autem quieſcere ſubito atque confertim.* Immo ne in declinatione quidem febris deliria quieſcunt, quod aliter contingit in iis febribus quarum deliria ſunt ſymptomata tantum; prout enim manſueſcit febris, ita & deliria. Niſi quis forte objiciat duo adverſum ea quæ dicuntur: prius quidem quod nota hæc phrenitidis & febris ardentis primario cerebrum impetentis male aſſignetur, nimirum phrenitin non ſubito naſci, contra febrem ardentem cephalicam ſtatim adoriri: contra Hippocrates *in Epid.* animadvertit quemdam phreniticum primo die factum, ſed hoc ex iis eſt quæ raro eveniunt. Quamquam ut Galenus *in com.* non ita fuit ſubita cauſæ generatio, ut &

Locus commemorabilis.

Si materia in cerebro ſit a maſſa ſanguinis ſeparata, vere ſit phrenitis, ſi autem perfundetur adhuc & nondum pedem fixerit, ſit feb. capitalis.

Gal. com. in par. 73. ſect. 2. l. 1. Epid. Gal. c. 4. l. 5; loc. affect. plene item. c. 7. l. 3. ejuſdem operis. Hiſt. part. 4. ſect. 3. l. 3. Ep.

Hip. de diæta. ipſius morbi. Si quidem primus Hippocrates ſcripſit, non de repente morbi hominibus accidunt, ſed paullatim collecti, confertim apparent. Poſterius vero, quod in declinatione febris cum phrenitide conjunctæ deliria non quieſcant: quod alienum videtur. Nam ſi febris ſymptoma eſt phrenitidis (quæ eſt inflammatio in cerebro, materia ipſi cerebro, & ejus meningibus impacta ut Galenus *in Epid.* explicat) & mutuo fere ſeſe conſequuntur, non poteſt ea febris declinare, quin & morbus ipſe deſæviat. Sed id dictum per comparationem. Nam quæ deliria ſunt ardentium febrium ſymptomata, ideoque excitata quod venulas in cerebro membranuliſque ſitas humores tantum præterfluant, non autem impinguantur, ut annotavit docte Galenus, neceſſe eſt in earum declinatione paraphroſynen iſtam quieſcere: Sed quæ delirationes in phrenitide ſunt ejus naturam neceſſario conſequentes & tamquam de eſſentia exſiſtentes, tametſi febris ſymptomatica declinet, non quieſcunt tamen: non quod non remittantur, ſed non tanta tranquillitas adeſt, quanta in febribus eſſentialibus quarum deliria ſymptomata tantum exſiſtunt. Quemadmodum itaque caput febris cujuſdam focus eſſe poteſt, ita & partes reliquæ, ut in fœdis coloribus magni interſit ſcire cujuſmodi febris ſit, ut illius ſedes animo luſtretur, tandemque parti quæ in vitio erit legitima cura adhibeatur.

Phrenitis affectio membranar. auctо. Gal. com. in par. 23 ſect. 2. l. 1. Epid.

Com. in part. 73. ſect. 2. l. 1. Epid.

Sed neſcio quomodo fit ut minima occaſione filum orationis producamus, pluraque quam inſtitutum fuerat, proſequamur: ſed rerum, quæ recens in quæſtionem vocantur, dignitas ad id invitat. Jam promiſſum factum exſolventes fidemque datam liberantes ad rem propius accedamus, in qua docuimus quam difficile ſit privati cujuſdam morbi rationem proſequi, cum ſymptomaton magna ſit confuſio medendi rationem obſcurans. Hoc enim experientia docet in ſuppreſſione alicujus ſolennis evacuationis affectionem miram eſſe feturam, aliarum quippe ex aliis naſcentium: atque pro variis humorum in has aut illas partes motibus, aut inquinamentis variis ob eluviem ſuppreſſæ materiæ, ſymptomaton ſequitur quædam ſeries, ac ſi vere eſſet cujuſdam longioris catenæ continuatio. Accedit ἰδιοσυγκρασία (*l*) & corporum & morborum: nam morbus idem, non eſt in diverſis idem, ut nec alimentum idem in diverſis idem eſt, quum alias medicamenti, alias alimenti, alias utriuſque rationem ſubeat. In quibuſdam virginibus venæ uteri natura anguſtæ ſunt, hepatis vero amplæ ac capaces, aut contra quæ ad hepar attinent anguſtiores ſunt, quæ vero ad uterum patent: & pro iſta varietate idem affectus varias ſortitur proprietates. Et tametſi a Galeno ſit pronuntiatum totum corpus utero ſimile eſſe, fit tamen, ut aliquando uterus aliqua de cauſa frigidus ſit, corpus vero reliquum calidum, & contra. Quæ omnia certis ſignis venanda ſunt priuſquam divinam τέκμαρσιν (*m*), id eſt, cuique pro peculiari natura medendi rationem conſequi poſſis. Atque hæc prælibabit in omni morborum curatione ſi catus & cautus in medendo eſſe velit.

In ſuppreſſione ſolennis alicujus vacuationis mira affectionũ fetura eſſe ſolet. Hip. l. de vet. med. & lib. de alimento.

Com. in apho 62. l. 5.

Aggre-

(*l*) Idioſyncraſia.

(*m*) Cognitionem certis ſignis innitentem.

Aggrediens fœdi in virginibus coloris curationem non memet uni cauſæ & ſymptomati addicam; ſed varietatem ſymptomaton intuitus, paullo generalius progrediar. Si ex Hippocratis ſententia una prohibita menſium eruptio tot affectionum procreatrix eſt & conſervatrix, in eo fuga illarum conſiſtere videtur, ut naturam in eo tenendo curſu aſſuefaciamus. Etenim quibus virginibus aut libertate meatuum, aut vi naturæ (niſi accedat ſedulus in negotio labor qui conſumens ſiccaneæque vacuationis inſtar ſit) fluxus iſte ſatisfacit, eas color non defœdat: item quæ viro junctæ prius fœdis coloribus erant infectæ nitorem ſtatim recuperant: quod arguit, aut amplexus deſiderio, aut anguſtia vaſorum, aut conditionis tædio, aut naturæ infirmitate, aut potius languore uteri, partis natura appetentis, ut ex Platone ante demonſtravimus contra Galenum, præſertim ſi amoribus pellectæ incitataeque fuerint, iſta ſymptomata ſurgere: Sed unde iſta progrediundi difficultas? anguſtia vaſorum ad uterum attinentium, ac præſertim quia natura nondum quippiam tale agere conſueverit. Cur non ante iſtud tempus quippiam ſimile patiebantur? Nondum ſanguis redundabat, ſed in alimentum ac incrementum inſumebatur. An tamen ideo poteſt tam ſævas adducere affectiones, & virguncularum corpora tamquam effeta, & moribunda efficere? Cur non domatur a natura? Illud ante docuimus, nec repetere alienum, omnem humorem aut qui excerni præſtituto tempore ſolitus eſt, aut quum nondum fluendi conſuetudinem tenuerit, naturæ tamen decreto exire excernique debet, quantuluſcumque fluat, quum naturæ oneri ſit, tantam moleſtiam rectrici corporis naturæ afferre, ut brevi κακοήθειαν (*n*) in corpore nactus, œconomiam corporis inficiat atque labefactet: quod & lochia a partu teſtantur. Mirum enim eſt ſanguinem per novem menſes ſuppreſſum aut nulla, aut levia admodum mala inferre, unius autem dieculæ aut duarum ſpatio poſt editum fetum tantam cladem corpori afferre, ut niſi provideatur, malum arte nulla reparari poſſit. Quinetiam menſtruo circuitu ſæpe ad uncias tantum quatuor ſanguis erumpit iſque rubeus floridus, & recens mactatæ victimæ ſanguini ſimilis, ut ſcribit Hippocrates; & tamen tantula excretio plurimum adjuvat. Quod excernitur paucum, laudabile, an ſuppreſſum tantum incommodi adferre poterat? Si hoc verum, cur non potius incredibilis humorum corruptorum eluvies per corpus alias ſparſorum, alias in meſenterio ſcaturientium eas moleſtias affert? Hic miracula naturæ contemplanda veniunt. Nam quod ſtato tempore, & menſtrua periodo excretio illa ſit redux & recidiva, id non quantitati ſanguinis, aut malignæ qualitati tribuendum eſt. Etenim etſi paucus fluat, retinetur tamen curſus, & juvatur natura plurimum, tanto magis, quanto plus fluxerit pro natura ejus quæ menſtruum patitur effluvium. Ad malignam qualitatem recurrere abſurdius eſt. Quæ enim aliena qualitas in ſanguine rubeo, florido, laudabili? Quæ omnia vim proviſionemque naturæ maximam declarant in præſtituendo curſu rei alioqui ex ſeſe innocuæ, ut quum opus fuerit, plura excernat per eam viam

Therapia fœdi virg. coloris.

Lib. de ſuperfet.

Lib. de nat. pueri, per unum aut alterum diem lochiorum ſuppreſſio cur periculoſa, non item menſtrui ſanguin. 9. menſ. ſpatio ad fetus formationem. Lib. 1. de morb. mul.

(*n*) Malignitatem.

Lib. de arte par. 2. sect. l. 6. Epid. Com. in aph. 54. l. 7. Hip. l. de superfetatione in virg. mens. erumpere debentes τὰ αἱρυῖα (p) nomine satis accommodato vocat.

viam quam semel instituerit. Quam prudentiam Hippocrates demonstrat passim, præsertim quum ait naturam τὰς ἐφόδους inveniisse, id est vias, inclinationes, impetus ad hæc aut illa faciunda. Et *in aphor.* Galenus ait, *natura materiei* τὰς ὁδοὺς (o) *invenit si valida sit, quum per ossa abscessus faciat.* Itaque fit ut ea materia, quantula sit, quæ excerni debet, si supprimatur vis naturæ inferatur: cum enim instituit materiem aliquam foras pellere, si id nequeat, hujus curam non habet, hanc non regit amplius, quo fit ut illa superflua existens, nec amplius recta gubernataque naturæ molestiam infligat. Atque hinc scire licet materiam menstruam per se quidem vitio carere, sed quum primum substitit, prius quidem quantitate peccans qualitate mala afficitur, unde mira novorum affectuum in muliebri corpore soboles, a qua asserit una eruptio, ut capite de suppressione mensium plenius apparebit. Et quum Plinius ac plerique alii vim maleficam menstruo sanguini tribuerunt, toto cælo aberrarunt, nescientes, ab uno sanguine menstruo tam maleficam vim manare non posse, nisi is diu suppressus sit. Sed ea de re hoc loco nihil sumus explicaturi, quamquam multa habemus quæ in medium adducamus.

Materia quantula sit quæ excerni debet si supprimatur a natura amplius non regitur eique vim infert. Nullam habet vim maleficam sanguis menstruus nisi is diu suppressus sit. Refluxus sanguinis viam foras affectantis & resistant. fœd. colorũ causa.

Hoc itaque jam constet refluxum sanguinis viam foras affectantis, sed propter assignatas prius causas restitantis, fœdorum colorum causam esse; quæ curatio? At pleræque, dices, virgunculæ decolores fiunt, quum nondum menstruæ purgationis tempus instet. Verum quidem hoc, sed de eo quod fit ut plurimum nobis sermo est. Nam eæ maxime fœdo colore inficiuntur quæ jam in propinquo sunt ut menstruæ fiant, atque eæ potissimum quæ domi septæ tenentur liberalibus custodiis, quum & impudentes proci, quorum adulatoria oratione deliniuntur, repudiantur, & eas parentes ut adultas virgines caste tuentur, & ab amatorum impetu prohibent. Quamquam non omnes fiunt decolores, sed quædam fiunt ἐξίρυθροι, id est saturato colore rubeoque præditæ, ob refluxum sanguinis a partibus inferis ad partes superiores: & a Græcis εὔχροια (q) dicitur, maleque & κατα-χρηστικῶς (r) usurpatur, quum in bonis ducenda non sit. Nam in purulentis & peripneumonicis istam εὔχροιαν (s) Hippocrates observat; an ea laudanda? nequaquam: *In Prorrhetico* autem quum vituperat istam coloris suavitatem quæ vulgo placet, adjungit vocem σκυθρωπὸν (t), ut bonitas coloris cum rigiditate quæ Græcis σκυθρωπότης (u) dicitur, in malis ponenda sit: quum corpus ita affectum proxime ad melancholicam naturam accedat. Sed de nomine τῆς εὐχροίας (x) plenius in nostris definitionibus medicis. Decoloratio cutisque defœdatio, nec non rubor faciei ab una mensium eruptione potest contingere. Quibus enim virginibus partes sunt robustiores & calore nativo præditæ majore qui non facile copia sanguinis

Hipp. in Coacis & in par. 60. l. 2. progn.

Vide l. definit. med. Baillon. in nomine εὐχροίας.

(o) Vias.
(p) Tempestiva.
(q) Bonus color.
(r) Abusivè.
(s) Bonam colorationem.
(t) Tristioris faciei.
(u) Aspectus tristioris faciei.
(x) Bonæ colorationis.

nis ſtranguletur, in iis coloris bonitas vituperanda tamen viſitur, & plenitudinis ad vaſa metus adeſt maximus. Sin partium infirmitas ſit, caloris paupertas, præſertimque ſi ſervitutis jugo ſub matribus addictæ vivant, iis recurſu ſanguinis calor opprimitur, partes inficiuntur, & plenitudinis ad vires metus adeſt: immo cachexia, hydrops, & atrophia, & lienis tumores aliis oboriuntur. Quum iſta coloris ſuavitas eſt, ſuffuſa rubore facies, a ſuppreſſis menſibus multo minus afficiuntur, quam quibus cutis maculatur. Immo & multas jam pubertatis annos egreſſas, immo & nuptas vidimus quæ numquam menſtruæ fuerant, incolumes ſatis vixiſſe: In ſolis quippe uteri venis prohibitio evacuationis conſiſtit, quibus quum conſultum fuerit, eruptionis ſpes eſt major. Has ſectio venæ in malleolo juvat, uſus apozematon aperientium, uni utero reſerando, operam ſuam addicentium: frictiones crurum. Sed antequam ad ſectionem venæ in malleolo accedamus, ſequendum eſt Galeni conſilium de ſecanda vena gibberi ad plethoram minuendam. Nullus vero eſt qui ſic affectis navare operam non poſſit. Sed in iis quibus defœdata cutis, cautio major eſt adhibenda. Nam ſi certis colligas argumentis menſtruæ tempus purgationis ingruere, & ob inanem naturæ conatum ſupprimi ſanguinem, & ad ſuperiora vergere, qui tandem & partes a quibus recurrerit, & eas in qua influxerit vitiaturus eſt & oppreſſurus, nil debet impedire quominus ad ea recurras remedia quibus incitandis menſibus ſumus uſuri: communis enim eſt ea curatio. Ac Hippocrates hanc maxime cauſam videtur inveniſſe, niſi quis & uteri furorem, & ἐρωτικὰ in cauſa eſſe putet: ſed uteri furor ſeſe facile prodit nec tam diuturnis ſymptomatis eget ad ſui explicationem: Ἐρωτικὰ (y) autem morbum potius animi ab impotentia natum, quam corporis affectum ſignificant.

Lib. de ſang. miſſ. Secanda vena gibberi ad plethoram minuendam antequam aperiatur vena malleoli.

Brevem itaque methodon aperiamus qua quis fœdis coloribus a ſuppreſſione natis opem ferre poſſit, plura in capite de ſuppreſſione menſium explicaturus. Quum menſtruæ purgationis tempus inſtat, ita de virginibus ſollicitos eſſe oportet ut & præcautione, & diæta, & vitæ inſtituti mutatione impendentes caſus arceamus. Si enim ut ante demonſtratum eſt, eo præſertim tempore ea urgent ſymptomata a variis affectionibus intus reconditis orta, & varie eluceſcentia, prout partium obſeſſarum varietas eſt: primum ſtudium Medici ſit in provocandis menſibus, aut conſulendo ne qua ſumantur quæ ſanguinis fluxitatem prohibeant, venaſque obſtruant per quas curſus ſanguinis debet incitari. At non in omnibus idem eſt tempus quo menſtruæ purgationis occaſio inſtat: Etenim pleræque circa annum duodecimum menſtruæ eſſe poſſunt: aliæ anno ætatis decimo quarto: a neotericis obſervatæ ſunt quæ nono ætatis anno peperint: ſic annis id deſcribere alienum eſt. Sed quum mammæ pruriunt, vocem aſperiorem edunt; quum ubera prominent, pecten, lumbi & caput dolent, & bilis aut pituitæ vomitus adeſt, purgationem menſtruam inſtare credibile eſt: atque tunc ſi cetera conſenſerint levibus etiam remediis adjutæ virgines, menſtruæ eſſe poſſunt. Inter eas autem aliis laudabilis

Non in omnibus virg. idē, tempus quo menſtruæ purgationis occaſio inſtat. Silvius l. de menſ. mulier. Inſtantis lunaris purgationis ſigna. Lib. de morbis mulier.

(y) Amatoria.

bilis excernitur, & ſecundum ſententiam Hippocratis recens mactati animalis ſanguini aſſimilis. Obſervant autem quidam ex Neotericis menſtrua alba virginibus adeſſe poſſe ſi crudus ſanguis fuerit, eaque parvis adhuc & admodum puellis provenire contendunt, maxime ſi cibo utantur humidiore & crudiore: illaque ſi diutius fluant, puellas ipſas extenuare aſſeverant. At iſta menſtrua alba cum eo affectu confundere qui ῥοῦς γυναικεῖος (z) dicitur, a ratione alienum eſt: quum hic affectus, ut poſt dicetur, aliam longe cauſam agnoſcat. Sed talis albicans excretio ſolet ob cacochymiam, ut pro rubore albedo ſupponatur: at ῥῷ γυναικείῳ etiam præſenti comes eſſe ſolet menſtrua purgatio. Quorum explicatio alius eſt inſtituti.

'Alba menſtrua.

Quicumque legitimam fœdorum colorum curationem inſtituere volet, ei multa conſideranda erunt, ut non tam in unius affectus curam incumbat, quam multa ſymptomata inſpiciat, quorum quodque Medici conſilium ad ſeſe convertet: nec enim tam ſymptomatis, quam morbi rationem præ ſe ferunt. Et ne a trita via medendi deflectamus, primum hunc affectum perſequemur, quatenus ſplenicum quid habet. Videas enim maximam virginum fœdis coloribus laborantium partem quippiam in ſiniſtro hypochondrio dolitans habere, fœdum anhelitum, dentes luridos alias, alias autem hæmodia laborare: quod melancholicis proprium eſſe veteres animadverterunt. Præterea multis adeo alvus adſtricta eſt, ut nonniſi vi ſolvatur: alias liquidior, alias aquoſa, alias ſeroſa reddens, alias chyloſa & putria per ἀναδόσεως (a) impedimentum: borborygmos aliquando ſentiunt & in ventre murmura; colicis doloribus alias exercentur. Porro quum ex ſententia Galeni viſcus hoc maxime indurari ſoleat ſanguine facile in iſto viſcere concluſo, qui exitum liberum quum non habeat facile duritiem afferat, indeque tumorem, mirum ne ſit ſi de ea potiſſimum parte virgines queruntur: & quæ patiuntur aliquid ſplenicum reſipiant: ſive enim congeſtio fiat, ſive refluxus ab imis ad ſuperas partes, ſive affluxus a ſuperis in inferas ſplen talia incommoda perſentiſcit: hinc imbecillitas, hinc durities. Quod a nobis dicitur ne temere affingamus ſemper ſplenis tumorem aliquem eſſe, quoties quis de ſiniſtro hypochondrio queritur: quod factitant Eraſiſtratei quidam noſtra ætate Medici, qui quum de dolore in alterutro hypochondrio audiunt, male admodum comminiſcuntur duritiem contractam. Ac Eraſiſtratus omnem morbum hepatis aut ſplenis ad tumorem aut ulcus referebat: cujus opinio in Galeni libris exploſa jam eſt. Itaque ſi infirmitas in liene contracta eſt, propter quam nequeat legitime hepar repurgare, aut, ſi durities eſt, aliud ineatur conſilium: item & aliud quum febris adeſt, aliud quum eadem abeſt. Ideo Galenus legitimæ lieni medendi rationis ſumma attingens capita, primum ſi incidere, tenuare, referreque conſilium eſt, ita temperatos nos eſſe vult ut iis utamur quæ vim tenuandi citra manifeſtam qualitatem habent, ne vehementius ſuccus calefactus incraſſetur obturetque magis.

Quæ conſideranda ſunt antequam ad curationem fœd. col. ſeſe accingat Medicus.

Curatio fœd. col. ut ſplenicum quid habet. Cap. 2. l. 9. ſecundum locos.

Gal. c. 1. l. 6. loc. aff.

Sub finem l. 3. de nat. facult.

Quoniam

(z) Fluor muliebris. (a) Diſtributionis.

Quoniam vero pars ſpongioſa eſt lien, cujus attrahendi facultas (quam tamen unam eſſe oportet ut coloris ſuavitas concilietur, heparque defæcetur) facile hebeſcit ac molleſcit, ita nativi temperamenti ratio gerenda eſt, ut quidquid moliamur, robur concilietur: alioqui humore nigro non prolecto color malus fœduſque corpori inuritur. Et hæc primum videnda ſunt. In fœdis coloribus difficultas eſt anhelitus ob diaphragmatis oppreſſionem vel a tumore lienis, vel a flatibus qui facile in iis partibus ſurgunt ac concluduntur: gravitatis ſenſus ex copia materiæ, vel obtuſo partis ipſius ſenſu, niſi forte ad membranas dolor pertineat & inflammatio: ut de renis & hepatis doloribus præclare demonſtravit Galenus: Sitis, aut propter corrupti humoris copiam affluentemque, aut propter aliquam phlogoſeos ſpeciem in partibus pyloro propinquis, quod in melancholicis hypochondriacis ex Dioclis ſententia obſervat Galenus: & hæc poſterior ſitis cauſa animadvertenda eſt: de qua re paullo poſt forte diſſeremus. Pedum quoque inflatio & ventris aliquando eſſe ſolet propter ſeroſorum humorum per genus venoſum diffluentium proventum, maxime vero id fit quum lienis vitio hydrops eſt in propinquo, aut quum corpus lienis eſt ἀνάῤῥοπον (*b*): tum enim partes ſuperiores calidiores eſſe veriſimile eſt: ſin ſit κατάῤῥοπον (*c*), id eſt ad partes inferiores inclinet, manibus & nare refrigeratis, pedes calefieri conſentaneum eſt, ut Hippocrates *in Epidemiis* ſcribit. Unde nos audemus aſſerere quibuſdam in ſplenicis obſervaſſe tantum in pedibus calorem ut magnas moleſtias afferret. Nec lienem audire oportet κατάῤῥοπον, ut a ſuo naturali ſitu diſceſſerit, ſed aut quia tumores ſunt circum lienem, qui ut in hanc aut illam partem inclinant potius, ita aut in partibus ſuperioribus, aut in inferioribus magis ſigna apparent: aut quia lien laborans deponit ſua excrementa in imum ventrem, aut partem quæ ſitum habere ſuperiorem videatur: itaque prout aut ſuperiores aut inferiores partes decubitus humorum aut collectio magis reſpicit, ita aut caloris aut frigoris ſignificatio aut hic aut illic exſiſtit. Quæ omnia aphoriſmi veritate nituntur, *ubi ſudor, ibi morbus*: *ubi calor aut frigus, ibi morbus*: quod non tantum de circumſcriptione ipſius partis audiendum eſt, ſed & de iis quæ ſitu & vaſorum communione cum illa parte conſentiunt. Sic *in libris de articulis* ſcribit aut manus brachiaque, aut pedes gracileſcere, prout gibberi occaſio, id eſt tuberculum conſtiterit, aut in ſuperiore ſpinæ parte, aut inferiore. Itaque quum virginibus decoloribus partes ſuperæ aut inferæ caloris frigoriſve notas habent, ita de morbi inclinatione judicandum eſt. Et quum lien declivis dicitur, morbus dicitur κατάῤῥοπος: Et *in com.* Galeni in particulam unde hæc deſumuntur male legitur νοσήμασι κατάῤῥοποις, pro νοσήματι καταῤῥόπῳ (*d*): quamquam utrumque tolerabile: ſed prior lectio arridet magis. In iiſdem autem, præſertim ſi tumor eſt opprimens diaphragma, dolor ad jugulum uſque ſiniſtrum tendit diaphragmatis ipſius ſympathia, quæ

Cauſæ ſymptom. fœd. col.

Com. in aph. 5. l. 6. cap. 7. l. 3. loc. aff.

Quid ſit corpus lienis eſſe ἀνάῤῥοπον aut κατάῤῥοπον. Part. 39. ſect. 2. l. 6. Epid. 14.

Aph. 39. & 40. l. 4.

Par. 9. 10. 11. 12. l. 3. de articul.

(*b*) Surſum vergens.
(*c*) Deorſum vergens.
(*d*) Morbis deorſum vergentibus pro morbo deorſum vergente.

quæ tunicæ coſtas ſuccingenti communicatur : diſtenſio quoque magnorum ſit vaſorum, & membranæ ipſius: quod & in pleuritide percipi ſolet : alia enim in parte inflammatio conſiſtit : & tamen de claviculæ dolore queruntur. Sed hæc omnia Galenus fuſiſſime explicavit. Omitto fœtoris ipſius oris in virgine decolore cauſas, & pudendorum turgeſcentiæ nec non cutis ſqualoris : quorum explicatio fuſior longe eſſet. Si febris ægras virgines detineat cujus occaſione & humores corrumpuntur magis, ut diffletur calor qui in corpore ſqualente & minimum perſpirabili continetur, non erit alienum venam reſerare : idque partito, ſi iterare conſilium eſſe debeat, nec unam evacuationem paullo largiorem ſuſtineat : aliis placet venam, quæ inter minimum digitum & medium decurrit, aperire, ut minor virium jactura fiat : nonnullis veterinariorum morem ſequentibus videtur legitima aut apertio, aut ſcarificatio venarum quæ ad lienis regionem ſitæ ſunt, hæc autem topica potius ſunt. Sed antequam id fit, corpus repurgare oportet, non valide quidem, ſed leniter, ut hic admitti non debeat Hippocratis ſententia qui melancholicos per inferiora purgat ἀδροτέρως (*e*). Si enim melancholicis morbis vehementiora debentur medicamenta, cur *in curatione ad Glauconem* lenius mitiuſque cum febribus quartanis agit Galenus quum experientia perſpectum ſit ex ſimplice quartana duplicem triplicemque naſci niſi ſummiſſius egeris ? Cancros autem ſi duriuſculis acriuſculiſque medicamentis vexaveris, ferociunt, inſultantque magis & medendo ægreſcunt. Uterque autem affectus in melancholicorum morborum cenſu numeratur. Et laborantes hypochondriaca obſervavimus uſu validiorum deterius longe habuiſſe : contra vero medicationes blandiores facile tuliſſe. Quinetiam de muliere quartanam patiente conſtat, quæ quum liberata eſſet a morbo, quoties animi potius quam neceſſitatis gratia decoctum folliculorum hauſiſſet, ſepulta febris ſuſcitabatur, pejuſque ſolito habebat. Et tamen placet Hippocrati durius agendum eſſe cum melancholicis. Et quæ abſtruſa ſunt, firma contumaciaque ea magnam vim quæ demoliatur expoſcunt, id eſt & multo tempore, & ſæpius & per fortiora medicamenta negotium tranſigendum eſt, ut explicat Galenus *in aphoriſmis*. Si quid ſit ejuſmodi, humor eſt melancholicus, & præſertim atra bilis, cujus contumacia blandiorum vires eludit : unde vulgo melancholicis peplium & elleborum ex uſu eſſe celebratur. Et ne quid hic, ut nec in aliis melancholicis morbis peccetur, ita cum diſtinctione rem definire oportet. Quidam dicunt melancholicis morbis, ſi purgatione egeant, validiorum remediorum uſum convenire : volunt autem conditionem iſtam (ſi purgatione egeant) addi ut excludantur quartanæ febres quibuſcum mitius agi debet, negant enim illas purgatione egere, ſed potius mitificatione quadam ac temperatione. Sic dicemus alias in melancholicis morbis utendum eſſe medicamentis levioribus, alias validioribus, alias nullis, aut leviſſimis. Levioribus autem uteris initio morborum melancholicorum : cocta enim medicanda ſunt : nec Aphoriſmus quo cenſet melancholicos ἀδροτέρως agitandos eſſe quicquam ei detrahit quo

Cap. 7. l. 2. loc. aff. & c. 5. 15.

Melancholici blande purgandi & cur?

Lib. 1. ad Glaucon.

Guido de Cauliaco Hiſtoria.

Splenicos negat purgandos.

Hipp. 2. de morb. immo ne lac quidem dat. Com. in aph. 30. l. 4. Deciſio quæſt. de purgat. melanch. juxta aph. 9. l. 4. 16.

(*e*) Validè & fortius.

quo mitificationem coctionemque expectat, niſi materia turgeat. Et ne putes in morbis melancholicis fruſtra expectari mitificationem quamdam, eorum feſtinationem temeritatemque imitatus qui atræ bilis nomine aut melancholici humoris, ſtatim ad confectionem hamech, aut pilulas e lapide lazuli aut cyaneo confugiunt, conſulendus eſt Hippocrates: hic enim *in aphoriſ.* ſcribit, *morbis quibuslibet incipientibus, ſi atra bilis ſupra vel infra exiverit, letale*, ſatis docet excretionem bilis atræ pernicioſam eſſe niſi ſit mitificata: non poteſt autem mitificari niſi cum tempore. Et *in com.* Galenus de excretione atræ bilis, ut & omnis humoris, ſi initio morborum fiat, loquens hoc axioma conficit, quum natura a cauſis morborum opprimitur, eſtque humorum cruditas, non potis eſt quippiam ſalutariter excerni. Hinc diſces initio morborum melancholicorum lenioribus locum dari medicamentis. At quum materia jam aliqua ex parte mitificari cœpit, libertas meatuum eſt, locus valentioribus eſto, quoniam humores tenaces, craſſi, viſcoſique leniorum vim facile effugiunt. Et illud ἀδροτέρως per comparationem audiendum eſt. Quum enim paullo ante gracilium & bilioſorum purgationis inclinationes adumbraſſet, quæ faciles ſunt, melancholicorum purgationem inſtituit, eo nomine & humorem pituitoſum & melancholicum intelligens: nam ob craſſitudinem analogia eſt inter utrumque magna. Vel illud ἀδροτέρως audies, multum & ſæpe, ut ſi ſemel validiuſcule exagitare non licet, frequentia & purgandi aſſiduitate compenſetur. Et hæc via tutior eſt. Quamquam, ut ante dictum eſt, de purgatione contumacis materiei Galenus loquens tria requirit, ut multo tempore, ut ſæpius, ut per validiora fiat purgatio. Porro incidunt ea tempora, ut in melancholicis morbis purgationes officiant plurimum, præſertim quum in mala partium diatheſi potius, quam in copia materiæ morbus conſiſtit: tunc enim a medicatione temperandum eſt. Ac in virginibus utrumque conſiderandum: nam aliquando neſcio quæ diatheſis & prava impreſſio in partibus ſpectanda eſt, aliquando humorum copia; fit enim aliquando ut & alvo ſint ſatis libera, & humorum ſuperfluorum nulla ſit ſignificatio, quum tamen graviſſime laborent; hic purgare, movere, agitare nefas eſt. Itaque ſi lienis male affecti ſigna adſunt; ſi alvus adſtrictior, de ea ſolvenda cogitandum eſt: fere fit autem ut ſplenici alvum adſtrictiorem habeant, maxime vero, ut ex Galeno patet, ſi lien ipſe, aut vaſa ad eum attinentia, cujuſmodi eſt vena quæ a porta in lienem porrigitur, aut quæ a liene in ventriculum tendit, ſint inflammata, aut obſtructa, aut anguſtiora reddantur & conniveant. At primum hoc medicamentulo corpus repurgabis.

Aph. 2. lib. 4.

Aph. 16. lib. 6.

Adverbii ἀδροτέρως explicatio. 17.

Cap. 13. l. de ſanit. tuend. 18.

℞. *Radicis petroſelini, fœniculi, bruſci, ana, dr. iij: macerentur in vino albo: corticis tamariſci, dr. ij: ſcolopendrii, ceterach, ana, man. j: abſinthii ſub finem poſiti, pug. ß: fiet decoctio cum folliculorum ſennæ juſta doſi pro ratione ætatis & corporis: in colatura infunde rhei, dr. jß: cinnamomi, ſcr. j: expreſſioni adde catholici duplicati, dr. vj: ſyrupi capillorum veneris, unc. j: fiat potus.* *Catharticum.*

Tria animadvertere oportet, initio quidem morbi non probari uſum ſennæ orientalis, quod craſſorum humorum proliciendorum vim habeat: *Tria obſervatione digna*

Initio curationis fœd. col. at id initio facere non juvat: itaque contra quam fiat, differri debet ejus uſus. Atque exiſtimo magna ex parte fœdatas virgines ut incuratas relinqui, quod temere nullaque methodo morbi curatio ſuſcipiatur: at hic maxime methodicos eſſe oportet. Secundo, in iis omnibus quæ propinabuntur, aromaton debet eſſe paullo crebrior uſus, tum quòd naturam roborent, ſpiritus illuſtrent ac recreent, ventriculo robur addant, cujus hic maxime cura geri debet, quod ad orificium ventriculi dolorem ſentiant, ſæpe nauſeant, vomituriant, immo & eis quodammodo cor fatuum ventriculuſque laxus & diſſolutus eſſe videatur. Tertio non valde probantur ea quæ majore leniendi facultate pollent ut ſunt caſſia & catholicon; hæc enim ac præſertim caſſia, ſuo virore ventriculum ſubvertunt ac molliunt: tamen loco aliorum medicamentorum, poteſt caſſia exhiberi ſumpto aut juſculo aut decocto ſequenti. Quod ne cui mirum videatur, audemus aſſerere multis & leipothymias, & torſiones alvi uſu caſſiæ excitatas, immo & quaſdam ſtomachi ſubverſiones; flatuoſum enim quid habet, & viroſum, quod ventriculo moleſtum eſt. Immo doctiſſimus Rondeletius obſervavit quaſdam affectiones catalepticas contigiſſe uſu caſſiæ & eorum quæ illam recipiunt, quoniam caput facile fumis replet, & ventriculum ſubvertit: Hippocrates *in libris acutorum* ſcripſit, quum quis medicamentum bibit, ptiſanam protinus ſorbendam dato: Galenus id fieri ait ut detergat, deorſum trahat medicamentum quod viis adhæreat, & qualitatem medicamenti temperet & permutet: ſed illo loco de vehementioribus agit. Quamquam de omni medicamentorum genere audiſſe videatur Galenus, ut qui omnis medicamenti naturam corporibus noſtris adverſam & deleteriam eſſe aſſeveret: ſed id plus minuſve: Caſſia autem potius ſuo lentore & virore moleſta eſt.

Rondeletius in annotat. in c. de ſomno profundo.

Par. 12. l. 2. acut.

Bolus. ℞. *Caſſiæ fiſtulæ, unc. j: cinnamomi, ſcr. ß: fiat bolus: capiat vel ex vino albo vel ex juſculo vel decocto ſequenti.*

℞. *Abſinthii pontici lauti, pug. ß: ſeminis citrii, cardui, ana, dr. j: florum roriſmarini, violarum, ana, pug. ß: raſuræ eboris, dr. v. fiat decoctio addendo cinnamomi, ſcr. j: in colatura diſſolve ſyrupi capillorum veneris, unc. j: fiat doſis aromatizanda pauco pulvere caryophyllorum, aut pulvere ireos, aut electuarii alicujus, ut de geminis, aromatici roſati; hauriat poſt ſumtum juſculum.*

In curatione fœd. col. hiera maxime laudatur, eaque potiſſimũ quæ Gal. auctorẽ habet, non quæ Nicolaũ. Inter cetera autem laudatur pulvis hieræ, & confectio ejus: niſi forte febris impediverit. Si ſymptomatica, non impediet: ſin eſſentialis, major cauſa dubitandi eſſe debet. Confectio autem ſuſpecta magis eſſe debet, ſi dolores capitis adſunt, recipit enim multa aromata: omnia autem pæne gravitatem capiti afferunt, omnia enim calida ſunt: calida autem id efficiunt quod ſua natura calor ſuperiora petat, ut ait Galenus: in hieram autem injiciuntur cinnamomon, xylobalſamum, aſarum, crocus, & ſpica nardina. Quamquam etiam in morbis capitis aromata uſurpantur, quod & cerebrum roborent, & ſua tenuitate medicamenta ad caput conducant. Ex hieris autem ea laudatur quæ Galenum auctorem habet, non quæ Nicolaum, hic enim injecit colocynthidem, turbith, agaricum, quorum nullum in ſuam hieram Galenus contulit. Quæ Nicolai eſt, majo-

Com. in aph. 28. l. 5.

res

res vires habet, quæ Galeni minores, & præterquam quod aliqua ex parte affectibus capitis, renum junctura rumque prosit, ea proprie ventriculo dicat operam, roborando si aloe lauta fuerit, purgando, si illota, & obstructiones infarctusque tollit: idque sine valido motu facit, nam aloe non superat hepar, si credere est Galeno: Et Mesuæo aloes magna vis purgandi & attrahendi crassa haud exsistit. Quæ a nobis eo consilio dicuntur, ut aloes usum non reformides, licet hepar sit calidius. Quum itaque hieræ picræ usus incidet, ita vel boli, vel potiones parabuntur. *Rondel. c. de cap. dolore a bile. 7. Meth. l. 8. de compos. med. local. Gal. l. 8. secundū locos. Mesu. c. de aloe.*

℞. *Rhei electi dr. ij: pulveris hieræ ex aloe non lauta, dr. iij: pilularum aloephanginarum, dr. jß: pilularum sine quibus, dr. j: spicæ nardi & ligni aloes, ana, dr. ß: cum aqua alkekengi, vel melissæ vel calendulæ infusionis granorum sex zingiberis, fiet massa pilularum ad usum.* *Pilulæ.*

Melius est si circa quartam matutinam tantum sumantur. Aloëphanginarum, quæ & aromaticæ dicuntur a Mesuæo, usus est commodus, quod roborando ventriculum adversus impuram ejus colluviem faciant.

Vel has pilulas in modum pilularum mastichinarum a Conciliatore concinnatarum ita formabis.

℞. *Mastiches, dr. j: aloes succotrinæ, dr. ij: agarici, scr. ij: excipe succo arthemisiæ, vel halicacabi, vel succo absinthii, vel in aquis, & utatur ut supra.*

Vel si purgare magis consilium est:

℞. *Foliorum sennæ mundatorum, in vino albo lotorum, dr. iij: polypodii querni contusi cum semine anisi, dr. iij: glycyrrhizæ, dr. ij: cassuthæ, pug. j: fiat decoctio lento igne, dum redeat ad consistentiam: ad usum qui dicetur.*

℞. *Mastiches, dr. ij: aloes lucidæ, dr. iij: rhei, dr. ij: agarici trochiscati, dr. jß: pulveris pleris archontici Nicolai Præpositi, aromatici rosati Gabrielis, ana, scr. ß: foliorum sennæ mundatorum, pulveris ceterach, ana, dr. j: excipiantur omnia decocto superiore.*

In omnibus istis pilulis locus erit rasuræ eboris, & cornu cervino.

Sin autem solidiora aversentur medicamenta, aut quod delicatiore ventriculo, his potionibus erit utendum.

℞. *Radicum aperientium, polypodii, ana, unc. ß: calendulæ, lupulorum, ana, man. ß: absinthii, bipinellæ, tormentillæ, ana, pug. ß: seminis cassuthæ, dr. j: florum genistæ, violarum, rorismarini, ana, pug. ß: radicis gentianæ, dr. j: foliorum sennæ, dr. ij: fiat decoctio ad dosin, in qua maceretur agaricus trochiscatus cum tribus caryophyllis aut spica nardi, rhei barbari, dr. jß; expressioni adde pulveris hieræ, dr. j: vel scr. iv: vel confectionis ejus, dr. ij. syrupi rosarum pallidarum, unc. j. fiat potus.* *Carthartica.*

Syrupus rosarum pallidarum in usum venire non debet, nisi constet proventum esse seri quod ἰχῶρα Græci vocant, quod ut plurimum cutim defœdat, & vix gratiam naturæ recipit.

Decoctum polypodii, aut scolopendrii, aut capillarium omnium, aut ceterach ex usu est maxime: item usus benedictæ laxativæ cum syrupo rosarum laxativo: in grandioribus quarum serosis humoribus corpus specie ipsa appareat plenum. Laudatur hic pulvis.

℞. *Pulveris Ceterach, & radicis gentianæ ana, scr. iv: pulveris corticis* *Apozemata.*

Minore quantitate dabitur pulvis gentianæ ob ingratum saporem.

capparidis, dr. j: rasuræ eboris, cornu cervi, margaritarum electarum, ana, dr. v: cinnamomi, scr. j: pulveris trochiscorum de capparibus, Mesuæ, & lætificantis Galeni, ana, dr. ß: cum saccharo buglossato fiat pulvis, utendus ex vino albo, vel aqua alkekengi, vel cassuthæ, aut decocto earumdem herbarum pauco cinnamomo addito: cicerum quoque rubrorum, radicis petroselini & similium decoctum plurimum conferet.

Item ℥. *Radicum graminis, ruscі, asparagi & fœniculi in vino albo maceratarum, ana, unc. ij: foliorum betonicæ, scrophulariæ, filipendulæ, pilosellæ, ana, man. j: radicis ireos & aristolochiæ, ana, unc. j. chamædryos, chamæpityos, ana, man. j: seminum halicacabi, & milii solis, ana, dr. ij: seminis anisi, unc. ß: quatuor seminum frigidorum majorum, ana, dr. ß: florum stœchados & rosarum, ana, pug. j: macerentur per noctem & diem in libr. iv vini albi & aquæ; adde mellis libr. ß. aromatizetur cinnamomo: capiat unc. iv. quotidie mane.*

Inter cetera in antiquis obstructionibus in usum expetetur radix enulæ campanæ in taleolas sectæ, & in vino albo maceratæ: miraculo creditur fœdos virginum colores tollere; omisimus autem præ ceteris juvare frequentem usum enematon. Quoniam enim malum contumax est, & nonnisi temporis successu remediis cedit, tum ut ne in malam consuetudinem corpus adducamus, ventriculum lædamus de cujus dolore querulæ sunt virgines, tum ut ne nimium simus ægris molesti, hypoclysmatis locus erit: atque id maxime fiet, quod in vitiis lienis & hypochondriorum eorum usus sit peropportunus.

Clysteres.

℥. *Hydromelitis bene cocti, unc. ix, in quibus dissolve confectionis hieræ, & catholici, ana, dr. iij: sacchari rubri & mellis violati, ana, unc. j: olei violacei, aut chamæmelini, aut anethini, si flatus adsint, dr. ij: aut butyri recentis, unc. ij.*

Butyrum addetur si alvus adstricta sit admodum ob cauma, id est, æstum in hypochondriis contentorum: nam olea inflammantur facile si alvus calidior fuerit. Præterea in eo sæpe graviter peccatur quod intestinis admodum cacochymis oleum sæpe infunditur, hoc enim malum est. Galenus multis demonstrat & acria salsuginosaque aliquando demorsis ab humorum acrimonia intestinis conferre, & dulcia ut oleum acrimoniam inducere. Priora quidem, dum adimunt humores qui sua qualitate molestiam inferrent: butyrum autem & oleum & omne genus τῶν ἐπιπρασ-τικῶν (*f*), dum suam εὐήθειαν (*g*) facile deponunt & alienam naturam facile induunt, si in ventrem cacochymum inducuntur, conversa immutataque in alienam naturam cacochymiam ex eventu augent: quæ annotari debent ne quid ea in re peccetur. Clysmata quoque conferent ex succis betæ & mercurialis, vel ita comparabuntur.

Cap. 12. l. 2. de simp. med. fac.

Oleosa maxime inflammantur & cacochymiam augent ex eventu.

℥. *Polypodii contusi, unc. j: seminis fœniculi, dr. iij: brancæ ursinæ, violarum, scolopendrii, ceterach, ana, man. j: mercurialis, man. j. seminis rutæ, ammeos, ana, dr. ij: ficus & pruna, ana, num. iv: fiet decoctio vel in aqua,*

(*f*) Demulcentium, temperantium. (*g*) Benignitatem.

aqua, vel ſero lactis præſertim æſtate, vel in hydromelle: diſſolve confectionem hieræ, confectionem baccarum lauri, vel confectionem hamech ſi grandiores ſunt, & duriuſculæ, item ſuccum betæ expreſſum & mercurialis.

Si provocare menſes conſilium eſt, artemiſiam, tanacetum, galeopſin & alia id genus incoques. Denique ſive ſit icterus, ſive lienis vitium, ſive obſtructio viſcerum ac meſaraei, ſive hypochondriacum quid, iſta remedia eam fidem ac operam quam diximus, ſunt præſtatura.

Apozematum materia.

Apozematon vero & ſyruporum ſolennium, in quibus ea locum habitura ſunt quæ partium imbecillitati conſulunt, uſus erit frequens. Incoquentur maxime bugloſſum utrumque, bipinella, ſolſequium, intybi & ſeridis genus omne, filipendula, capillares herbæ, anchuſa, fœniculum, gentiana, ariſtolochia, radices omnes aperientes in aceto albo aut vino albo maceratæ, ſecuridaca, chamæpitys, chamædrys, roſmarinus, ſerpillum, hypericum, marrubium, nepetha, aſarum, petroſelinum macedonicum, amara omnia, raſura eboris, cornu cervi, vermes terreni, coſtus dulcis; apozemata ex his vel julepi conficientur, vel ſuccenturiabuntur, aquæ rubiæ tinctorum, cuſcutæ, fumariæ, capillorum veneris, lupuli, acetoſellæ, ſcolopendrii, raphani, apii, fœniculi, lappæ rubeæ, leviſtici, eryngiorum, ruſci, aſparagi, & ſic progrediendum ut a levioribus incipiatur. Quæ vero vehementiora ſunt, ut diagrydium & elleborus, tametſi nonnullorum conſilio in ictericis affectionibus uſurpantur, nobis non valde placent. Vomitiones conferent ex intervallis, ideo a veteribus olim in diuturnis affectibus probabantur. Agaricus & ſenna & polypodium & caſſutha & alia, quæ craſſos lentoſque humores educere poſſunt, conferent: immo ſi ſeroſorum humorum ſuſpicio ſit aliqua, poterit concinnari electuarium ex rheo & pulvere diacarthami: vel dimidia tabella ſcr. iij. diacarthami cum ſyrupo roſarum ſolutivo apprime conferet, vel,

Cap. 4. l. 5. de uſu partium.

℞. Rhabarbari pulveriſati, dr. v: pulveris diacarthami nondum in tabellas conſumpti, dr. j: cinnamomi, ſcr. j: pulveris aromatici roſati, vel pleris archontici, ſcr. ß: pulveris triaſantali, gr. viij: cum ſaccharo in aqua ſcolopendrii, vel decoctionis angelicæ & ſcolopendrii, infuſionis dr. ij foliorum ſennæ mundatorum diſſoluto, fiat electuarium per tabellas ponderis unc. ß: capiat jejuna mane vel ex vino albo odorifero, vel ex juſculo, vel per ſe.

In curat. fæd. col. maxime habenda ratio ventriculi. Hip. ſub finē lib. de priſc. medic.

Maxime vero hic ratio haberi debet ventriculi, cujus diſtributio ſæpe impeditur, & coctio labefactatur, imminuitur, immo & corruptio fit chyli: quo fit ut virgines decolores de ventriculi dolore ſæpe conquerantur: id autem tum ventriculo ipſi tribuitur, tum errori externo in ordine & aſſumptis. Sed ut ventriculi ratio ineatur, tum aſſumtis, tum adhibitis ei conſulendum eſt. Quum autem vel intemperies ſit eaque aut calida aut frigida, aut ſicca, aut inæqualis (eoque deterior) aut humorum excrementoſorum cumulus, ſive per propriam affectionem ventriculi, ſive ob venarum lactium obſtructionem, unde decoctio alimenti prohibetur, quod in hypochondriacis uſu venit, ſive ob refluxum humorum aliunde, quod ventriculo maxime convenit ob capacitatem, ſed etiam facile depellit, niſi adhæſus fiat ut prudenter Hippocrates animadvertit, cauti erit Medici hæc diſcernere. Magni enim intereſt ſcire an actio ventri-

Cap. 3. l. 1. de loc. aff.

culi læsa sit aut per propriam ejus affectionem, aut ex eventu tantum, siquidem ut Galenus exactiore quadam regula & examine, quod facile vocat ζήτησιν διαλεκτικωτέραν (*h*), expendit, aliud est ventriculum per se propriamque affectionem laborare, aliud per proventum excrementorum, aliud per alimenti qualitatem: quod exemplis illustrat, ut ne quis accuset ventriculum quum ipse integer & incolumis sit: ut ideo ignavus non dicetur, quod uvarum acinos non putrefaciat, ut verbo vetusto utar, conficiat aut corrumpat. Unde quidam ex veteribus (quod tamen valde non placet Galeno) distinctionis ergo dixerunt aliud esse ἠπεπῆσθαι, aliud μὴ πεπέφθαι (*i*). In fœdis coloribus maxima ex parte ventriculo sua est prima vernaculaque integritas, nec ægrotat, sed afficitur aut collectione aut affluxu colluviei humorum, aut consensu lienis, unde successu temporis non bene suum officium facit. Si itaque pituitosi aut alii id genus humores in alvo collecti fuerint, conferet vomitus jejuno stomacho Galeni consilio. Tamen *eodem in loco lib. 4. sanitatis conservandæ* contra Philotimum & Praxagoram magnos vomitus assertores negat vomitui locum esse quum ventriculus ita scatet colluvie humorum: in quo sui dissimilis est, & dissentit ab iis quæ dicta sunt de colicis & nephriticis *in lib. Epid.* immo laudat Veteres qui bis mense vomitiones provocabant. Sed duabus de causis vomitum non consulit: tametsi ventriculus offarctus esse videatur. Priore quidem si in aliis venis a ventriculo longe dissitis acres humores contineantur: quod ex ulcerosa quadam lassitudine & observatione tum excrementorum corporis, tum coloris ejusdem colliges: quo tempore si vomitus incitatur, metus magnæ agitationis raptusque humorum in partes nobiles, interea dum per os evocare eos frustra conaris. Posterior vero ratio est quod vomitus quidem confert si materia in alvo ipsa continetur, non autem si in habitu corporis: nam auctore Galeno sola ea vomitu secundum naturam excluduntur, quæ in alvo ipsa includuntur: quum nihil eorum quæ in intestinis aut fluitant aut inhæresunt per vomitum exigi excludique possit. Nisi forte quis objiciat id quod ab Hippocrate scriptum est, si quem diuturnus alvi fluor infestat, is vomitu sponte nato & superveniente liberatur. Si enim verum hoc est, non est verisimile diuturnæ diarrhœæ causam in solo ventriculo esse, sed in intestinis aut partibus a ventriculo remotis contineri par est, eamque vomitu excluſam, solutionis causſam esse. Sic non ea sola excludentur quæ in ventriculo aut fluctuant aut adhærent. Tamen verum est id quod prius explicatum est. Si itaque suspicetur colluviem humorum esse in ventriculo, eam vomitu excludat Medicus. Si contumacior sit, ea quæ ciendi vomitus facultate pollent usurpentur: vel exhibeatur pulvis hieræ: vel præparetur materia ad vomitum eo modo.

Cap. 4. l. 1. loc. aff.
Vid. c. 3. l. 1. loc. aff.
Aliud est incoctum, aliud crudum: incoctum ab externo vitio alimenti pendere potest, cruditas autem ab impedita læsaque actione partis.
4. sanitat. tuend. c. 4.
Com. in par. 16. sect. 1. l. 6. Epid.
Gal. c. 4. l. 5. de usu part.
Vomitus an conferat.
Com. in aph. 12. lib. 4.
Hipp. aph. 15. lib. 6.

19. ℞. *Menthæ, origani, malabathri seu folii indici, & majoranæ, ana, man. j: schoenanthi, unc. j: florum chamæmeli, melissæ stœchadis & salviæ, ana, pug. j: fiat*

(*h*) Perquisitionem dialecticam. (*i*) Incoctum esse, aliud non concoqui.

fiat decoctio in aqua & vino: fiat fotus cum ſpongiis: nil adſtringens hic adjecimus, quia materiæ præparandæ & excitandæ naturæ ventriculi ſtudemus.

Nos autem hoc aſſerimus maxime profuturos nos ſi in curam ipſius ventriculi incubuerimus, ſive humores coquere ſtudium ſit, ſive vim ventriculi ignavam excitare, ſive calorem augere, mitificare, reſerareque conſilium ſit: caveaturque ne augeatur intemperies calida, ſi de ea ſuſpicio ſit.

℞. *Betonicæ, ſampſuchi, abſinthii, menthæ, ana, man. j: ſiſymbrii ſeu balſamitæ ſeu menthæ aquaticæ, pug. j: galangæ, maceris, caryophyllorum, ana, dr. j: agallochi, ſeu ligni aloes, dr. j: cytini ſeu floris mali punici, pug. ß: cyperi, unc. ß: roſarum, pug. ß: behen albi, behen rubri, ana, dr. jß: fiat decoctio in æquis partibus aquæ & vini rubri aut albi pro fotu ſtomachi.*

℞. *Furfuris, man. j: milii conquaſſati, pug. ij: ſalis, dr. j: frigantur in ſartagine: perfumetur ſacculus vino aqua roſacea diluto & effuſo in laterem candentem.*

Conferrent itaque & myrtus tum baccis tum folio, roſa, coriandri ſemen corroborando ventriculo: Ad frigidos crudoſque ichores calidorum uſu providebis ut maſtiches, croci, ambræ, galangæ, maceris, agallochi, caryophyllorum. Maxime vero ſacculus minutim tranſſutus ventriculo applicitus conferre videatur.

℞. *Roſarum rubrarum, cytinorum, menthæ, abſinthii, ſampſuchi arefactorum & contritorum, ana, dr. iij: ſpicæ nardi, galangæ, nucis moſchatæ, caryophyllorum, ana, dr. ij: maceris, dr. j: croci, ſcr. j. conferantur omnia in ſcutum.*

Repurgato ventriculo blandis iſtis pilulis, fotus, ſcuta applicare magis conveniet.

℞. *Maſſæ pilularum aloëphanginarum, aſſaiereth. ana, dr. j: pilularum ſine quibus, ſcr. ij: agarici, & rhei electi ſucco violarum irrorati, deinde ſiccati & pulveriſati, ana, dr. j: ambræ griſeæ, & ligni aloës, ana, gran. iv. cum aqua menthæ vel ſucco meliſſæ infuſionis ſcrup. j: cinnamomi, fiat maſſa pilularum utenda ad dr. j: vel,*

℞. *Abſinthii, menthæ, ana, pug. ß: ſeminis aniſi, fœniculi, ana, dr. j: trageæ communis, dr. ß: origani, pug. ß: fiat decoctio pro doſi, in qua infunde rheum, & cinnamomi aut nucis moſchatæ, ſcr. j: diſſolve pulveris hieræ, dr. jß: ſyrupi capillorum veneris vel ſacchari candi, ana, quantum ſatis.*

Hic potus valet ad eluendas ſordes quæ parietibus ventriculi adhærent: & quæ ſæpe colicam ſtomachicam & ſupinationem ſtomachi efficiunt, præſertim quum in flatulentam naturam converſæ fuerint, unde magna acerbitas doloris: nec exiſtimo repurgandum eſſe ventriculum niſi prius materia præparetur fotu: nec enim verendum ut fotu ante purgationem uſurpato fiat attractio in ventriculum. Si enim ſpongiæ imbutæ decocto conveniente ventriculo applicentur, tuto commodeque id fiet. Præterea videndum ne liquidius ſit medicamentum ſi e ventriculo quippiam educendum ſit, ſed moram trahere oportet. Tertio vereri oportet ne tormina excitentur: ideo folliculorum tutus non eſt uſus, nec caſſiæ, nec catholiconis, nec trypherarum, quoniam flatuoſum quid habent, & diſſolvunt vim

Sunt qui medentes ventriculo aſſumendis aut electuariis aut conditis adduntmyrrham: hanc damnat Silvius quod noſtra myrrha ſit κακοστόμαχος (k).

(k) Stomacho inimica.

vim ventriculi ſuo virore. Denique imbecillius medicamentum non ſit, alioqui dolores excitabuntur ſi humor cieatur & non foras exigatur.

Tabellæ hæ magnas habent opportunitates ad roborandum ventriculum.

Tabellæ. ℞. *Pulveris electuarii aromatici roſati majoris, diatrion ſantalon, ana, ſcr. j: pulveris electuarii diacubebarum & diacurcumæ, ana, ſcr.* ß: *pleris archontici, & ambræ, anâ, gr. iv: rhei electi pulveriſati cum momento cinnamomi, dr. ij: ſacchari diſſoluti in aqua hyſſopi vel cardui vel abſinthii, quantum ſatis, ut fiant tabellæ utendæ cum vino aromatite. Poteſt addi dr.* ß, *vel ſcr. j pulvis diatrion pipereon.*

Nos hic commendamus plurimum electuarium diacurcumæ quod peculiarem dicet operam cachecticis, obſtructione hepatis & lienis laborantibus, fœdiſque coloribus: & recentiores eam διὰ κρόκου (*l*), vel διὰ ἐρυθροδάνε (*m*) vocaverunt: quod Meſuæo curcuma ſit crocum, Arabibus erythrodanum. Si electuarium dialaccæ in officinis pararetur, eaſdem cum ſuperioribus vires haberet: laccæ nomine accipientes quoddam gummi quo tinctores utuntur ad colorem baphicum kermeſinum. Valent & hæ pilulæ.

Pilulæ. ℞. *Aloës lotæ, pulv. gentianæ, & ariſtolochiæ, ana, ſcr. j: croci & myrrhæ, ana, dr. j: mithridatii, unc. j: ſyrupi quantum de abſinthio ſatis eſt, formetur maſſa pilularum*: in purgantibus medicamentis addetur oxymel ſcilliticum ad incidendam materiam.

℞. *Oxymellis ſimplicis & ſcillitici, ana, unc.* jß: *ſyrupi de hyſſopo & de mentha, ana, unc. j: miſce cum decocto acori, paſſularum, glycyrrhizæ, cinnamomi, in tres doſes: ſuperaddatur tabella una electuarii aromatici roſati, vel diarrhodon abbatis.*

Puellis poculum hoc confert plurimum.

Potus. ℞. *Agarici trochiſcati, dr. j: infunde in aqua hyſſopi & vino albo cum roſarum rubrarum, ſcr. j: paſſetur per manicam Hippocratis cum cinnamomo, adde ſyrupi de cichoreo cum rheo, unc. j: fiat potus*: maxime vero in uſum veniet, ſi de vermibus, quod fere fit, ſuſpicio ſit aliqua.

Valet mane cochlear unum aquæ vitæ, vel vini aromatitis, vel abſinthitis cum ſaccharo roſaceo, vel canellatum, radix acori condita, nux condita, zinziber conditum, aniſum & coriandrum vel conſerva enulæ campanæ vel eryngiorum & florum perſici.

Si ventriculus humidior fuerit, valet pulvis ex ambra citrina, pulvere maſtiches & ireos cum pulvere roſarum ſiccarum; dabitur autem cum vino granatorum; ſi frigiditas jungatur, addentur aromata.

Scutum. ℞. *Pulveris ſpicæ nardi, macis, galangæ, caryophyllorum, ana, dr. j: olei maſtichini, & roſati, ana, unc. j: miſce & ſuper cineres calidos macera biduo: deinde exprimatur, expreſſumque regionem ventriculi illinito. Superponatur ſcutum ex confortativo Galeni.*

Pulvis. ℞. *Cerati ſtomachici Galeni, unc.* ß: *ſpicæ nardi, macis, galangæ, caryophyllorum, ana, dr. ij: baccarum juniperi, unc.* ß: *florum roſarum & roriſmarini,*

(*l*) Ex croco. (*m*) Ex erythrodano.

marini, ana, dr. j: fiat pulvis, miſceatur cum cerato: optimum remedium in dolore ventriculi & partium propinquarum.

℞. *Pulveris roſarum & abſinthii, ana, unc. ß: pulveris maſtiches, unc. j: caryophyllorum, dr. j: excipiantur ſapa, & coquantur ad ſpiſſitudinem: inſtar emplaſtri ventriculo applicetur.* *Emplaſtrum.*

Quoniam autem ſæpe cruditatibus ſcatet ventriculus, partim proprio ipſius vitio, partim catarrhi in eum deſcenſu, ut Hippocrates docet, enumerans incommoda quæ conſequuntur ob deſtillationem a capite in partes ſubjectas, ſi quid tale contingat, hoc ſyrupo commode occurretur. *Hipp. l. de gland. & Gal. apertiſſime com. in illum aph. l. 6. quibus cerebrum & nares humidiores &c.*

℞. *Ramentorum ligni ſancti, unc. j: polypodii, unc. j: corticis ſambuci, cyperi, acori, ana, dr. iij: betonicæ, meliſſophylli, morſus, ſcabioſæ, pentaphylli, tormentillæ, ana, dr. j: menthæ, coſti dulcis, ana, pug. j: cytini, dr. ij: ſeminis rutæ, ſeſeleos, baccarum juniperi & ſeminis pæoniæ, ana, dr. j: galangæ, dr. j: ſeminis cartami, unc. ß: paſſularum, unc. j: florum roriſmarini, pug. j: lavendulæ, pug. ß: foliorum ſennæ, unc. ij: cinnamomi & nucis moſchatæ, ana, dr. jß: cum oxymelle ſcillitico & ſaccharo fiat ſyrupus coctus perfecte: adde expreſſionem unc. j. rhei: vel unc. ij. rhei macerabuntur in ſucco mercurialis & menthæ cum nuce moſchata & cinnamomo.* *Syrupus.*

℞. *Cerati ſtomachici Galeni, maſtiches, ana, unc. j: abſinthii, menthæ, ana, dr. ij: coralliorum rubrorum, galangæ, ana, ſcr. j: fiat ſcutum pro ſtomacho.* *Scutum.*

℞. *Coriandri præparati, unc. ß: roſarum rubrarum, dr. jß: raſuræ eboris, cornu cervi, fragmentorum ſmaragdi, ana, ſcr. j: ambræ griſeæ, gr. iv: cinnamomi, ſcr. j: aniſi conditi, dr. ij: ſpodii, dr. ß: pulveris electuarii diambræ, de gemmis, & pleris archontici, ana, gr. vj: cum ſaccharo fiat pulvis.* *Pulvis.*

Hæ cautiones ſunt adhibendæ in uſu remediorum uni ventriculi ſaluti conſulentium, ne imperitorum more ſuſque deque omnia habeamus, temerario auſu ſæpe venantes auram popularem & ut ſic dicam ἀμεθόδως (*n*) infinitam remediorum ſilvam proponentes. Incidunt enim in errorem veterum Gnidiorum, quos Hippocrates ſuggillat, qui cum apparatu medicamentorum nomina pronuntiantes ſeſe Medicos profitebantur; hoc monitum volumus quoniam in affectibus ventriculi curandis graviter peccatur, & tamen magni intereſt ſi quid peccetur: Primum quocumque te convertas, & quidquid agas, ſemper ventriculi robori conſulendum eſt, ſi enim diſſolvatur, clades maxima eſt: omnibus itaque remediis aſtringentia roborantiaque convenient: & nullus affectus eſt in quo non ſit intendendum robori ventriculi, tametſi ipſa affectio contrariam indicationem inſinuet. Quidam tamen objiciunt ſingultum, qui quum affectus ventriculi proprius ſit, ab aſtringentibus eſt temperandum: quod audiendum eſt ſi ſingultus a materia frigida ſit, nam impingeretur magis adſtringentium uſu. Galenus paſſim duas partes recenſet quarum virtus ſervanda ſit, tametſi ἀντένδειξις aliqua ſit, hepar & ventriculum. Pote ſi utramque partem vel alteram inflammatio obſederit, affectus quidem relaxantia poſtulat ad tollendum *Hipp. 1. de diæt. acut. Aſtringendū in affectibus ventricul. ſed nimia aſtrictio parit ſiccitatem: quē admodum & humectatio diſſolutionem. Hollerius in praxi. Hepat. & ventr. virtus ſervanda licet ſit aliqua ἀντένδειξις (o). Gal. c. 15. l. 13. meth. Gal. l. 11. meth.*

(*n*) Sine methodo, temerè. (*o*) Contraindicatio.

lendum ichorem, ſed pars adſtringentia ad conſervationem ſui poſtulat: hinc Attalum medicum ridet qui Theageni inflammationem hepatis patienti ſola χαλαστικὰ (p) adhiberet: ita enim interiit: ſed id plenius alio loco *in methodo medendi* demonſtravit. Hoc autem ita intelligendum, quoniam in aliarum partium inflammationibus initio quidem adſtringentia & repellentia uſurpamus, ſed hepati & ventriculo inflammatis omni tempore uſu adſtringentium providemus. Niſi quis duo objiciat, prius quidem omne adſtringens eſſe frigidum: at frigus inimicum ventriculo, ut paullo poſt dicetur: unde diſſidium obortum inter Græcos & Arabes, hi actu etiam frigida non ſunt veriti hepati & ventriculo calefactis adhibere, illi vero contra ſenſerunt: quod Galenus *in methodo medendi* docet. Poſterius autem ſi objicit quod a Galeno ſcriptum eſt *libro* 13. *methodi*: *novimus*, ait, *dulcibus jecur ac lienem intumeſcere*; *ſuperſunt in cibis ptiſana*, *in pharmacis oxymeli aqua mixtum. Nam quæ adſtringunt*, *omnia*, *dum bilis meatus os obſtruunt*, *bilem ſupprimunt*, *atque inde jecoris phlegmonis ſunt incommoda*, *maxime quæ in cavis conſiſtunt*: pugnant hæc cum iis quæ dicta ſunt. De priore dicam. Non eſt neceſſe omnia adſtringentia eſſe frigida, quamquam Galenus dicat omne exquiſite adſtringens frigidum ſe perpetuo comperiſſe: tamen eſt ubi quædam calida adſtrictionis vim habeant, quum tamen ratione terrenæ partis frigida eſſe videantur. Unde contra Metrodoron miſy & chalcanthum objicit, quæ quum calida ſint, maxima tamen adſtringendi facultate polleant. Ad poſteriorem objectionem ex ſententia Galeni, ut evertatur propoſitio ea qua diximus perpetuo & jecur & ventriculum & roboratione & adſtrictione opus habere, dicemus Galenum illo loco maxime de cavæ partis jecoris inflammatione loqui, in qua revera ob inflammationem meſaræi, minus tutus adſtringentium uſus: ſecundo de cibis mentio potiſſimum injicitur: nemo dubitat in cavæ partis inflammatione adſtringentes cibos & craſſos officere. Tertio loquitur de adſtringentibus non mixtis. Sed quum ſimæ hepatis inflammantur, tutius uſurpantur adſtringentia quod longo anfractu eorum vis pertundatur. Quod autem paullo ante dictum eſt de uſu frigidi; revera quæ actu ſunt frigida lædunt ventriculum, eſt enim membranoſa ſubſtantia: accedit quod actionis officina ſit, eoque ſervandus eſt calor coctionis auctor, in quo errarunt Arabes frigida actu uſurpantes ſi quando corrigenda eſſet calida intemperies, debuerunt potius ad id quod ſcribit Hippocrates advertere; merito thorax & ventriculus a frigida ſuperatus moleſte fert, & mortem minatur quia maxime deſuetus eſt: niſi quis objiciat experientiam quotidianam. Videmus enim ventriculum tantopere frigidæ uſu delectari, immo & aquæ potores etiamnum bene coquere, quum multum cibi ſumant, ſecundum illud Hippocratis, *aqua vorax*, *vigilia vorax*. Quæ & Hippocrates loco paullo ante citato explicavit obſcurius, *plurimum abeſt ab eo ut patiatur ventriculus*, *propinquiſſima autem ſunt inter ſe egere & pati. Merito igitur frigidæ potu delectatur*. Quod nos ita explicamus, frigidum qui-

Actu frigida vent. nocent.

Gal. c. 12. l. 13. meth. Cap. 14.

Gal. c. 7. l. 4. de ſimp.

Gal. c. 33. lib. 1. de ſimpl.

20.

Hip. l. de liquidor. uſu.

Hip. 6. Epid.

(p) Laxantia.

quidem alvo ipſi ac thoraci inimicum eſt bellumque indicit, quamvis tamen ab uſu frigidæ magnam capiat oblectationem. Sed aliud eſt ventriculo adhiberi frigidum propter indigentiam & uſum, aliud excluſo uſu adhiberi idque immodice. Si propter indigentiam, patitur quodammodo dum indiget, ſed dum fruitur delectatur, dum paſſionis ob deſiderium ortæ occaſio tollitur: tunc enim non offenditur niſi magno exceſſu: ac proprie non dicitur πάθειν (q). Itaque quum ventriculus humidi ac frigidi eſt indigus, proprie dicitur egere, pati autem improprie: Si offenditur uſu nimio, non dicitur ſimpliciter πάθειν, ſed κρατεῖσθαι, id eſt vinci ac ſuperari. De ventriculo unum moneri debet, quod plurimum uſu caloris ſicci offendatur, niſi ſuſpicio ſit colluviei multæque humiditatis: ſed frequenti uſu diſſolvitur arentiorque fit. Itaque errant qui pannis plurimum ac ſæpe ad ignem appoſitis ventriculum fovent: nam augent intemperiem hepatis, & ventriculum fovent, arefaciuntque: ac hic uſu tepidi caloris delectatur: de quo calore dictum ab Hippocrate *in aphoriſmis* quod ſit φίλον καὶ κρίνον (r): ita enim vernaculus calor ejus conſervatur. Quamquam ſi quis eo paullo plus utatur diſſolvit, laxat, & ἐκθήλυνσιν (s) adfert ut idem Hippocrates ſcribit: quod autem calor acer, aridus ſqualiduſque obſit ventriculo, ſatis inde patet quod febricantium bilioſorumque ventriculus oblangueat inappetenſque fiat: id quod Galenus pluribus locis explicavit. De ventriculo præterea unum hoc notari debet quoad uſum oleorum quibus foris ejus regio illinitur: oleorum arte chymica extractorum, tutus uſus non eſt: nam ob ἐμπύρευμα (t) contractum facile læderent. Quinetiam illud ſciendum in imbecillitate ſtomachi, ſubverſione, (quam Græci ἀναγοπώω vocant) crebro vomitu aliiſque conſimilibus affectibus remedia non anticæ tantum parti admoveri debere, ſed & poſticæ: quod ratione anatomica & exemplo obſtetricum docet doctiſſimus Langius. *Hæ*, ait, *obſtetrices pueros, quos crebro vomitu & ſtomachi τῇ ἀναγοπῇ gulam ac ventriculi os convelliſſe putant, ſupra ventrem collocant, & cutim circa duodecimam ſpinæ vertebram complicatam digitiſque apprehenſam in ſublime trahunt, aut id in cucurbitula urceolove ſuccenſa ſtupa moliuntur.* Et id primus obſervavit optimus medendi magiſter Aëtius. Quoniam autem paullo ante dictum eſt & aloën, & abſinthium vinumque ex eo confectum in affectibus ventriculi conferre: ne quid hic peccetur, non alienum erit de quibuſdam admonere: id enim vulgo videtur ubi quis de ventriculo queritur ſtatim ad uſum vini abſinthitis confugi: unde in cœnobiis magno apparatu precario multis diſtribuitur. Hieræ uſus commendatur præſertim quum humor eſt imbibitus tunicis ventriculi: eluit enim facile ac detergit: & id plurimum commendat Galenus. Tamen ut ex eodem colligere eſt, non tam laudatur iſta confectio ratione aloës quam ob cinnamomon & alia aromatica ex quibus conſtat: hæc enim valde ventriculo proſunt. Ideo vituperandi ſunt qui in cruditatibus ventriculi aloë ſola utuntur: non

Vid. com. in par. 25. ſect. 4. l. 6. Epid. Aph. 22. lib. 5. Aph. 16. lib. 5. Errant qui pannis ad ignem ſæpe appoſitis plurimum ventricul. fovent. Com. in aph. 20. l. 2. 7. c. de ſimp. cauſ. Com. in aph. 17. l. 4. l. de arte parva. Affect. ventr. proſunt remedia 12. vertebræ dorſi admota. Langius epiſt. 42. lib. 2. Aëtius l. 5. c. 127.

Hieræ uſus quando commendatur.

(q) Pati.
(r) Amicum & judicans.
(s) Effœminationem.
(t) Empyreuma, ignitio.

Gal.c.10. l.6. ſanit. tuend. enim prodeſt niſi aromaton quoque ſocietatem habeat: quod & Galenus aſſeverat. Nec abs re *in libris de ſimplicibus* amara dixit ventriculo eſſe inimica: ſed addit quæ ſunt μόνον πικρὰ, id eſt ſolo amarore donata ſunt, ac præter eum nullas facultates alias habent. De abſinthio vero hoc ſciendum: ventriculo quidem operam dicat, ſed alias atque alias: Pontico abſinthio (quod & Romanum Meſuæus vocat auctore Sylvio) vis ineſt adſtringendi plurima, amara autem exigua; in ceteris amaror eſt maximus, adſtrictio autem obſcura: ideo ſunt inimiciſſima ventriculo: Ponticum terget ſordes ventriculi, ſi modo altius contumaciuſque imbibitæ non ſunt: ac dicunt abſinthium vulgare ob amarorem inſignem vim habere tergendi, ideo ad contumaces humores valere: ſi vero non adſit ea cruditas obeſt plurimum: ac pontico quum adſtrictio multa inſit, deterſio exigua, ſi eo utamur, valet quidem ad ſubducendos humores in ventriculo hærentes: ſed ſi contumacius inhæreant, nocet, quia impingit magis tunicis ventriculi: vinum autem abſinthites ex vulgari abſinthite comparari ſolet, hinc inſigni amarore præditum eſt: abſinthium enim illud vulgare alvinam vocant, quaſi qualitate & amaritudine proxime ad aloën accedens.

22.

Pontici & vulgaris Abſinth. vires.

Gal.c.10. l.6. ſanit. tuend.

Cur Abſinthium Alvinam vocant.

Sympt. quæ in fœdatis virg. aliquid hypochond. eſſe declarant. In fœdatis virginibus ante docuimus ſæpe hypochondriacum aliquid eſſe: nam & ructus, & borborygmi, & ſitis quæ plerumque urget, & hypochondriorum tumores inflationeſque, ventriculi inappetentia malaque coctio, repletio facilis, marmarygæ quæ ob oculos verſantur, turbulenta inſomnia & peregrina, vibrationes corporis, vertigines capitis, ſonitus flatuum circum aures & ſibili, ſexcenta denique alia quæ adeſſe ſolent in virginibus fœdos patientibus colores, ſatis declarant ſubeſſe affectionem aliquam flatuoſam ac hypochondriacam. Principium hujus affectus a cruditatibus repetit Galenus & Rufus ut ex Aëtio colligere licet, unde ſurgunt flatus; tamen obſtructionem fieri per quamdam phlogoſin ex Diocle eodem in loco aſſeverat. Ac exiſtimo & cruditates primam hypochondriacæ melancholiæ occaſionem dare, & phlogoſin quamdam: ſed id alia atque alia ratione. Nam quum homines ἐξέρυθροι (*u*) & hirſuti ſqualidique ac atrabilarii in eam incidant ſæpe affectionem, & virgines quibus obſtruuntur venæ tum ob immoderatam vitæ rationem, tum ob refluxum menſtrui ſanguinis, poteſt & cruditas, & obſtructio ob phlogoſin illius affectus cauſa eſſe: & ſi ita res diſtinctæ fuerint, vitabitur omnis obſcuritas & rerum confuſio: nec enim veriſimile eſt eamdem eſſe ideam illius affectus in his & illis. Itaque quibus magnus eſt proventus humoris atri per aduſtionem geniti, ii hypochondriaci fiunt per calorem, & febris lenta comes eſt: nec enim tametſi affectio phlogoſi ſimilis ſit quæ obſtruat ἀνάδοσιν que (*x*) impediat, præterea magnam aliquam conſequi febrem neceſſe eſt: contra tamen Rondeletius contendit. Galenus autem *in Prorrhetico* docet non neceſſario acutas febres ſequi; tametſi vel in ventre, vel in jecore, vel ſepto tranſverſo phlegmone oriatur: multo minus ſi in partibus

Gal. 7. c. l.3. de loc. aff. Aëtius c. 9. ſerm. 2. tetrabil. 2. Gal. ibid.

Rondel. c. de melanch.hypo. Com. in part. 21. ſect. 2. prorrh.

(*u*) Prærubri. (*x*) Diſtributionem.

bus minus momentaneis. Ac in virginibus hypochondriacam affectionem parit potius cruditas & cacochymia, juvante refluxu ſanguinis impurioris quæ natura lubens excerneret. Quod ſi verum hoc eſt non erit utendum illis remediis quæ ad hypochondriacum affectum per phlogoſin aliquam natum, ſed cruditates dicuntur pertinere: horum ſilvam viſi ſumus explicaſſe paullo ante quum de affectibus ventriculi diceremus. Aëtius primum cenſet habendam eſſe rationem coctionis, quoniam ea aut imminuitur aut pervertitur, unde ſymptomaton accretio: deinde ad aloën & epithymum recurrit, pauca quantitate exhibens, ut ſenſim atque ſenſim alvus educatur. Si menſium ſuppreſſio ſit, venam poplitis incidit. In clyſteribus incoquit polypodium & epithymum cum furfuribus & pauco nitro: urinas provocat decocto dauci, petroſelini, aſari, phu, mei, nardi, fœniculi & ſimilibus: Utitur quoque decocto abſinthii tribus de cauſis; quod flatus generari non permittat, ſeceſſum non prohibeat, urinam cieat, coctionemque adjuvet: immo ſolo iſto decocto plurimos ſe ſanaviſſe confirmat. Serum exhibet cum melle & ſale. Tamen ante docuimus, lac iis non conferre quibus & inflata ſunt hypochondria, aut obmurmurant: tamen prodeſt his potius quam illis. Sed hunc nodum diſſolvit Galenus, qui etiamnum inflatis hypochondriis ſerum lactis exhibet, quia alvum ſubducit, quod notandum eſt: ſed non conferet virginibus; hypochondriacis per aduſtionem proficiet magis; proſunt ex intervallis vomitus præſertim a cibo: ſed vomitoria valida (quæ tum a nonnullis male præſcribuntur) obſunt plurimum ærumnamque ventriculo afferunt. *Immo*, ait Aëtius, *quidam vehementioribus vomitoriis melancholia correpti ſunt, ut mirum non ſit ſi multi curati non ſint. Dimiſſa medicorum curatione ſunt reſtituti, natura ante curationem prævalente contra morbos jam debiles ex medela factos. Sic naturæ danda remiſſio: nam una cum curatione affligi videtur. In quiete vero invaleſcit, & ſuperat morbos jam tenuatos.* Quod Aëtii conſilium in curatione morborum præſertim melancholicorum ſequi debemus: immo & indulgendum ægris, tametſi illud quod indultum fuerit minus e re videatur. Nam ut ait Hippocrates, diuturnam ægrotantis concupiſcentiam erigit indulgentia in morbo diuturno: quod quum alias tum maxime in morbis melancholicis faciundum: nam quæ nunc placent, mox ingrata erunt. Ceterum ob ingenii imbecillitatem in his affectibus facile virginum mens percellitur, delirantque & varia elucent ſymptomata in his atque in illis, prout olim ſeſe geſſerint. Nam ut varias animi partes unuſquiſque exercuit dum integra ſanitate frueretur, nempe aut τὸ θυμοειδὲς, vel ἡγεμονικὸν, vel ἐπιθυμητικὸν (*y*), ita dum melancholia detinetur, aliquam ſuæ priſtinæ conſuetudinis ideam retinet. Præter remedia paullo ante generalius ex mente Aëtii explicata conferent hæc tum ad reficiundas vires quæ hic ſæpe infirmæ ſunt, tum ad illuſtrandos ſpiritus qui hic obſcurantur & inficiuntur, unde terrores & pavores, ut idem

Aëtius c. 10. ſerm. 2. tetrab. 2. Poteſt tuto melancholicis lac aſininum exhiberi, ſed debes certo ſcire an cito diſtribuatur & qualitatem malam in ventr. non acquirat, & non ſemel tantum, ſed ſæpius. Com. in aph. 64. lib. 5.

Sub finem c. 10. ſermone 2. tetrab. 2.

Hip. ſub finem lib. de præcept.

Ut vinum (ait Ariſtot.) potantium & naturæ motibus, ita melancholia laborantium conſtitutioni ſeſe accommodat.

(*y*) Quod eſt animoſum, vel quod eſt principale, vel quod eſt concupiſcibile.

nobis hypochondriaca affectione laborantibus contingat quod iis qui tenebris circumdantur; horum fusiorem explicationem Galenus *in libris de symptomatis* proposuit.

Gal. c.7. l.3. de loc. aff. & c. ult. l.2. de sympt. caus.

Carminativis clysmatis locus esse debet in quibus largius dissolvetur aut succus betæ & mercurialis, aut mel ex succo mercuriali compositum. Alimentorum ratio ita tenenda est ut media sint: nam imbecilliora facile corrumpentur & nihilum proficient: si mediocria, juvabunt: si validiora quæ Hippocrates *in Epidem.* ἰσχυρὰ vocat, id est insigni qualitate prædita, calorem & acrimoniam augebunt. Sic in melancholicis morbis id fieri debet quod Hippocrates scribit, ut in medicamento sit alimentum, & contra.

6. Epid.

Lib. de alimentis.

Pilulæ. ℞. *Pulveris hieræ, dr. ij: pilularum sine quibus, dr. jß: rhei, dr. j: ambræ grisææ, gr. iv: rasuræ eboris, scr. j: cum syrupo de mentha fiat massa pilularum*: vel

Syrupus. ℞. *Succorum menthæ, absinthii pontici, buglossi, lupuli, & de curtipendula, ana, unc. iv: succi seridis, unc. ij: infunde rhei electi, unc. ij: cinnamomi & nucis moschatæ, ana, dr. j: serici crudi, & kermes, ana, scr. j: cum saccharo fiat syrupus coctus*: vel agaricum & folliculos sennæ infundes, aut dabis sæpe ex sero lactis aut decocto buglossi & borraginis cum melissa & calendula aut tunica.

Valet in corporibus delicatioribus, quibus perturbationem afferre nolunt.

Potus. ℞. *Radicis cichorii sylvestris, acetosæ & graminis, ana, unc. jß: absinthii pontici, pug. j. buglossi, man. j: fiat decoctio in libr. j aquæ: ad tertias infunde rhei, dr. iij: cinnamomi, scr. j: utatur ad unc. iv singulis matutinis cum saccharo cando aut bugloss*to, aut cum tabella una electuarii diatrion santalon simplicis, vel tabella sequenti.*

Tabellæ. ℞. *Pulveris aromatici rosati Gabrielis, dr. j: electuarii triasantalon, rasuræ eboris, dr. ß: cum saccharo in aqua menthæ dissoluto fiant tabellæ.*

Pilulæ. ℞. *Massæ pilularum de hiera, dr. ij: aggregativarum, dr. j: seminis citri mundati, & cardui benedicti, ana, dr. ß: cum syrupo facto ex decocto folliculorum in jure pulli borragine alterati fiat massa pilularis.*

Musa Brasavolus commendat plurimum pilulas indas, epithymi pulverem; sunt qui trypheram persicam laudant si contumaciores sint humores.

Syrupus perfecte coctus. ℞. *Succi pomorum odoriferorum, buglossi, melissæ, scariolæ, endiviæ, citrii, ana, unc. iij: decocti florum buglossi, borraginis, epithymi, polypodii, & ceterach, unc. iv: sacchari, lib. j: coque ad perfectam coctionem addendo expressioni, unc. iv foliorum sennæ, & unc. jß agarici trochiscati infusorum in decocto hyssopi & calaminthæ cum cinnamomo & nuce moschata, vel cum ambra grisea pro ditioribus: fiat syrupus coctus perfecte: utatur ad unc. ij aut paulo plus: utatur hoc syrupo cum decocto radicis fæniculi, corticis capparis, & rubiæ majoris.*

Opiata. ℞. *Conservæ buglossi & borraginis, ana, unc. ß: corticis citrii conditi, dr. iij: confectionis alkermes, dr. ij: speciei diamargariti frigidi, dr. j: rasuræ unicor-*

unicornis & cornu cervi, ana, ſcr. j: cum ſyrupo de pomis redolentibus fiat opiata utenda, & capiatur parum vini odoriferi.

Hæc opiata & quæ ſequuntur magnas habent dotes in virgunculis pallido colore infectis, præſertim quum vaporum melancholicorum vis aut in cerebro aut in corde apparet: nam ſi propter arteriolas quæ in ſplenis corpore multæ ſunt, palpitationem cordis experiuntur, ad ea confugiendum eſt quæ cordi roborando operam ſuam dicant: hoc autem ut plurimum in fœdis coloribus apparet: itaque cordi hæc applicabuntur. *Cardiaca melancholicis vaporibus diſcutiendis conferunt.*

℥. *Conſervæ meliſſæ & bugloſſi, ana, dr. jß: theriacæ, dr. ij: confectionis de granis tinctoriis, pulveris diamargariti frigidi, & de hyacintho, ana, ſcr. j: fiat emplaſtrum pro corde.* *Emplaſtrum.*

℥. *Fragmentorum gemmarum, ſapphyri, hyacinthi, ſmaragdi, corallii, ana, ſcr. j: oſſis e corde cervi, ſeminis ocymi (*), cardui benedicti, citrii, oxalidis, radicum tunicæ, tormentillæ, angelicæ, doronici, ana, dr. ß: ambræ griſeæ & ſuccini, ana, gran. iv: pulveris lætificantis, ſcr. ß: cum ſaccharo in aqua meliſſophylli diſſoluto fiat electuarium per tabellas:*

℥. *Aquarum meliſſophylli, cardui, ana, lib. ß: diſſolve pulveris electuarii diamargariti frigidi, & lætificantis, ana, ſcr. j: xyloaloës, caryophyllorum, ana, dr. ß: croci, ſcr. j: trochiſcorum è camphora dr. j.*

℥. *Roſarum rubrarum, radicis angelicæ, ana, dr. ß: foliorum meliſſæ & cardui attractylidis, ana, pug. ß: florum betonicæ, & tunicæ, ana, pug. ß: pulveris dimargariti frigidi, behen rubri, behen albi, ana, dr. ß: fiat ſacculus inter duas ſindones rubras cocco baphica tinctas ad formam cordis humani: irroretur vel vino albo odoro, vel aqua roſacea & applicetur regioni cordis: utatur tantillo radicis angelicæ conditæ, aut cortice citrii condito.*

℥. *Decoctionis chamædryos, chamæpityos, hyperici, ſcolopendrii, betonicæ, agrimoniæ, ſeminum ſeſeleos, caſſuthæ, fumiterræ, meliſſæ, paſſularum, lib. ij. in quibus diſſolve ſucci pomorum, unc. iv: ſucci florum violarum & granatorum, ana, unc. ij: aceti roſati, unc. j: fiat ſyrupus coctus cum ſaccharo: capiat unc. jß: pro doſi.* *Syrupus.*

℥. *Seri caprilli, unc. vj: ſucci lupuli & cichorii depurati, ana, unc. j: ſacchari albi, unc. ß: detur tepidiuſculum, capiat ſæpe.*

℥. *Pulveris ranarum præparatarum, (hæ contra malignos vapores dicuntur efficaces) dr. ij: corticis citrii conditi, unc. ß: raſuræ eboris, oſſis de corde cervi, ana, dr. ß: ligni aloës, ſcr. ß: corallii rubri, limaturæ chalybis, ana, dr. j: ſeminis citrii, ocymi, cardui attractylidis, ana, dr. jß: ambræ & cinnamomi, ana, ſcr. ß: conſervarum roriſmarini, meliſſæ, bugloſſi, ana, unc ß: cum ſyrupo conſervationis myrobolanorum fiat opiata.* Vel *Opiata.*

℥. *Confectionis de hyacintho, unc. j: confectionis alkermes, unc. ß: conſervæ roſarum & bugloſſi, ana, unc. j: fiat opiata.*

℥. *Roſarum rubrarum, malabathri, tunicæ, ſcabioſæ & ſtoebes, ana, pug. ij: radicis dictamni, dr. ß: cyperi, calami aromatici, ſchœnanthi, ana, unc. ß: ligni aloes & cedri, ana, dr. ß: fiat decoctio in vino albo & aqua roſarum; in colatura ad libr. j: diſſolve pulveris diamargariti frigidi, dr. j: theriacæ* *Epithema.*

* *Legendum potius ocymū vel ozimon ἀπὸ τοῦ ὤζειν (z). Nam ocymon per y pabulum quoddam boum armentorumque ſignificat, ocymon autem herbam vulgo dictam baſiliſcon ſignificat. Matthiolus.*

(z) Ab olendo.

riacæ & mithridatii, ana, dr. jß: confectionis alkermes, dr. j: fiat epithema pro corde.

24. Denique in pallore eo de quo abunde dictum eſt lieni incumbendum eſt, ſive obſtructionem liberare conſilium ſit, ſive confirmare, ſive minuere, ſive repurgare. Quo multa pertinent a Veteribus conſcripta, & ex illorum libris repetenda: inter quæ potu conferunt lupulus, caſſutha, raphanus, apii radix, tamariſci cortex, agnus qui tertio gradu calidus & ſiccus eſt, chamædrys, acorus, rubiæ ſemen, quod cum oxymellite datum lienem minuit, cancamum, vulgo gummi lacca; foris autem cataplaſmatis loco & fotu adhibentur ruta, naſturtium & ejus ſemen, utrumque cum melle illitum, ſtruthium, centaurium minus & cyclaminus: cujus poſtremi magnus eſt uſus ad durities & tumores minuendos. Inter cetera creditur pulvis chalybis, & aqua quæ diſtillat depluitque ex cotibus verſatilibus, dum acuuntur gladii & enſes lienem minuere: formulas in quibus chalybis pulvis addetur, paullo poſt exponemus.

℞. *Limaturæ chalybis in aceto præparati, unc.* ß: *radicis rubiæ majoris pulveriſatæ, unc.* ß: *pulveris cyclamini, dr. iij. raſuræ eboris, & ſeminis agni caſti, ana, dr. j: pulveris ceterach, ſcr. ij: pulveris lumbricorum terræ, vino albo lotorum & præparatorum, dr. ij: folia auri, num. iij: ſacchari, lib.* ß. *fiat pulvis utendus mane ex cochleari.*

Ad fœdos colores remedia propria.

℞. *Limaturæ chalybis fideliter præparati, unc.* ß: *raſuræ eboris, dr. ij: pulveris lætificantis Galeni, & aromatici majoris, ana, dr.* ß: *galangæ, dr.* ß: *trochiſcorum de eupatorio, & de capparibus, ana, ſcr. ij: cinnamomi, dr. j: conſervæ florum ſtoechados, bugloſſi, corticis citrii conditi, ana, unc.* ß: *miſceantur cum ſyrupo conſervationis zinziberis conditi, fiat opiata, utenda quotidie mane ad dr. iij. cum pauco vino albo.*

Apozema.

℞. *Radicis petroſelini, unc. ij: glycyrrhizæ unc.* ß: *conſervæ eryngiorum, unc. j: lentium, pug. ij: conſervæ capillorum veneris & enulæ campanæ, ana, unc.* ß: *ceterach, man. jß: drageræ communis, dr. ij: fiat decoctio in aqua fabrorum, in qua ferrum exſtinctum fuerit, addendo cinnamomi, dr. ij: nucis moſchatæ, dr.* ß: *in colatura diſſolve ſyrupi roſarum pallidarum, unc. iij: ſyrupi capillorum Veneris, vel byzantini, vel de lupulo, aut de pomis redolentibus, unc. ij. Fiat Apozema in plures doſes.*

An affectibus lienis conferat oxymel.

25. Syrupus roſarum ſolutivus conveniet ſi aquæ collectæ aut pravi ichoris ſuſpicio ſit, immo oxymeli in uſu erit. Et tamen mirum totam antiquitatem in affectibus lienis perpetuo commendaſſe uſum aceti, ſive foris, ſive intus quid agendum foret: unde aut radices in aceto macerant, ſi quando apozematon uſus inciderit, aut pulveres radicum ſiccatarum cum oxymelite exhibent, immo nil perinde familiare ac oxymeli. Unde & paullo ante noſtram ætatem omnium pharmacopolarum officinæ oxymeli reſipiebant: nullumque vel medicamentulum exhibebatur in quo non aliquid oxymelitis remiſceretur: ſed nunc quo modo id factum ſit neſcio, plane videtur inoleviſſe. Miror autem veteres in uſu oxymelitis tam liberales fuiſſe, præſertim quum de lienis affectionibus ageretur, quum tamen plane Hippocrati repugnet, cujus tamen ſe aſſertores eſſe volunt. *In libris acutorum* poſtquam uſum oxymelitis & in morbis thoracis, & ventris infe-

Hipp. 3. acutorum.

rioris

rioris docuit, quod & provocandi ſputi facultatem habeat, & flatus in hypochondriis contentos diſcutiendi, non quidem per ſe, quia calorem non habet materiæ potentem, ſed tantum ex eventu, nimirum dum vias parat excluſioni, & incidit tenuatque humores craſſos & glutinoſos: unam tantum noxam affert, quod acetum oxymelique aceti maxime vim retinens alvum efficiat πλαδαρωτέραν (a) (nomen enim τοῦ πλάδου (b) immodicum humiditatis exceſſum facit) dum nimirum inciſum tenuatumque craſſum humorem ad excretionem parat & ſubducit, qui diutius morans abradit exaſperatque inteſtinum, unde dyſentericum πάθος (c): maxime vero in acutis morbis iſta noxa paret, dum uſu oxymelitis læſum eſt inteſtinum. Nam ita offenſum non patitur celerem fieri excretionem materiei bilioſæ quam natura expellit: & ſic impediuntur exitu flatus & ſurſum recurrunt humores fæculenti, læditurque motus inteſtinorum περισαλτικὸς (d), quem non verto comprimentem, complectentem, conſtringentemque, ſed conſtringendo exprimentem: quæ vox περισαλτικὸν a paucis latine adhuc reddita eſt. Sed præter iſtud incommodum, aliud longe deterius oxymeli affert: ſiquidem & hyſtericis mulieribus officit, id eſt quæ hyſtera præditæ ſunt præſertim delicatiore: lædit omnes partes nervoſas acetum. An vero uterus pars ſit nervoſa abunde ante dictum eſt: præterea & melancholicis nocet plurimum: nam μέλαινα χολὴ, id eſt, atra bilis, eſt acida, præſertim cum corpore præter naturam habente eſt κατάκορον ἢ ἄκρητον, id eſt, ſincera meracaque, ut pote ſuo naturali ſero deſtituta quod humorem contemperat, dominantemque qualitatem micare non ſinit; quod ſi verum eſt acetum majorem humori acredinem comparat, atque ita lædit. Obiter autem quæram, cur dixerit μέλαιναν χολὴν (e) acidam eſſe, quum eſt ſincera corpuſque male habet. Numquid perpetuo eſt ejuſmodi? id audies καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον (f): nobis enim ſanis acuties humori non ita eſt exquiſita ob ſeri mixtionem. Ideo diligenter hoc notandum eſt, ſiquidem quum ægrotamus & de ſplene querimur, tum ad oxymeli confugimus, & tamen humor ater jam acuit plurimum, ut mirum non ſit ſi ferociat magis uſu aceti: ſiquidem ut docte Hippocrates ſcribit ὄξος ἀναγωγὸν μελάνων ἐσί (g), acetum ita eſt affectum ad humores nigros & atrabilarios, ut uteros moveat, incitet, impellat ac cieat: quod ſi ſuo ſero (quod Galeno eſt τὸ ὄχημα (h), id eſt inſtar vehiculi non ſolum πρὸς τὴν τροφὴν, ſed πρὸς ἀναγωγήν, non ſolum ad nutricatum ſed ad excluſionem) deſtituti fuerint, rebelles ſunt ac obſtinati, & dum ſubit acetum ſubigit. Sic humor ater ζυμοῦται, μετεωρίζεται, πολλαπλασιοῦται (i), id eſt, aceti ſubigentis vi fermentatur, aut fermenti modo ſubigitur, intumeſcit attolliturve, nec non multiplicatur, immo id aliquando obſerva-

Gal. com. in par. 32. lib. 3. acut. Com. in aph. 33. l. 3. acut.

Mulierib. hyſtericis oxymel officit & melancholicis. 39. part. l. 3. acut.

Nomen ἀναγωγὸν vertit quidam, ſurſum ducit: ad verbum quidem bene, ſed non ad rem, ſic ἀναγωγὸν ἀντὶ τοῦ ἀγωγοῦ (k) capitur. Part. 39. l. 3. acut. Lib. 1. de nat. fac.

(a) Humidiorem.
(b) Immodicæ humiditatis.
(c) Paſſio.
(d) Periſtalticus.
(e) Atram bilem.
(f) Secundum magis & minus.
(g) Acetum eſt eductivum nigrorum.
(h) Vehiculum.
(i) Fermentatur, attollitur, multiplicatur.
(k) Eductivum loco ejus quod educitur.

tum eſt melancholiæ morbo detentam mulierem cum dolore ſiniſtri hypochondrii, uſu vini albi quod ſubigendi tenuandique vim habet, ita afflictam, ut nullo pæne loco conſiſteret.

Si itaque ea incommoda aceti uſus affert, majore cum religione oxymeli in uſum frequentem venire debet: ut mirum non ſit ſi uſu eorum quæ vim oxymelitis ſortita ſunt in morbis melancholicis nihil proficiatur. Eſt enim potius eruditæ Hippocratis opinioni aſſentiendum, quam temerariæ quorumdam periclitationi acquieſcendum.

Redeamus ad ea remedia quæ privatim reſpiciunt fœdos colores. Sive pulveres, ſive condita, ſive electuaria concinnaveris, pulvis lumbricorum terreſtrium & limatura chalybis non ſunt omittenda.

Electuaria. ℔. *Pulveris eboris, dr.* ß: *limaturæ chalybis, dr.* ß: *electuarii triaſantalon, ſcr. ij: diarrhodonis Abbatis, aromatici Gabrielis, ana, ſcr. j: cinnamomi, gr. iij: margaritarum electarum, ſcr.* ß: *cum ſaccharo in aqua bugloſſi ſoluto fiat electuarium.*

℔. *Rheibarbari, dr. ij: pulveris gentianæ & ariſtolochiæ rotundæ, ana, ſcr. j: lumbricorum terræ præparatorum, dr. ij: chalybis præparati, dr.* jß: *pulveris ducis in vino albo & aqua bugloſſæ excepti, quantum ſufficit, fiat electuarii forma.* Nomine pulveris ducis audimus eum qui ex cinnamomo & ſaccharo componitur.

℔. *Mithridatii & theriacæ, ana, unc.* ß: *pulveris angelicæ, dr.* ß: *foliorum & florum dictamni, radicis tormentillæ, ana, dr. j: conſervæ enulæ campanulæ, radicis ireos, ana, unc.* jß: *conſervæ roſarum, unc. iv: aromatici roſati majoris, unc.* ß: *oxymelite excipiantur omnia.*

℔. *Raſuræ cornu cervi, ſcr. j: unicornis, gr. x: oſſis de corde cervi, ſcr.* ß: *margaritarum electarum, ſcr. j: pulveris aromatici majoris, dr.* ß: *angelicæ, gr. iv: cum ſaccharo ſoluto in aqua morſus & roſarum, & ſcr. ij cinnamomi fiant tabellæ.*

℔. *Vermium terreſtrium ſiccorum prius in vino albo lotorum, unc. ij: foliorum menthæ, majoranæ ſiccorum, ana, dr. j: pulveris ducis quadruplum, fiat pulvis: capiat cochlear unum & ſuperbibat unc. ij vini abſinthitis cum unc. j decocti radicum aperitivarum.*

Apozema. ℔. *Radicis coſti dulcis, dr. iij: agrimoniæ, adianthi, hyſſopi, chamædryos, ana, man. j: paſſularum mundatarum, ſeminis cartami, ana, unc. j: glycyrrhizæ, dr. iij: ſeminis aniſi, fœniculi, cuſcutæ, fumiterræ, ocymi, cucumeris, ana, dr. ij: fiat decoctio ad lib. j: in colatura diſſolve oxymellis ſimplicis, unc. iij: fiat apozema.*

Probatur decoctum ex ciceribus rubris, malvis, cum melle in modum hydromelitis.

℔. *Aniſi conditi, unc. j: margaritarum, dr.* ß: *cinnamomi, gr. iv. fiat pulvis.*

℔. *Raſuræ eboris, cornu cervi, ſpodii, margaritarum electarum, fragmentorum pretioſorum, ana, ſcr.* ß: *pulveris ceterach, radicis capparis & tamariſci, ana, ſcr. j: corallii rubri, & ſuccini, ana, ſcr.* ß: *cum ſaccharo diſſoluto fiant tabellæ.* Vel

℔. *Corticis radicis capparis, unc. j: ſeminis acetoſæ, fœniculi, aniſi, ana, dr. iij:*

dr. iij: corticis radicis tamariſci, unc. ß: ſacchari, parum: pulveris eboris, dr. ij: capiat frequenter de hoc pulvere.

℞. *Diamargariti frigidi (ſi calor multus eſſe videatur) dr. j: trochiſcorum de capparibus, dr. ß: pulveris ceterach, ſcr. ij: corallii, ſcr. j: cum ſaccharo in aqua ſoluto fiat electuarium per tabellas.*

Sed & fotus & litus, & emplaſtra, & litus apprime conferunt: ſed in his ut & in internis cautos eſſe oportet: nam quum primum quis de lienis tumore aliquo conqueritur, ſtatim ad emplaſtra ſolennia ex gummi ammoniaco in aceto forti ſoluto, gummi elemi, opopanace, bdellio. Nam his quum digerendi, immo & ex alto attrahendi vis inſit, dum quod in liene tenuius eſt proliciunt, materiam contumaciorem reddunt. Si itaque emollias & non digeras, cancri metus eſſe debet; ſcirrhus in parte ſpongioſa emollitus & non digeſtus facile carcinomatis naturam induit. Si digeras tenuemque humoris partem elicias, ſcirrhum contumaciorem reddes. Sic par utriuſque ſtudium eſſe debet, & alias remolliendum, alias digerendum.

Si lieni ut imbecilliori robur addere velis, hoc fotu erit occurrendum.

Fotus.

℞. *Foliorum & baccarum lauri, ana, man. j: abſinthii, ceterach, ſcolopendrii, ana, man. j. roſarum rubrarum, pug. j: ſchœnanthi, pug. ß: origani, calamenthi, ana, pug. ß: ſeminis lini, baſilici, cumini, ana, dr. ß: behen albi & rubri, ana, dr. ij: ſantalorum, dr. jß: fiat decoctio in vino albo & rubro paullulum ſtyptico, in quo decocto pannus eſcarlatæ madeat & applicetur regioni lienis.* Vel roſæ, nardus, ſantala, cortex capparum & tamariſci in vino macerabuntur, & fovebitur lien.

Quidam utuntur hoc ſyrupo:

Syrupus.

℞. *Corticis radicis fœniculi, apii, capparis, ana, unc. j: ſeminis ſcariolæ, aniſi, fœniculi, ana, unc. ß: ſpicæ, ſchœnanthi, ana, unc. ß: capillorum veneris, frondium tamariſci, ana, man. j: frondium ſalicis, corrigiolæ, ana, man. j: cuſcutæ, cardamomi, ana, dr. ij: ſcolopendrii, foliorum ſcariolæ, aniſi, bugloſſi, ana, pug. j: aquæ & aceti, lib. iij: contuſa in prædicto aceto & aqua madeant per noctem: adde ſacchari & croci, dr. ß: utatur cum aqua ſalicis & tamariſci.*

Si aperiundi conſilium ſit, fotus ex ebulo, radice ireos, radice capparum, tamariſci, ſcolopendrio, ruta, ceterach, & ſimilibus conveniet, materialiaque applicabuntur. Eodem & roſmarinus, & ſemen agni caſti, radix filicis, & fraxini cortex pertinebunt, item & oleum de capparibus, amygdalorum amarorum, & nardinum.

Si remollire conſilium eſt, fotus ex brionia, radice cucumeris aſinini, radice liliorum, biſmalvæ, ſcilla, ficubus pinguibus, & litus ex oleo de been, liliorum, de cucumere aſinino, de hypericone cum emplaſtro de meliloto, dialthea, diachylo magno, agrippæ, aregon, & ſimilibus. Primum remollies, leviter digerentia addendo; quum remollieris excipietur fumus ex lapide pyrite, aut molari, aut lateribus candentibus aceto forti exſtinctis: tum remollies rurſus, deinde ad ammoniacum, bdellium & alia gummi confugies.

1. ad Glaucomem.
Litus, fotus, unguent.
Emplaſtrum.

℞. *Mucaginis ſeminis lini, fœnu-Græci, extractæ in ſucco rutæ, bryoniæ,*

aut decocto rutæ, ſeminis agni caſti cum remollitivis, lib. ß: butyri recentis in aqua ſcolopendrii & vino albo loti, unc. ij: olei de capparibus, unc. jß: pulveris rutæ & ceterach, & roſarum, ana, dr. j: Fiat linimentum pro liene: addi poſſunt medulla vituli, adipes anſerinus, gallinaceus, anatinus.

Quod ſi flatus continentur, fluctuatioque aliqua & rugitus obauditur, ſacculis impletis furfure & milio nec non ſale torrefactis in tegula calida, & ſuffitis vapore elato a lapide candente aceti acrioris perfuſione exſtincto regio lienis fovenda eſt. Clyſterum uſus ex decocto capitis vervecini. Rurſus ſacculi impleantur ſemine cumini, ſeſeleos, agni caſti & rutæ, fiat ut paullo ante.

Et hæc ad quartanarios ſpectant.

Sed ad duritiem tumoremque id quod ſequitur accommodatiſſimum erit, nec officiet.

℞. *Radicis altheæ & liliorum, ana, unc. jß: ſeminis lini, altheæ, aniſi, ana, unc. j: foliorum malvæ, altheæ & violarum, ana, man. j: agrimoniæ, ſcolopendrii, ceterach, ana, man. j: ſchœnanthi, cyperi, & ſpicæ nardi, ana, pug. j: florum chamæmeli & meliloti, ana, man. ß: fiat decoctum in olla munda, addendo aceti quantum ſatis: foveatur regio lienis.*

℞. *Gummi ammoniaci in aceto diſſoluti, mucaginis ſeminis fœnugræci in aqua ſcolopendrii, ana, unc. ß: butyri loti in vino albo, & axungiæ gallorum, ana, dr. iij: medulæ cervi, dr. ij: fiat unguentum.*

℞. Item *Emplaſtri de meliloto, unc. j: diachyli ireati, unc. ß: gummi ammoniaci in aceto ſoluti, unc. ij: ſeminis aniſi, cyperi, corticis radicum capparis, ana, dr. j: cum oleo de capparibus & liliorum fiat magdaleon, addendo reſinæ parum.*

℞. *Medullæ cervi, aut cruris vituli, butyri recentis, olei de capparibus, ana, lib. j: ammoniaci in aceto ſoluti, unc. iij: aquæ roſarum, lib. jß: coquantur ad conſumptionem prædictæ aquæ in balneo mariæ: eo linimento regio lienis liniatur.*

℞. *Ammoniaci in ſucco rutæ & oxymelite ſimplici ſoluti, dr. vj: foliorum rutæ ſiccatorum, dr. ij: pulveris galangæ & ceterach, ana, dr. j: mucaginis ſeminis altheæ, & fœnu-græci extractæ in aqua hyſſopi, ana, dr. vj: aquæ vitæ parum, emplaſtri philagrii & de meliloto, ana, unc. jß: Fiat emplaſtrum pro liene.*

℞. *Bdellii in aqua vitæ ſoluti, dr. j: pulveris ceterach & corallii, ana, dr. j: aloës, ſcr. iv: cum ſyrupo de pomis formentur pilulæ: capiat dr. ij ante paſtus in tumore lienis.*

℞. *Radicis bryoniæ, unc. iv: macerentur in aceto, colentur, colaturæ adde pulveris ceterach, & rutæ, ana, dr. vj: cum oleo de capparibus fiat emplaſtrum pro regione lienis. Poteſt addi pulvis cyclaminis, opopanax, bdellium, ſemen agni caſti & cetera id genus.*

Hippoc. περὶ παθῶν, Lien commode aliquando per renes & veſicam repurgatur. Gal. ex ſen-

Porro illud non omittendum, ut Medicus naturæ imitatorem ſeſe præbeat, lienem aliquando commode per renes & veſicam repurgando: quamquam nulla communis via eſt, & per varios anfractus oportet ad hepar ſanguinem refluere; tamen illud experientia docuit. Lienem autem per urinæ excretionem, præſertim nigrioris, juvari declarant melancholici & mulieres non menſtruæ quibus ad lienem congeritur multus humor niger, cujus pars in cerebrum lata mentem percellit, altera ſubſiſtens dolores & tumores

tumores lienis excitat: quod & apud Hippocratem legere eſt: nam ait mulierem in Thaſo fuiſſe δυσάνιον, id eſt moroſam, quæ leviter iraſcitur, & ut ait Lyricus,

Prave ſectum ſtomachatur ob unguem.

Illi urinæ erant nigræ, non tamen peſtiferæ, quoniam συναθροισμὸν (*l*) humoris melancholici ob ſuppreſſos menſes ſequebatur. Et ut nephriticis per fluentes hæmorrhoides ſalus obvenit, tametſi viam qua id fiat nulla ratio demonſtret (unde quidam pro νεφριτικοῖς (*m*) legunt φρενιτικοῖς (*n*),) ita & lienoſis per renes. Non erit itaque alienum in lienoſis affectibus diuretica aliquando præſcribere, non ut materia in renes retrahatur, ſed ut ſpleni uſu attenuantium & incidentium conſulatur. Ad extremum tamquam ſummam manum diſputationi impoſituri ex Hippocrate afferemus expreſſam effigiem morbi quem tractandum ſuſcepimus; ita autem Hippocrates: *Quibus lien magnus, ſi bilioſi ſunt, mali fiunt coloris, malis ulceribus ſcatent, ore grave olent, tenues evadunt, ſplen dureſcit, cibi non ſecedunt. Si pituitoſi hæc & minus patiuntur, ſplen alias major, alias minor efficitur: his conducit & caput & reliquum corpus purgare. Si purgatione non egeant, pituitoſorum corpus ſiccandum, tenuandum vomitu, & exercitatione, vere valet veratrum. Bilioſorum humectandum corpus, alvus & veſica ſubducenda, de vena ſplenitide frequenter ſanguis demendus, medicamentis diureticis, quæ ſplenem molliunt, utendum. Quidam ſplenici a pharmacis non juvantur: nec a reliqua curatione ſplen gracileſcit: morbus remedia ſuperat, & progreſſu temporis hydropici fiunt. Aliquibus ſplen ſuppuratur, uſti ſani fiunt. Quibuſdam ſplen conſeneſcit. Morbus fit quum ex febribus & mala curatione, aut bilis, aut pituita, aut ambo in ſplenem incubuerint*, & cetera. Quod paullo ante dictum eſt de ulceribus quibus ſcatent lienoſi: illud moneri oportet, magnam adhiberi debere curationem quum virgines decolores aut gravedine laborant aut cacoethea latent in tibiis ulcera; hæc enim etſi mala ſunt, juvant tamen, quia educitur materia, quæ in aliam partem rapta, novum affectum pareret. At optabilius eſt inveterato uno malo detineri, quam novam ſuppeditare occaſionem generationi novi affectus. Et hoc ex Hippocrate deſumptum eſt qui de affectibus lienis diſputans ait; minus hoc aut illo modo affici lienem in iis quibus gravedo adeſt. Quia, ut demonſtrat Galenus, numquam tam ſui diſſimile eſt corpus, ut duæ partes æqualiter afficiantur. Ad fœdos colores ex lienis obſtructione ſumma ortos Medicus noſtras apprime doctus balneum inſtituit, in quod recens mactati arietis inteſtina conjicerentur. Quæ eo remedio convaluit, affirmavit numquam ſeſe levatam niſi eo remedio; ipſe videbis an conveniat, ut non tam melancholicæ mulierculæ (quæ leves & faciles ſunt ad perſuadendum) hic habeant auctoritatis, quam ratio certa experientia firmata.

tentia Eraſiſtrati c.8. lib. de atra bile. Hipp. hiſt.11. ſect.3.l.3. Ep. Horat. in Ep. 1.l.1.

Aph.11.lib.6. Hipp. l.de aff.

Diuretica conferunt ſplenicis.

Hip. part.41. & 42. l.6. Epid. ſect.2.

Gal. com. in part. 42. ſuperſectionis.

(*l*) Coacervationem.
(*m*) Nephriticis.
(*n*) Phreniticis.

ANNOTATIONES.

1. *Locus eſt præclarus apud Hippocratem* lib.2. Epid. *ubi docere videtur, omnem malum colorem ab hepate eſſe: an hoc ſit verum videndum.*

2. *De virginibus decoloribus maxime audiendum hoc Hippocratis oraculum:* quibus ad ſeptimum uſque annum vis lucet multum fœdatis, cum anxio ſpiritu progrediendo, & terræ concupiſcentia, ſanguinis corruptionem & exſolutionem ſignificat.

3. *Quid? fortaſſe malus iſte qui apparet color non tam eſt forte ob cruditatem, aut cacochymiam quam ob caloris naturalis oppreſſionem qui non habet ſuam effulgeſcentiam: ut idem contingat hic, quod iis qui animo linquuntur ob caloris & ſpiritus afflictionem, palleſcunt omnino.*

4. *Horum meminit Galenus* com. in particul. 11. lib. 1. prognoſt. *docens qua arte & ipſe & Eraſiſtratus colligerent paſſionem animi amatoriam, docetque an aliquis pulſus ſit proprius ipſius amoris.*

5. *In fœdis coloribus non eſt verus hydrops, ſed ſucceſſu temporis fieri debet: eſt autem pituita alba. Ne quis autem decipiatur, aliud eſt pituita alba, Græcis* λευκὸν φλέγμα, *aliud ὕδρωψ* (o): *conſulendus Hippocrates* lib. 1. de morbis, *& Galenus* com. ad aphoriſmum 70. lib. 7.

6. *Illo quidem loco de fœdis coloribus agere videtur, ſed aperte* lib. de internis affectionibus *quum loquitur de morbis lienis.* Venter inflatur, ſplen intumeſcit, durus eſt, dolores acuti in ſplenem incidunt, color mutatur, niger eſt, pallidus malicorio ſimilis, ex ore male olet, gingivæ male olent & a dentibus diſcedunt, ex tibiis ulcera erumpunt veluti puſtulæ nocturnæ ἐπινυκτίδες dictæ, membra attenuantur.

7. *Et eam molem* καὶ τὸ θάλλειν (p) *ipſius lienis explicat Hippocrates* 3. cap. lib. de aëre & locis, *loquens de uſu malarum aquarum quæ febres quartanas æſtivas & longas (contra aphoriſmum) excitant:* in ſplene (ait) carnes colliquantur, quare homines gracileſcunt.

8. *Inter ceteros locos uberrimus eſt locus* cap. 9. lib. 6. de ſanit. tuend. *ubi docet in iis qui temperamento ſunt bilioſo, præſertim ſi ventriculus imbecillior ſit, defluere in ventriculum ichoras, quorum vapor dolores capitis infert. Et illud eſt quod vulgo dicitur,* mal de tête veut manger.

9. Lib. 1. *Hippocrates* de morbis *prudenter admodum monet ſplenicis alvum valde turbatam conferre, ſed addit ſplenicis a pituita alba detentis, hinc colligas fœdatas virgines agitandas medicamentis: ſed intelligit moderatos alvi fluores utiles eſſe ad excretionem pituitæ albæ in venis contentæ, quæ prius hydropem accerſeret, quam coqueretur.*

10. *Aëtius* c. 10. tetrab. 2. ſerm. 2. *præclare monet melancholicos non eſſe ita medicamentis aſſidue fatigandos, quod natura in curatione ipſa quæ per valida ſit medicamenta affligatur plurimum: dum vero quieſcimus, vires acquirit ad oppugnandum morbum jam quodammodo noſtris remediis debiliorem effectum.*

(o) Hydrops.

(p) Et efflorescere.

effectum. Aëtius de hiera Archigenis ſerm. 2. tetrab. 1. *duo genera melancholicorum facit, ut ſint melancholici, quorum in corpore humor melancholicus multus collectus ſit, alii toto fere habitu, & partibus ſolidis naturam iſtam & habitum contrahentibus; quod obſervatione digniſſimum eſt.*

11. *Nam quodam loco* methodi medendi *dum Galenus de ſectione venæ agit, videtur ſuadere non ideo ſecari venam ut liberetur obſtructio, ut aperiantur vaſa; ſed iis affectionibus ſua debentur remedia.*

12. *Quum Medici vident ſanguinem mutatum & corruptum audacius repetunt phlebotomiam: contra evenire debet ſi vera ſunt ea quæ a Galeno dicuntur: ait enim cunctantius detrahendum ſi plane mutatus eſt. Et hæc mutatio non debet intelligi tantum de ſanguine quarto humore qui facile corrumpitur, ſed de aliis ſanguinis maſſam conſtituentibus.*

13. *Summæ eſt prudentiæ atque doctrinæ ſcire quid ſit inſignis mutatio, & an ſit in omnibus partibus ſanguinis & quouſque progrediatur, nam Galenus* com. in part. 1. lib. 2. prorrh. *docet quum facta eſt mutatio & inducta diatheſis fruſtra nos laborare: manet enim, licet omnem humorem evacuaverimus; non eſt in noſtra poteſtate morbos inde natos fautos & altos tollere, immo ne impedire quo minus aut ſeptennis aut ſeptimeſtris morbus fiat. Itaque non humoribus hæc morborum tædioſa prolixitas, non naturæ, non artis impotentiæ tribuenda, ſed partium diatheſi, quæ fomitis inſtar & alit, & fovet, & renovat morbos fere exſtinctos: unde non mirum ſi poſt diuturnum alvi profluvium, quo omnis corporis ſentina exhauſta eſt, ſi poſt liberam atque copioſam ſputi in morbis thoracis excretionem, febres etiamnum maneant æque pertinaces ut plurimum atque ante.*

14. *Intelligunt alii lienem* ἀνάῤῥοπον ἢ κατάῤῥοπον (q), *quia deponit ſua excrementa aut in partem ſuperiorem aut inferiorem. Etenim hominum lienoſorum quidam malum ſentiunt in claviculis, & tunc acclivis eſſe lien dicitur; aut in lumbis, & tunc declivis dicitur, quam quidem opinionem probabiliorem judico.*

15. *Occaſione febris humores corrumpuntur & actio ventriculi pervertitur. Quod Galenus* cap. 8. lib. 2. de nat. facult. *docet exemplo eorum qui tumorem habent in inguine. Si cum bubone eſt febris, ſtatim, inquit, ob febrem coctio in ventriculo pervertitur.*

16. *Adverbium* ἀδρότερως (r) Aph. 9. lib. 4. *de frequentia & vehementia intelligi poteſt, obſcurumque eſſe videtur. Tamen Galenus audiri vult de vehementia, ut idem ſonet quod* σφοδρῶς (s). *Si ita eſt cur quartanarios tam blande purgamus, immo ſæpe ne purgamus quidem? cancros ut blande tractamus, ita humores melancholicos blande evacuare deberemus: quæ quidem ſententia, Meſuæi auctoritate comprobatur, quæ eſt ejuſmodi:* In ægritudinibus melancholicis non bis, non ſemel, ſed per intervalla facienda eſt vacuatio, ita temperata vacuatio eſſe debet, ut natura regat evacuationem, non evacuatio naturam: *quod quidem ſolenne axioma therapeuticum citatur e Joanne Vigonio* lib. de morbo gallico.

17. *Quod*

(q) Surſum vergentem vel deorſum vergentem.

(r) Validè & fortiter.

(s) Vehementer.

17. *Quod ad curationem attinet, jam annotavimus quodam loco hiſtoriam cujuſdam, quæ poſt agitationem in curru magna vomitione fuit liberata: ad eam hiſtoriam* accedere debet *hiſtoria Damiſellæ* de la Migene, *quæ iſto affectu liberata eſt ſcabie multa oborta toto corpore, & præſertim in manibus cum calore pæne incredibili, & intolerabili.*

18. *Ad tractatum de fœdis coloribus maxime pertinet id quod vulgo obſervatur virgines decolores potu aquæ frigidæ impenſius uti. Fernelius* cap. 8. lib. 6. Pathol. *docet quæ incommoda aqua adferat & inter ceteros Aëtius* tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 65. & ſequentibus; *locus autem præterea eſt memorabilis apud eumdem auctorem ex Herodoto* tetrab. 1. ſerm. 4. cap. 47.

19. *Sunt qui ad provocandum vomitum oxymeli temperant. Valet quidem ad attenuandum incidendumque, ſed non ad ciendum. Reformidandum eſt acetum ſtillatitium, nam periculum creat. Valet potius decoctum raphani cum mulſa, aut ſemen ejus, aut ſeminis urticæ, vel aſarum quod Fernelius innocuum cenſet, folia minus mala, radix cum cautione potius uſurpanda. Maxime probat illos catulos nucis juglandis qui florem antecedunt, & frondeſcente arbore decidunt. Hæc Fernelius* cap. 13. lib. 5. methodi: *contra quem Fernelium objiciat quis Hippocratem* in 3. acut. ὄξος ἐςὶ ἀναγωγὸν μελάνων (*t*), *id eſt ſurſum ducit.*

20. *In imbecillitate ventriculi uſus adſtringentium commendatur, caute tamen id faciendum. Quod attinet ad auſtera, acerba & acida, quæ eamdem naturam habent, commemorabilis locus apud Galenum*: auſteris (*ait*) utimur quum calidam ob intemperiem, vel nimiam humiditatem ventriculus eſt imbecillus: acerbis (*quæ maxime adſtringunt*) quum intemperies & humiditas erunt plurimum aucta; acidis quæ ſuccum habent frigidum ac tenuium partium quum erit ſuccus craſſus & non multum frigidus. Nam ſuccus frigidus non acida, ſed acria poſtulat.

21. *Calor acer inimicus ventriculo: immo quibus talis calor, ii ſunt iracundiores, nam is os ventriculi contriſtat, & animam facile in ſympathiam adducit. Hinc colligere queas an ventriculus ſit æſtuans.*

22. *Galenus ibidem. Ideo autem non probatur ſolum ratione aloes, (tametſi aloe ventriculum juvet maxime) quia ſi pituita ventriculo multum hæreat, aloe ipſa non habet eam vim ut detergeat, ſed aliquando impingit: verum acrimonia & calore aromaton mixtorum ob facultatem incidendi laudatur.*

23. *In melancholico morbo hic dicimus non adeſſe febrem: unde per delirium febris expers definitur. Quod verum eſt ſi de hyparxi ipſius morbi intelligatur: nam generatione ipſa non ſemper febris eſt expers. Etenim collectio humoris melancholici, præſertim ſi quod vitium lien contraxerit labefacit œconomiam naturalem, hepar afficit & putredinem advocat, hinc febris.*

24. *Dictamnum potum & illitum Dioſcorides mire commendat, & ad lienem minuendum bryoniæ decoctum per dies 30. uſurpatum. Eadem bryonia cum ficubus piſta applicataque confert: filicis maris radix pota: Betonicæ folia: periclymeni ſemen: polemonii radix.*

25. *Quoniam*

(*t*) Acetum ſurſum educit quæ nigra ſunt.

25. *Quoniam in fœdis coloribus ſæpe vitium in gibbis hepatis, ſæpe in ſimis, ſæpe in corpore ipſius lienis, ſtudendum iis partibus, atque ſequendum Aëtii conſilium* cap. 146. 147. 148. tetrabil. 1. ſerm. 3. *ubi ad ſimas hepatis, laudat polypodium, mercurialem, chamæleam cum abſinthio, cyclamini radicem, heliotropii ſuccum, galli veteris juſculum; ad gibbas, decoctum amomi, florem junci odorati, radicem acori, gentianam, corticem radicis lauri, abſinthii comam, ſpicam nardi, ſuccum radicis quinquefolii, ſemen viticis, dauci, fumariam, chelidonium, ſymphyton, polygonum, anagallidem flore cæruleo, calamintham, coſtum, opobalſamum, phu, lupinum, aſarum, meon: ad lienem veratrum nigrum, epithymum, polypodium, ſcolopendrium, radicem pæoniæ, decoctum chamædryos, chamæpityos, centaurii minoris, mercurialem. Et hæc remedia negliguntur a multis, quæ ab Empiricis uſurpantur magna cum laude.*

26. *Arnaldus coquit flores tamariſci, & dr. ij. decoctionis dat cum decoctione cicerum rubrorum aut nigrorum: valet potius pulvis eorum florum. Septimo poſt die dat decoctum dr. ij. foliorum ſennæ cum ſero lactis: quarto quoque die dr. j. limaturæ argenti cum ſapa ſumat.*

CAPUT VIII.

De febribus Epialis virginum fœdis coloribus laborantium.

QUoniam ut ante dictum eſt, una cum fœdis coloribus maximam partem febres & erroneæ & epialæ conjunctæ ſunt, relictis erroneis, ad Epialas, quæ hic aliquid habent peculiare, & Medicos ſæpe commovent, convertenda videtur oratio: nam & earum natura, & curatio, & diſtinctionis notæ ob oculos ponendæ ſunt, quod ſæpe Medicorum fallant induſtriam: maxime vero, quod defectiones animi & leipothymiæ febrium illarum comites ſint, quas ignara rerum Medicorum turba ad τὸ κακόηθες (*u*) aut ad occultum divinumque referre ſolet, ſuo ſcobe unicornis mira expectatione, & non exiguo ſumptu ſalutem pollicendo. Sed Avicennæ opinione & in febre quam ſyncopalem humoralem barbare ſed apte vocat, & in epialo defectiones ſunt animi (quæ συγκοπαὶ proprie non dicuntur) quas inducit adhæſus humoris tenacis, viſcoſi in parietibus ventriculi, quique obvius eſt in partibus ventriculo vicinis. Hinc actionis imbecillitas ob caloris oppreſſionem & humoris exceſſum: qui quum prius ſua quantitate contumaciaque naturam obruerit, ſucceſſu temporis dum a natura non vincitur aut regitur alienam naturam adſciſcit, & ſic multo deterior exſiſtit quam ante. Quod Galenus accurate demonſtrat *in lib. de febribus*: *Si interdum*, ait, *præ craſſitie, copia vel lentore excrementi, vel meatuum ſtipatione, aut ſua ipſius infirmitate natura nequit excernere omnem*

Avicennas c. 52. l. 4. fen. 1. tractat. 2.

Gal. c. 5. l. 2. de diff. feb.

(*u*) Maligmum.

humorem pravum, eum diutius cunctantem necesse est putrescere. Nullus enim alius humor talis manere potest, qualis initio erat, nedum is qui adeo vitiosus est, ut amplius naturæ cultum recipere non possit. Itaque pituita (sicut & alius humor) in ventriculi regione cunctando vitium acquirit, & utroque modo naturæ gravis est, vitæque nostræ flamen videtur præcidere, præsertim si os ventriculi aut natura aut alio modo sit delicatius: eoque plus negotii datur quo magis iste humor movetur & putrescit, ut inde vires sæpe vacillent ac labascant: quod sæpe in febribus quotidianis apparet, & quas pituita aut acida aut vitrea procrearit: nam & parvus pulsus, & confusæ urinæ, alias crudæ, ἐφίδρωσις (x), defectiones animi, viriumque languor apparet, quæ omnia terrifica sunt, & ab audendo Medicum solent avocare. Quod in tertianis febribus leipothymiæ ob mordacis bilis affluxum contingunt, in epialis ob contumacem materiem languores & exiguæ animi defectiones cernuntur: id maxime in mulieribus & fœdatis virginibus apparet, in quibus, aut caloris magna infirmitas est, aut succrescit multa colluvies, sive id natura fiat, sive vitio alimenti. Tribus enim modis id fit. Epialæ febris causa est non quævis pituita, nec quovis modo putrefacta: nam acida & vitrea quum in corpore redundant alias inducunt febrem, alias solos rigores inferunt, alias epialon, alias quotidianam. Nam si utraque pituita sensibiles corporis partes perreptet, infert rigorem sine febre: quod apud antiquos numquam evenisse testatur Galenus: nam perpetuo rigorem febris sequebatur: sed ii moderato victu cultuque utebantur. Rigor autem a pituitis istis citatus proprie rigor non dicitur sed καταχρησικῶς (y) & politico loquendi modo, quum pigriores & tardiores sint quam ut rigorem invehant. Porro si contingat putredo acidæ vitreæque pituitæ eaque moderata, ut pars una putreat, imputrisque maneat altera, epialos nascitur: Tunc autem τῦ ἠπιάλυ (z) nomen non pro rigore periodico sumitur ut apud Atticos ob similitudinem rigoris periodici & epialæ febris. Sin magis putrefcat, rigor prævenit, febris subsequitur frigore a calore devicto: non amplius sentitur in reliquis temporibus febris rigor: & tunc quotidiana febris surgit: & eadem pituita acida & epialon, & quotidianam inducit, diversa longe ratione: nam acida & vitrea pituita multum discrepant: quamquam Galenus ut retineat suam pituitæ divisionem in dulcem, acidam, salsamque, vitream sub acida comprehendit: quod fit tum quia frigus immodicum & acidæ & vitreæ pituitæ auctor est, tum quia vitrea acidulum quippiam habet, ait Galenus: sed dum vitrea, indomita magis est, in eamque frigus majorem impressionem fecit: immo in colicis doloribus quum acrium calidorumque clysterum vi educitur vitreum phlegma, & a loco calido, tamen frigidissimum percipitur tactu. Ut mirum non sit si in epialo cujus auctor est, sensus simul caloris & frigoris adsit, immo & in iisdem partibus: quod constituit τῦ ἠπιάλυ ὕπαρξιν (a). Nec obest dicere si hoc

Acida & vitrea pituita etiam quotidianam inferunt.

Gal. c. 6. l. 2. de diff. feb.

Quo modo rigor sine febre fiat, plenissime Gal. lib. 2. de diff. feb. c. 5. & l. de inæq. intemperie & com. 3. in 1. Epid.

Vide initium 6. c. l. 2. de diff. feb.

Ibidem.

Ibidem.

Gal. in l. de loc. aff.

(x) Sudatiuncula.
(y) Abusivè.
(z) Epialæ.
(a) Epialæ essentiam.

hoc fiat erit aliqua intemperies compoſita in calido ſimul & frigido conſiſtens : non enim compoſita eſt intemperies, ſed duplex intemperies ſimul exſiſtens : quod Galenus ſcribit : ait enim, itaque ex duplici inæquali intemperie epialus conſiſtit : ergo duo contraria eodem in loco erunt. Si duo dolores, auctore Galeno, eumdem ſimul locum ſtricte ſumptum occupare nequeunt, multo minus duæ doloris contrariæ cauſæ una in parte hæreant. Tertio nil videtur mirum ſi perceptio ſimul ſit caloris & frigoris, quum & initio paroxyſmorum febrium periodo reducum idem fiat. De hoc poſteriore reſpondet Galenus. Initio paroxyſmorum ægri quidem ſentiunt calorem & frigus, ſed non eodem loco : eſt enim facile partes calefactas a refrigeratis diſcernere. An vero in eadem parte ſenſus triſtis caloris & frigoris conſiſtat, majore plenum eſt difficultate : fatetur quidem ſimul rigere poſſe quempiam & febricitare, & calorem friguſque percipi ſimul poſſe, ſed non facile explicat quomodo in eadem parte. Prius illuſtrat exemplo & hypotheſi. Si quis in Sole verſetur calefit, & ſi aqua perfundatur, ſenſum caloris & frigoris trahet. Item ſi quis abundet vitreo humore & amara bile, uterque humor autem per ſenſibilia corporis incitetur, & caloris & frigoris ſenſus exſiſtit : quod febres ſemitertianæ & ἡμιτριταῖοι καὶ οἱ τριταιοφυεῖς (*c*) declarant, in quibus inæqualitas eſt ſumma & horrores, ſenſuſque caloris & frigoris, quum duplex ſit materia, una bilioſa, altera pituitoſa, ut Galenus *com. in Epid.* explicavit. Sed Galenus, ut eſt acutus & diligens rerum æſtimator, diſtinguit cauſam perceptionis ſimul caloris & frigoris in iis qui inſolati aqua frigida perfunduntur, & in febre epiala : nam in illis externa utraque cauſa eſt, nempe inſolatio frigidæque perfuſio : & non in exiguas partes incidit cauſa utraque ; eſt pars aliqua quæ forte manifeſtum calorem non ſenſit : ſed in febre epiala contra fit : nam & interna cauſa eſt, nempe humor impenſe frigidus, & in exiguis partibus mutationis alterationiſque cauſæ inſiſtunt : nam tenuiſſimis portiunculis calor & frigus per corpus ſparſus eſt, adeo ut nullam ſenſibilem alterius portionem deprehendere poſſis, in qua alterum quoque non ſit comprehenſum : ut mirum non ſit ſi in univerſo corpore & ſingulis ejus particulis calor & frigus ſimul percipiantur. In lipyriis, initiis acceſſionum, & in ardentibus quibuſdam pernicioſis frigus & calor adſunt, ſed in magnis partibus & diſtinctis, ut certo definias internas aduri partes, extimas algere, ſed in epialo per minutas partes percipitur utrumque. Initio paroxyſmorum quis dubitat revocari intro calorem, & intima calefieri, declarat id ſitis ingens etiam antequam expanſus ſit calor. Quo fit ut quodam loco dicat Galenus eos exiſtimari debere febricitantes quorum in partibus extimis calor adſit, ſed eos magis quibus intus conceptum incendium eſt : & ut *in com. in Epid.* ſcribit, ſatis eſt partes principes incendium concepiſſe : nil morari nos debet ſi particulis quibuſdam hoc non inſit. Princeps longe aliam rationem excogitavit cur in epialo calor & frigus

Gal. ſub finē l. de inæqu. intemperie.

Gal. com. in aph. 46. lib. 2. Ex Gal. c. 16. l. 3. de ſimpl. docetur quomodo in eadem linguæ parte τὸ γλυκύπικρον (b) percipiatur.

Gal. l. de inæqu. intemperie.

Ibid.

2.

Com. par. 25. ſect. 2. l. 1. Ep. Gal. l. de inæqu. intemperie.

In c. 16. l. 3. ſimpl. præclare docet exemplo lipyriarū, & epialar. feb. duo contraria ſimul poſſe percipi.

De cauſis revocationis intro caloris initio paroxyſmorum com. in aph. 46. l. 4. vide com. aph. 1. l. 2.

(*b*) Quod eſt dulce amarum.

(*c*) Semitertianæ, & tertianarum naturam referentes.

Com. in part. 5. l. 1. prorrh. Com. in l. 6. Epid.

frigus ſentiatur, in lipyriis urantur intima, extima tamen refrigeſcant privativo quodam frigore, ut veteres loquuntur Practici: Epialos, ait, fit a pituita vitrea in imo corporis occulta: ita enim locum cui ineſt refrigerat. Hinc ſenſio frigoris, verum poſt accidit putredo, a qua vapor excitatur qui incurrens in partes extimas calefacit, hinc ſenſus caloris. Sic interna algent ob contentum phlegma impenſe frigidum, quod dum movetur & putrere incidit refrigerat: contra in lipyria fit, nam algent extimæ partes, intimæ autem conflagrant. Ratio Principis hæc eſt, lipyriæ cauſa eſt pituita frigida, aut humor bilioſus admodum craſſus & tenax: Pituita illarum inflammatur, locum quum ineſt calefacit, quoniam autem non reſolvitur, non calefacit extimas partes per diffuſionem vaporis intus foras a pituita calefacta putrefactaque excitati. Accedit quod virtus ad locum laborantem accurrat, unde deſtituuntur partes externæ; hæc quidem ratio poſterior probabilis eſt, nam inflammatis internis partibus, eo revocantur calor & ſpiritus quod in cauſis, lipyriis & initio paroxyſmorum fit ut ait Galenus. Sed aliæ excogitatæ rationes minus ſunt plauſibiles. Quo fit ut Medicorum calculis reclamatum jam ſit Principis opinioni de cauſis Epialæ & lipyriæ febris. Nam ſi idem pæne pituitoſus humor & Epiali & lipyriarum auctor ſit, cur potius in Epialo refrigerat, quàm in lipyriis? Nam auctore Principe in utraque febre humor continetur intus, inflammatur, ardet, putreſcit. Si in Epialo putreſcit, alienum calorem acquirit, propterea calefaciet interna. Si præterea ideo caleſcunt partes extimæ in Epialo quoniam a pituita vitrea putreſcente excitatur vapor calidus, ergo oportet reſolvi illam pituitam, reſolvitur ergo a calore: Itaque nata eſt prius calefacere partes internas quam emittat a ſe vaporem calidum cui ſatis virium eſt ut calorem partibus externis conciliet? Quinetiam ſi in Epialo humor frigidiſſimus, quum etiam parum calefactus emittit vaporem per quamdam materiei διάλυσιν καὶ διαφόρησιν (*d*), cur non idem præſtabit in lipyria humor non adeo frigidus, non adeo δύσλυτος (*e*), non adeo δυσδιαφόρητος (*f*), quum putreat, caleſcat, immo ardeat quodammodo? Et tamen ideo ait algere extima in lipyriis quia humor intus concluſus non digeritur. At dicet Avicennas, vis inflammationis perfectam revocationem facit ut nulla ſit ὑπανάκλησις (*g*): in Epialo autem non tanta eſt inflammatio. Sed objiciemus quod a Galeno ſcriptum eſt quodam loco dum rationem reddit cur in malignis febribus partes extimæ modo calefiant, modo algeant: *quoniam calor nativus in partibus illis exſtinctus eſt, viget febrilis intus: cujus particula inſtar flammæ exiens calefacit extimas partes.* Si itaque in illis febribus in quibus interni incendii ſumma ſunt omnia, etiamnum aliquando recaleſcunt partes, cur non in lipyriis id fiet, ſi humor eſt frigidus qui intus incaleſcit? forte probabilis erat ratio de Epiala febre, quum ait vitreum humorem ſenſum frigoris inducere intus, caloris vero in extimis ob vaporem excitatum a materia calefacta & putrente, quæ

Frig. lipyr. initii acceſſ. & malig. feb. differt a frig. epial. Avicennas c. 49. l. 4. fen. 1. tract. 2. Avicen. c. 50. fen. 1. tract. 2. l. 4. Gal. com. in aph. 48. l. 4. c. 7. l. 2. de criſibus, & c. 10.

Gal. com. in part. 8. lib. 2. prorrh.

Immo in omni naturali ſomno ob revocationem caloris magnus vaporum

(*d*) Diſſolutionem & evaporationem.
(*e*) Ægrè ſolubilis.
(*f*) Ægrè evaporabilis.
(*g*) Occulta revocatio.

quæ quum ſit contumacior per totam acceſſionem ſenſum caloris & frigoris infert: non idem in quotidiana fit febre, tametſi humor ſit ἀνάλογος (*h*) & congener, nec enim humor tam ægre domatur. Nam illud in febribus putridis apparet alias in extimis partibus majorem alias minorem calorem apparere pro motu vaporis a materia intus coercita ſuſcitati tamquam a fumo quodam. Si diſſolubilior calidiorque ſit humor, calor paullo major apparet, ſin minus, inferior, & ſenſus frigoris adeſſe poteſt ſi in præcordiis actu frigidus exſiſtat, & per partes ſenſibiles feratur. Hoc autem loco tria quæri poſſunt animadverſione digna. Ideo humor frigidus & vitreus febrem committit Epialam caloris & frigoris participem quod ægre calefiat, ægre dometur a calore, eumque facile non concipiat: unde humor ſemiputrefactus eſt ratione putrefactæ partis calorem inducens, imputris vero ratione frigoris, idque eodem tempore, & quavis corporis parte etiam minima ut ante dictum eſt: in quo difficultatis nodus conſiſtit. An non idem ceteris febribus periodicis contingit? Quis enim dubitat quin ejus humoris qui nunc paroxyſmum committit pars putreat, altera imputris maneat, aut ſaltem levis quædam impreſſio caloris manet, quæ cauſa erit ut tertio aut quarto poſt die repetat novus paroxyſmus? Verbi gratia, Sophroniſcus aut diæta aut vitæ inſtituto multam humoris melancholici & fæculenti copiam coegit: ejus pars putret ad paroxyſmi febrilis generationem: deinde ſuccedit ἀπυρεξία (*i*), quoniam quicquid de humore melancholico calorem putredinemque contraxerat, id totum abſumitur, diſcutitur & evaneſcit, ut docet Galenus: tamen remanet quoddam ἐμπύρευμα (*k*) ut vocant, dum videlicet remanſit nonnihil caloris in reliqua materiei parte, unde nova repetitionis occaſio ſuppetit. Id ipſum fimi columbini exemplo demonſtrat Galenus docens quomodo calor continuatione quadam corpora putreſcentia attingat & depaſcatur: unde nova occaſio ſuſcitationis vaporum cor ferientium, ac proinde novæ exacerbationis. Si itaque pars una melancholici humoris putret, alia vitioſa quidem, cruda, viſcidaque exſiſtit, cur non quæ pars putret ſenſum caloris, quæ cruda exſiſtit ſenſum frigoris exhibet? At dices duplex eſt materia: nam quæ factura eſt præſentem paroxyſmum movetur, putret, incitatur, naturam proritat, materia morbi conjuncta eſſe dicitur: Altera quæ etiamnum jam incipit caloris febrilis veſtigium recipere nondum putret, immota manet, naturæ vim moleſtiamque non infert, antecedens novæ acceſſionis febrilis materies eſſe dicitur, quo fit ut expectanda non ſit inæqualis ea duplex intemperies quæ in Epialo apparet. At materia etiam Epiali duplex eſt, itaque vix tete eximes iſto ſcopulo; duplicem autem τοῦ ἐπιάλου (*l*) eſſe materiem Galenus *in ſuis com.* docet his verbis, *fortaſſe vero nec ſimpliciter, nec a ſimplice cauſa quis æſtimaverit tales fieri febres Epialas*, aut febres cum rigore (ſiquidem dixerat pituitam dulcem non inducere rigorem, ſed levem quamdam refrigerationem:) *nam quid-*

ſit proventus, cur in Epiala ſeb. non fiet?

Gal. c. 6. l. 2. de diff. feb.

Gal. c. 5. l. 2. de diff. feb.

Gal. c. 7. l. 1. de diff. feb.

Gal. c. 6. l. 2. de diff. feb.

(*h*) Analogus.
(*i*) Infebricitatio.
(*k*) Empyreuma, ignitio.
(*l*) Epialæ.

quid pituitæ putreſcit accendit febrem, reliquum nondum putreſcens, ex quo rigent, non eſt ejuſdem qualitatis cum ea quæ putreſcit. Si ab imputri rigor fit, & a putrefacta febris, duplex erit cauſa. Sic febris ab alio fit cauſæ genere, rigor ab alio. Quamquam bilis per febres tertianas & rigores & febrem efficit. Dicendum aliter inæqualitatem fieri in febribus periodicis, aliter in Epialo, tametſi Galenus, quod notare oportet, omnes febres, præter hecticas, ex duplici inæquali intemperie, calida ſcilicet & frigida fieri aſſeveret: Item alio modo duplicem ſpectari materiam in Epialo, aliter in aliis febribus: inæqualitas in periodicis febribus initio tantum fit propter motum materiæ putreſcentis & affectionem caloris naturalis. Etenim tametſi humor calidus acerque ſit, tamen rigorem & frigus inducit ex eventu tantum ob recurſum caloris & ſpiritus. At in Epialo frigus eſt quodammodo poſitivum, ut vocant, cum τῇ ἐνεργείᾳ (*m*) humor vitreus ſit frigidus & vix ac ne vix frigus deponat, nec ſe facile a calore vinci patiatur. Item non tantum initio acceſſionum & in quibuſdam tantum partibus rigor inæqualitaſque apparet, ſed per omnia febris tempora, & in ſingulis corporis partibus. Quod ſi materia adeo fridida non foret, lenis tantum περίψυξις (*n*) appareret: ſic major minorve rigoris eſt occaſio pro conditione humoris. Præterea quum in corpore ſuccreſcit humor pituitoſus frigiduſque & bilis flava calidaque rigendi eſt occaſio, ſed potius eſt viciſſitudo caloris & frigoris, quam ejuſdem ſimul perceptio: & qui calor adeſt vehementior eſt quam qui in Epialo: ſiquidem a bile eſt: in Epialo a nata tantum neſcio qua putredine, idque magno temporis ſucceſſu. Præterea omnes cacochymi ſi inſolantur caleſcuntque inæqualitatem habent ſenſumque caloris & frigoris, ſed non eodem modo quo & in Epialo, potius viciſſitudo eſt. De materia Epialon & aliarum febrium ita paucis diſſerendum. In Epialo contumacia, frigiditas ſumma, pervicaciaque, efficit ut neceſſario ſumma inæqualitas oriatur, non quod duplex reapſe ſit materia, ut videtur placuiſſe Galeno, hic enim tantum dubitando ſcribit, forſitan vero neque ſimpliciter &c. quia enim frigidus actu rigorem inducit, febrem vero calidus & putris, quoniam putre & imputre, calidum & frigidum diverſas conſtituunt differentias, non abs re dubitat Galenus, an idem humor ſit. Si duo eſſent humores re diſtincti non inducerent calorem & frigus in iiſdem locorum anguſtiis minutiſque partibus. Sic eſt idem humor nempe vitreus qui propter diverſas ſui partes, totas tamen in totis & in ſe confuſas eam ἀνωμαλίαν (*o*) inducit. Quomodo & idem calor eſt ſubjecto naturalis & contra naturam ut Arculanus & Gentilis tuentur. Et in Epialo iſte humor vitreus ſecundum ſe totum unus, ſecundum partes diverſus movetur & aliqua ſui parte putreſcit (cuilibet enim humori partes quædam ſunt ἑτερογενεῖς (*p*) in tenuitate & craſſitie, ut hujus una pars craſſior ſit, tenuior altera, ut demonſtrat Galenus *in Epid.*) & quia movetur naturam caloremque afficit; & partes ſenſibi-

Gal. com. in aph. 26. ſect. 3. l. 6. Epid.

Quanam ſit materia feb. Epial.

Gal. com. in par. 48. ſect. 3. l. 3. Epid.

(*m*) Energia.
(*n*) Perfrigeratio.
(*o*) Inæqualitatem.
(*p*) Heterogeneæ, diſſimiles.

ſenſibiles affligit. Sed in aliarum febrium materia major eſt æqualitas ἢ τὸ ὁμοιότροπον (q), ut non ſit neceſſe induci caloris ſenſum ratione partis humoris qui præſentem paroxyſmum committit, frigoris vero propter aliam partem quæ cras aut perendie novum tumultum eſt excitatura: nam ea nondum movetur citatque naturam; quod ſi moveretur forte inæqualitatem induceret. Præterea non tanta actu frigiditas eſt, quanta in vitrea pituita, quæ quodammodo ſtrangulat calorem naturalem. Quod ſi tanta eſſet pervicacia & frigiditas, quis dubitat quin par quoque ratio foret? declarant & ii qui defluxionibus frigidis obnoxii dum febricitant calefiunt refrigerantur que facile, rigent caleſcuntque, in lecto vix continent membra, extra emittere reformidant. Quæſtio alia de quantitate humoris. Paucus eſt, & ideo, tametſi pituitæ propriam putredinem concipiat tamen periodos non habet motuſque febris quotidianæ, immo ut annotat Arnaldus idque ex Avicenna circuitiones habet tertianas & quartanas: quod Princeps ad paucitatem materiæ refert. Si ita paucus & tenax qui fit ut in toto corpore & ſingulis ejus partibus, immo & in minutis caloris & frigoris ſenſus adſit. Oportet itaque actu adeſſe talem in ſingulis partibus humorem. Similis eſt pæne ratio quæ induxit Fernelium, ut exiſtimet febrium intermittentium materiam non diffundi in habitum corporis, ſed in præcordiis contineri. Citat ex Avicenna raro admodum in venis majoribus putreſcere ſuccum melancholicum. Si itaque, ait, raro in vaſis ſuccus melancholicus vitioſus eſt, qui fiat ut tam copioſus ſufficiatur, aut crebro in habitum corporis pellatur, ut tot gignendis febribus quartanis eſſe ſatis poſſit, id eſt acceſſionibus tot & tantis? Idem itaque de humore vitreo: nam paucitas ejus impedit ne quaquaverſum in ſingulas partes expendatur. Sed id alius eſt contemplationis. Relictis illis difficultatibus quas tamen proponere abs re non fuit, tempus eſt ut rem ipſam propoſitam explicemus. Epialæ febres multis de cauſis adoriuntur virgines fœdis coloribus deturpatas. Primum ob ſuppreſſionem excrementi quod duce natura foras deberet exigi: ita enim corruptio fit aliqua quæ reliquum alimentum inficit crudiuſque efficit: hinc caloris naturalis ſtrangulatus. Deinde quum mulierum corpus pituitoſum ſit orificiumque ventriculi frigidiuſculum ſit, rerum ſimilium deſiderio tenentur; unde horariis fructibus acetariiſque immodice utuntur, immo & dormituræ frigidam ſatis ſuperque bibunt: accedit quod voraces ſint, velut ab Hippocrate demonſtratum eſt *in Epid. Aqua vorax*, quæ ſunt frigida tergora ventriculi cogunt: inde excretio & ſuctionis ſenſus facilis. Præter cetera autem deſes ſedentariaque vita ad id plurimum confert: ut mirum non ſit ſi horrificas febres, erraticaſque nec non Epialas experiantur, immo & tormina alvinoſque dolores, quod ignara mulierum turba ad uterum, impudenter magno ægrarum virginum diſpendio, referre ſolet. Acida enim vitreaque pituita, quæ ob cauſas dictas ſuccreſcit, & tormina, & colicos dolores, & iliacas paſſiones ſtranguriaſque, quæ febre ſuperveniente ſolvuntur ob diſſipationem mitificationemque humoris frigidioris,

Arnaldus cap. de Epiala.

Avicenn. c. 49. l 4. tract. 2. fen. 1.

Cur feb. Epialæ virg. fœd. color. depurgatas adoriantur.

Gal. in arte parva. 6. Ep.

(q) Similitudo.

Aph. 44. lib. 6. ris, proritat. Si languidus calor cauſa eſt Epiali potius quam vitium alimenti, alia ratio eſt ineunda. Si vitio alimenti crudioris contigerit, cavendum eſt ne agitemus humores, alioqui torſiones excitabimus & deliquia animi inducemus. Et de iis maxime morbis audiendi ſunt *aphor.* Hippocratis quibus cavet ne cruda moveantur: & quum ſcribit *in aphor.* eos qui pravo utuntur cibo ægre medicationes ferre: quod plenius alio loco demonſtrat dum ait eos qui crudis cibis & humoribus abundant ineptos eſſe ad purgationem: ideoque materiam eſſe præparandam, libertatem meatuum eſſe procurandam, utendum decoctis origani, tetragorigani, hyſſopi, thymi, melicrato & id genus aliis: maxime vero ventriculo conſulendum eſt in Epialis: alioqui cœliacas torſiones inducemus, fruſtraque operam navabimus. Hujus enim febris ut & quotidianæ focus maxime ſtatuitur ventriculus, quum pituitoſum excrementum in ea parte maxime ſuperfluat auctore Galeno. Conſulemus autem ventriculo uſu rerum operam ei dicantium: vanumque eſſet repetere fotus capite ſuperiore deſcriptos, qui in eum ſcopum comparantur ut calor alvi ſuſcitetur, recreeturque multo humore obrutus. Bis aut ter blando medicamento conabimur primam regionem repurgare, quo locus ſit apozematis aperientibus, coquentibus, incidentibus, attenuantibus: quo autem pituita vitrea reliquis pituitæ generibus frigidior contumaciorque exſiſtit, eo diligentius validiora medicamenta ſunt uſurpanda: falſa ſiquidem nec tam calida, nec tam longo tempore poſtulat: valent oxymeli ſimplex, ſyrupus acetoſus, oxyſaccharum, mel roſatum, ſyrupus de bizantiis, de hyſſopo, de fumaria, de lupulo & ſtoechade, decoctum radicum aperientium aut in aceto, aut vino albo maceratarum. Et ut libere dicam quæſtio eſſe poſſet, an tutus ſit acetoſarum rerum uſus, quas tamen ad incidendum tenuandumque mirifice conferre contendunt: & apud antiquos nil æque ac oxymeli in uſu fuit in febribus quas pituita parit. Tamen ſi omne frigidum partibus nervoſis inimicum eſt Hippocratis ſententia, multo magis lædit acetum, quod partium tenuitate cum frigore præditum eſt, quæ efficit ut intro penetret vis frigoris: eaſque ob cauſas rejicit repudiatque Galenus *in ſuis in lib. de acutis commentariis.* Quæ ſi vera ſunt, erroris convincenda eſt omnis antiquitas quæ tam frequenter oxymeli uſurparit. At Hippocratis verba ad unguem non ſunt capienda, alioqui multarum rerum uſu prohiberemur. Quid ptiſana melius, & tamen eam integram vetat dari in pleuritide? Quid aquæ frigidæ potu, & ventriculo gratius & familiare magis, & tamen aqua ab Hippocrate dicitur inimica ventriculo & partibus nervoſis, ſicut & omne frigidum? uſum recipit Hippocrates, abuſum condemnat, idem de oxymelite cenſendum eſt. Quoniam Hippocrates divina velut mentis agitatione præſentiebat facile peccatum commiſſum iri in uſu ptiſanæ, oxymelitis, aquæ frigidæ, melicrati, ideo quoſdam veluti cancellos & terminos ſtatuere voluit quibus coerceremur: iis enim quæ familiaria ſunt, quæque obvia ſunt cuique & in uſu frequenti, fere omnes abutuntur; quod ſi plus minuſve in uſum venerit, nihilo deterius putant contingere: Oxymeli magnas habet commoditates in præparatione materiæ ventriculum occupantis: non minimum etiam lædit niſi

Lib. 2. Crudi humores ante purgat. præparandi. Com. in aph. 24. lib. 1. Gal. 1. ad Glauconem.

Gal. c. 8. l. de atra bile.

Capita curationis Epial.

Lib. 5. aph. 18. aph. Com. in par. 39. l. 3. acut.

jure

jure & loco adhibeatur: Si ventriculus vacuus ſit, nulla pituita obſitus, quis dubitat quin oxymeli nociturum ſit? Nam integris viribus afficit ventriculum. Sin multa ſit materia frigida, pervicax, lenta & glutinoſa, quandoquidem exerit ſuas vires in eam, vis ejus prius obtunditur & hebeſcit quam ventriculi corpus attingat. Idem de medicamentis judicium eſto, hæc enim, ſicut & oxymeli, ſi ſano corpori darentur, incommoda non mediocria adferrent. Itaque etſi nonnullam noxam ob aceti vires oxymeli infert, eam magna utilitate elevat ac compenſat. Illud in febre Epiala ut & in omni quotidiana, & quæ a crudis frigidiſque humoribus naſcitur, diligenter videndum eſt, ut dum prodeſſe volumus, non obſimus. Quid enim eſt illud quod in clyſmaton decoctionibus, & medicamentorum incoquimus radices incidentes, aperientes, acriores, calidiores, item ſemina, herbas, immo & calidiſſima quæque adhibemus? At hæc febrem augent, pugnant quidem cum materia. Nec valet quod reponi poſſit: In febribus morbiſque acutis contra indicationem quæ a morbo ſumitur tuto exhiberi medicamenta quæ calida ſunt & ſicca: hæc ſiquidem morbum fovebunt. Galenus autem non reformidat, quoniam major ſequitur utilitas ex evacuatione humorum nocuorum, quam incommodum ex ea calefactione quam inducunt medicamenta. Aliter enim *in methodo medendi*, quam major pars catharticorum, ait, calida ſit, febrem ipſam illa augent, deligenda autem Medico ſunt quæ citra calefactionem ſiccationemque inſignem ipſas vacuationes moliantur, ut ſunt cremor ptiſanæ, oxymeli, apomeli, apii radix. In quo duo mihi videntur abſurda. Nam & metuit uſum calidorum medicamentorum in febribus, quem tamen amplectitur *in aphoriſmis*, & male numero vacuantium medicamentorum, apomeli, ptiſanam, & oxymeli accenſet. Sed hæ alius ſunt loci. Itaque in febre Epiala minus eſt formidandus uſus rerum calidarum, quum is cum materia pugnet, incidendo, tenuando, excluſionique præparando eam materiam quæ acceſſiones multas eſt productura. Niſi forte etiam quis dicat & uſu calidorum, & calore ipſo febrili in Epialo plurimum adferri adjumenti: nam & febris convulſionem ſedat ab humoribus frigidis natam, & tetanos rigoreſque minuit: quartana Epilepſiam fugat: quæ coryzæ ſunt obnoxii ſi febricitant facilius liberantur. Nam quemadmodum ante dictum eſt ex Galeno calor febrilis mitigat, temperat, frigiditatem tollit, immo & coquit: nomine τῆς πέψεως (r) ſumpto καταχρηστικῶς (s): quod ſi verum eſt, non eſt febri ipſi ſtudendum, ſed ſoli materiei, immo adaugere febrim juvabit. Nam quum diſcutiendus eſt humor tepefacienduſque præſertim natura impenſe frigidus, oportet calorem eſſe auctiorem & materiei analogon: alioqui opera ludetur. Unde Mumemi filius apoplecticus interiit quod febricitaret tantum λελυμένως, id eſt μετρίως (t). Quod ſi febris humori reſpondiſſet, ſpes aliqua ſperabilis foret. Tamen hoc audemus aſſerere. Calori febrili hoc quidem proprium eſt ut frigi-

Et feb. & materiæ feb. Epial. committentis ratio habenda. Com. in aph. 24. l. 1. Lib. 11. methodi.

(r) Concoctionis.
(s) Abuſivè.
(t) Exſolutè, id eſt mediocriter.

dos humores quodammodo mitificet, temperetque, ut ea ratione ab eo expectari poſſit utilitas aliqua, unde dubium eſt quin longior futura ſit Epiala febris, quo minor moderatiorque exſiſtit: brevior autem, ſi validior. Tamen fortaſſe dicemus, calorem febrilem juvare alienam materiam mitificando, non ſuam. Quum enim dicimus epilepſiæ vindicem eſſe quartanam, hoc audiendum eſt quoniam excrementitium humorem abſumit diuturnitate temporis, ſed ſuum humorem deteriorem facit accerſendo putredinem. Contra objicies: In ſingulis acceſſionibus an non eſt calor febrilis qui diſcutit materiam, digerit, coquit, excludit prius a ſe attenuatam? Quæſtione hoc dignum eſt. Et ut quod ſentio dicam: opus hoc ſoli calori tribuendum eſſe videtur, ut & puris confectio. Nam quicquid in febre male geritur, id totum caloris contra naturam eſt: quicquid in pure alienum a calore contra naturam eſt, unde ſoli calori opus ἀχ πέψεως ἀχ πεπασμοῦ (*u*) tribuit, ut materia differant, non agente cauſa: & *in Epid.* per concluſionem meatuum in abſceſſibus augetur calor naturalis auctor pepaſmi. Itaque condemnandus calor videtur contra naturam ut qui nil juvet, aut potius omnia pervertat. Et humores acres quo magis a calore febrili agitantur, eo crudiores eſſe dicuntur: in hydropicis ſecunda ſeroſa excrementa congeruntur, coctioneſque pervertuntur, quum tamen internæ partes dominatu caloris contra naturam adaucti teneantur. Et Meſuæus timet ne in frigidis affectibus etiam a medicamento inducatur febris, quod hujus ſucceſſu materia reddatur efferata. Unde in febribus longis congeruntur in hypochondriis multa cruda, pituitoſa, quare non excuſſit calor febrilis? Immo coctiones labefactando & calori nativo omnium bonorum auctori bellum indicendo crudorum humorum iliadem parit. Hoc accedit, quod tametſi aliquid utilitatis afferre calor contra naturam videatur, audiendum illud eſt ſi materia imputris maneat. Nam ſi vi caloris contra naturam putredinem acquirat, procul dubio infeſtus erit naturæ. Itaque ſi tot horrenda ſymptomata in febribus Epialis, & ſyncopalibus ab eadem oriundis materia ſurgant, id non materiei tribuendum puto, ſed calori contra naturam in putredine fundato, qui calorem nativum quantuluſcumque eſt nititur oppugnare. Nunc autem, ut rem inſtitutam reſumamus, ita ſeſe gerere oportet in Epialarum cura ut materiei & febris ratio habeatur. Quod conſilium eſt Galeni qui quum contrariæ proponuntur indicationes, ita ſe gerit, ut neglecta ad tempus febre, materiei det operam, aut contra. Quis enim adeo temerarius qui calorem in Epialo obſervans aliquantulum acrem, ad juſcula ſeſe conferat, eaque ægris plenius præſcribenda putet? febrem aliqua ex parte reſpiciet, at febris materiam augebit. Et hic ſequi poſſumus Galeni conſilium qui in quartanis febribus acria, ſalſa, piperataque adhibet, a principio ad vigorem uſque: quod hercle Galenus indiſtincte propoſuit, ut eo exemplo nonnullos poſſit ſeducere a via veritatis. Sed venia Galeno danda, ut qui brevitatis ſtudio ſingulas indicationes non perſtrinxerit. Singula Princeps eſt perſecutus.

Partic. 49. ſect. 2. l. 1. prorrh.
Cap. 6. l. 1. defer. feb. contra tamen ſentit com. in aph. 47. l. 2. aphor.
Idem quoque Gal c. 6. l. 5. de ſimpl.
Com. in par. 31. ſect. 2. l. 6. Epid.
Com. in 2. acut. Meſuæus.

4.

Gal. l. 1. ad Glauconem. Avicenn. in tract. de feb. & l. 3. tract. 2.

Ceterum

(*u*) Concoctionis & maturationis.

Ceterum in Epialo clyſteres inſtituentur in eam formam:

℞. *Radicum apii, petroſelini, enulæ campanæ, ana, unc. j: ſeminis cartami conquaſſati, unc.* ß: *ſeminis aniſi, ammeos, petroſelini Macedonici, doronici Romani, ana, dr. ij: origani, trigorigani, calaminthæ, centaurii minoris, ana, man.* ß: *florum geniſtæ, ſtœchados, ana, man.* ß: *ſummitatum abſinthii, lavendulæ & roriſmarini, ana, pug. j: fiat decoctio: diſſolve confectionem hieræ: confectionem de dactylis, & progreſſu temporis confectionem hamech, cum oleo irino, liliaceo, rutaceo.* *Clyſteres.*

Poteſt quoque & vinum album addi: Cicerum rubrorum pugillus addetur: non alienum erit incoquere ſemen pæoniæ, artemiſiam, nepetam, agripalmam, meum, phu, folia pœoniæ fœminæ, ariſtolochiam, iridem, eryngium, peucedanum, galeopſin, rubiam quoque ipſam, ſalviam, majoranam, betonicam, polium, ivam arthriticam: Agaricus quoque & folia ſennæ in decocto locum habebunt: Cyperus, ſchœnanthi flores, calamus aromaticus & ſpica nardi, baccæ lauri, juniperi, hederæ. Et quoniam ut plurimum eis inflantur præcordia, tum ob malam coctionem præ imbecillitate caloris, tum propter flatus qui facile ſurgunt in ea febre, ea quæ flatus diſcutiendi vim habent apprime conferent, eaque tum admota, tum aſſumpta. Valet hic potus:

℞. *Aquarum abſinthii, & meliſſæ, ana, quantum ſufficit: in quibus infunde ſeorſim, rheibarbari, & agarici ſeorſim, ana, dr. ij: cinnamomi & nucis moſchatæ, ana, ſcr. j: in expreſſione diſſolve confectionis hieræ, dr. ij: aut pulveris ejus, dr. j: ſyrupi conſervationis zingiberis, aut nucis moſchatæ, aut nucis conditæ, unc.* ß: *aut oxymellis, aut ſyrupi de ſtœchade, aut mellis roſati colati; poteſt addi aut diaphœnicon aut electuarium diacarthami.* *Potus.*

Caſſiæ & iis quæ caſſiam recipiunt locus eſſe non debet: quia enim ea leniunt tantum & ſuo virore lentoreque diſſolvunt ventriculum, ideo minus quadrant. Rheum barbarum non convenit quidem humori acido depurgando: ſed tamen quia robur addit ventriculo, poteſt aliquando uſu capi. Hiera in primis confert in hac febre; ſi quando alias epicraſi utendum, tum quia nonniſi tempore materia detergetur, coquitur, deraditur & expellitur, tum quia & tempore vires deteruntur, & ſpecie ipſa morbi imbecillimi exiſtunt: quicumque enim morbus ventriculum occupat, cujuſmodicumque ſit, is cum virium imbecillitate perpetuo junctus eſt: itaque a levioribus incipiendum, & ſenſim ad validiora progrediundum. Vomitus conferunt ex ſemine raphani, aſaro, ſemine atriplicis cum oxymelite, ut ante ſuperiore capite expoſitum eſt. *Caſſia nocet febre Epiala laborantibus.*

℞. *Hydromelitis, lib.* ß: *ſyrupi acetoſæ ſimplicis vel oxymellis ſimplicis, ana, unc. jß. Fiat vomitorium.*

Hippocrates lib. de ſalub. diæta *hyſſopum incoquit in aqua & decoctum dat tepidum. Aliis cum decocto radicis raphani & ſeminis atriplicis datur oleum amygdalarum dulcium.*

Vel datur decoctum ex agarico. Sudorifica non proſunt initio quia materiam crudam in venas raperent: in fine materia mitificata conferunt. Sunt qui pilularum uſum probant: ac præ ceteris Arabes eas commendant: aliis id non videtur, quoniam pilularum tum uſus incidit neceſſa-

rius quum e partibus remotis abducenda eſt materia : ſed hic in alvo continetur. Tamen ob contumaciam humoris, & quia quæ ſunt liquida dum cito transfluunt vires integras in ventriculum non exerunt, niſi te revocaverit calor quidam immoderatus, pilularum uſus non eſt repudiandus.

Pilulæ. ℞. *Maſſæ pilularum aloëphanginarum, aſſaiareth, & imperialium, ana, dr. j: pulveris hieræ picræ dupla aloë, dr. ij: rhabarbari electi, dr. j: agarici trochiſcati, dr. jß: pulveris galangæ, & aromatici roſati, ana, ſcr. j. cinnamomi, ſcr. ß: cum ſyrupo conſervationis nucum conditarum, aut nucis moſchatæ fiat maſſa pilularis.*

℞. *Zingiberis, ſcr. j: pyrethri, gr. viij: roſarum, ſcr. j: aloës lotæ in aqua ſampſuchi, dr. ij: maſſæ pilularum aggregativarum Meſve, dr. j: agarici & pilularum ſine quibus, ana, dr. ß: cum tantillo Mithridatii, aut confectionis aureæ Alexandrinæ, aut theriacæ aut confectionis alkermes fiat maſſa pilularis. Addi debent pulveres electuarii aromatici roſati, pleris archontici, diarrhodon abbatis, diambræ, lætificantes, galangæ, nucis moſchatæ, caryophyllorum, maſtiches, ambræ.* Cautio hæc adhiberi debet, ut quum ventriculus repurgatus fuerit, ſequenti die illum confirmemus & applicitis & aſſumptis de quibus dictum ſuperiore capite. Scutum hoc admovebitur geſtandum fere ſemper.

Scutum. ℞. *Pulveris caryophyllorum, nucis moſchatæ, & galangæ, ana, dr. ß: pulveris cubebarum, dr. j: ſampſuchi, origani, roriſmarini, ſtœchados, ana, ſcr. ß: coriandri, unc. ß: balſamitæ ſeu menthæ aquaticæ, pug. ß. redigantur in pulverem pro ſcuto.*

Et interdum valet hoc decoctum ad præparandum, tenuandum & incidendum.

Potus præparans materiam. ℞. *Radicis Chinæ vel ſarſæparillæ, unc. ß: coriandri præparati, dr. ß: radicis ireos, dr. j: roſarum, pug. j: calaminthæ & abſinthii pontici, ana, pug. ß: ſeminis citrii, ammeos, ana, dr. j: fœniculi, dr. ß: fiat decoctio ad lib. vj: ad conſumptionem medietatis, addendo vini albi, unc. xij: aromatizetur nuce moſchata, aut cinnamomo, aut ligno aloës: capiat unc. iv. quotidie mane cum tabella una electuarii aromatici roſati.*

Decoctum vero radicis chinæ aut ſarſæparillæ bene aromatizatum quovis tempore poteſt adhiberi: nec enim ad prolectandos ſudores uſurpatur, ſed ad præparandum & ſuperfluam humiditatem quæ alvum ipſam πλαδαρωτέραν, καὶ χαλαρωτέραν, καὶ ἐκτετηλυσμένην (x), id eſt effeminatam reddit.

Syrupus magiſtralis ita concinnari poteſt, ut in parato ſit, & ut medicamenta cocta minus deleteria ſint.

Syrupus. ℞. *Radicis helenii, ireos, apii, eryngii, ari, ana, unc. j: cyperi, galangæ, dr. iij: limaturæ ligni ſancti, unc. ij: betonicæ, ſalviæ vitæ hortenſis, ſolſequii, polii, herbæ paralyſeos, verbenæ, ana, man. j: ſeminis pæoniæ, dr. ij: menthæ, ſtœchados utriuſque, abſinthii pontici, ana, man. j: junci odorati, dr. j: ſeminis ſmyrnii, liguſtici, aniſi, fœniculi, ana, dr. jß: ſeminis ſeſeleos, dr. ij: radicis pæoniæ & zingiberis, ana, dr. j: in fine addendo vel flores lavendulæ, roriſmarini, vel conſervam roriſmarini, bugloſſi: infunde foliorum ſennæ, unc. iij: ſantali citrini, nucis moſchatæ, & cinnamomi, ana, dr. j: in ex-*

(x) Humidiorem, & laxiorem & effœminatam.

expreſſione diſſolve expreſſionem, unc. j. agarici trochiſcati inſtiſſi cum ligno aloës, aut cum zinzibere & cinnamomo & dr. j: rhabarbari electi pariter infuſi vel in vino albo; oxymellis ſimplicis, & ſyrupi de hyſſopo, ana, unc. ij: ſacchari candi, lib. ß: fiat ſyrupus.

Poteſt turpethum addi, quod ei vis inſit pituitam non modo tenuem, ſed & craſſam & frigidam lentamque educendi, tum ex capite, tum ventriculo & viſceribus: quod per ſe quidem ventriculum perturbat, ſed quum infunditur ejus virulentia zingibere aut nuce moſchata, aut cinnamomo corrigi poteſt.

Syrupus prædictus aut per ſe ſumetur, aut cum aquis meliſſæ, abſinthii, bugloſſæ, ſampſuchi, & ceteris id genus, vel etiam cum vino albo. Vel tabellæ diacarthami aliquando accipientur eo modo.

℞. *Aquæ theriacalis, dr. iij: vini albi odoriferi, unc. jß: aquæ meliſſæ, unc. j: cum unc. ß: tabellarum diacarthami & ſyrupo de quinque radicibus, aut byſſantina fiat potus*: vel hic potus parabitur, tametſi ſit ingratus. *Potus.*

℞. *Pulveris hieræ dupla aloë, dr. ijß vel iij: ſyrupi capillorum veneris, unc. j: vini albi, unc. iij, vel deſtillativi reſtaurativi tantundem; vel diſſolvetur in aquis prædictis: niſi ſapor & amaror intolerabilis dehortaretur, confectio hieræ cum tryphera magna involuta in auro conferret.*

Quoniam autem rigores & horrores maxime perturbant, immo in Epialis & quartanis & erraticis ſæpe plus moleſtiarum afferunt quam reliqua ſymptomata, ideo veteres de iis leniendis cogitaverunt: in primis probatur Fernelii noſtratis Medici conſilium: hic affirmat compeſci ſedarique ſolere rigoris fotu ad ſedem febris applicato. In Epialo & quotidiana fovebis regionem ventriculi: in virginibus decoloribus Epialam patientibus, lienem & ventriculum, in tertianis hepatis regionem fovebis. Aut linies totam ſpinam oleo irino, oleo vulpino, de caſtoreo præſertim in febribus pituitoſis, & mulieribus, muliebribuſque corporibus, quibus maxime rigores ex dorſo fiunt Hippocratis ſententia: quod partes anteriores magis venoſæ arterioſæve exſiſtant, minus proinde rigore (nomine rigoris latius ſumpto pro omni perfrigeratione) excipiant: poſteriores vero ſint magis nervoſæ & frigidæ: Galeni ſententia theriaca & mithridatum commode illini poſſunt. Alii id remedii inſtituunt: *Fernel. c. 10. lib. de feb.* *Hipp. aph. 69. l. 5.* *Gal. com. in aph. 65. l. 5.*

℞. *Thuris maſculi pulverati, unc. ij: ſucci menthæ & majoranæ quantum ſufficit, addendo theriacæ & caſtorei, ana, dr. j: fiat linimentum ad ſpinam dorſi ineunte acceſſione.* Aëtius in genere de iis quæ valent ad horrores ineuntibus febribus, ea commendat quæ vim habent proliciendorum ſudorum, ut ſmyrnii ſeminis, dr. j: potandam ex vino duabus horis ante acceſſionem: ariſtolochiam, iridem, calamintham. Probat etiam illud: *Linus.* *Aëtius c. 88. ſerm. 5. tetrab. 1.*

℞. *Seminis hyoſcyami albi, myrrhæ troglodyticæ, opii, ſtyracis, ana, dr. j: croci, zingiberis, aloës, ana, dr. x: excipe melle & da ad magnitudinem nucis avellanæ.*

℞. *Piperis, dr. j: caſſiæ, ſtaphidis agreſtis, ariſtolochiæ & myrrhæ, ana, dr. jß: cum oleo irino, & liniantur partes a quibus horrores incipiunt.*

Theriaca potu data cum aliqua aqua & ſyrupo calefaciente eodem pertinet. Hic nullam de phlebotomia mentionem injecimus, quod in tanta crudi- *An venæ ſect. Epial. feb. conferat.*

tate non videtur conferre poſſe. In aliis quidem febribus, quarum materia partim in venis minoribus, partim majoribus concluditur, præſertim quum putredinis ſigna elucent, non ratione antecedentis materiæ tantum, ſed & conjunctæ, ſanguis demitur, quoniam materia febrem accendens in venis confuſa eſſe videtur, non tantum in primordiis ut placet recentioribus, quum ſunt interpolatæ: ſed in hac materia videtur plane ſecreta, & ut ita dicam, ſequeſtrata: & tunc minus a natura regitur. Hanc opinionem confirmat bonus medendi magiſter Savonarola ex ſententia Ferrarii; circum loca arteriarum & venarum non videtur probabile pituitam tantæ frigiditatis coerceri poſſe, idque ſenſim; plurima enim adeſt in illis locis caliditas: ſed in profundioribus locis longeque a corde ſemotis coercetur, ut ſunt inteſtina, ventriculus, venæ profundæ muſculorum. Quod veteres in eam adduxit opinionem, ut audacter in febre Epiala, febribuſque natis a cruditate humorum non ſecarent. In quotidianis tamen ſanguinem educunt, præſertim ſi urina rubra & calor auctus id ſuaſerint. Arabes neſcio quid novi excogitant de ſecanda vena in febre quotidiana: ſecant enim baſilicam ſiniſtram, præſertim in frigida cæli conſtitutione: in calida autem, dextram; hoc forte illis in mentem venit quod legerint apud Galenum facilius promptiuſque educi ſanguinem craſſiorem aperta ſiniſtri brachii vena quam dextri. Neſcio ubi hæc Galenus ſcripſerit. Et ubi occurrerint dabimus operam ut quorſum dicta ſint aperiamus.

Savonarola c. de feb. Epial.

De febre Epiala hæc dicta ſint plenius quam putaremus. Sed quoniam pleriſque Medicis febris hæc negotium dat, & ejus curatio quodammodo etiam ad febres ex cruditate natas pertinet, ideo in ea explicanda fuimus paullo longiores.

ANNOTATIONES.

1. *Nullo loco melius quotidianas febres Galenus deſcribit, quam* cap. 4. lib. de typis: habitus eſt humiditas, vomitus pituitoſi, ſitis haud magna, corporis gravitas, ſomnus καρώδης (*y*) & cataphoricus, pulſus magnus, rarus, laxus; facies ſublivida, laxa, flaccida, multam cachexiam & τλὼ τροπὴν (*z*) materiæ ſignificans, lienis etiam durities, ſi perſeverat, ῥευματισμοὶ (*a*) thoracis & παρεγχύσεις ὑδερικαὶ hydropicæ ſuperfuſiones.

2. *Hic ex hypotheſi docet ſi humor in corpore frigidus ſit, & pariter calidus qui feratur per ſenſibilia corpora calorem & frigus percipi ſimul. Quod falſum eſt; nam in tertianis humor qui rigorem facit bilioſus eſt, & tamen ſenſum frigoris inducit.*

3. *Sequendum eſt conſilium Arculani* cap. de dolore ſtomachi, cavendum eſt (*ait*) ne dum calefacimus, inducamus majorem calorem febrilem: ita enim in gradu augetur calor, ſed in humiditate & quantitate minuitur.

4. *Quum*

(*y*) Caroticus.
(*z*) Converſionem.
(*a*) Rheumatiſmi.

4. *Quum multa eſt materia cruda & frigida, in qua calor febrilis ſepultus non* ἐπιλάμπει (*d*), *ſi calor febrilis gradu augeatur, conferre poteſt. At calor omnis febrilis malus eſt præſertim ſi putredinalis ſit: ſed ſi gradu tantum a calore naturali diſcedit, poteſt ea ratione ſi ſit materiæ* ἀνάλογος (*e*) *conferre.*

CAPUT IX.

De inſano virginum amore.

DE inſano virginum amore, qui Græcis Ἔρως (*f*) dicitur, ſuperiore quodam loco nos dicturos pollicemur: quod nunc præſtamus, tum quia id ad Medicum morborum virgineorum æſtimatorem futurum pertineat, tum quod ei perturbationi animique ægrotationi, niſi occurſum fuerit, ſæpe aut deſperationis, aut languoris extremi, aut miſerrimæ mortis præcipitiſque caſus periculum ſæpe ingruat maximum. Morbus vere eſt animi & perturbatio, id eſt ut apud Cicer. definit Zeno philoſophus, *averſa a recta ratione contra naturam animi commotio, aut appetitus quidam vehementior*: eodemque loco definitur, *opinatio quædam vehemens de re non expetenda, tamquam valde expetenda ſit, inhærens & penitus inſita.* Et qui ita afficiuntur, judicant ſe ſcire, quod tamen neſciunt, hinc mens percellitur concutiturque, eaque pars animi quæ voluptate alitur eam ſibi ſubjicit ſubditque quæ mentis & conſilii eſt, quodque altius ſeſe erigens, ſuoque dominatu omnia regens, dum omnia ſecundum naturam ſunt, & eam partem quæ voluptatum illecebris capitur oblectaturque tamquam ſummo bono, & in qua irarum ardor exſiſtit, temperat atque moderatur. Eum affectum ἔρωτα (*g*), unde τὰ ἐρωτικὰ & ἐρωμανία (*h*) deducuntur, Veteres appellaverunt, inſanum amorem vocamus, quum quid perdite amatur, ut nil prius, nil pulchrius, nil carius videri poſſit; immo quiſquis ita inſanit, quocumque animum cogitationemque converterit, præ impotentia objectam ſemper rei adamatæ ſpeciem habet, geſtus, motus, verba & alia id genus: quæ omnia ita alte in animo infixa ſunt, ut nulla ratione decuti avellique poſſint. Itaque Ariſtoteles convincit ira turpiorem eſſe iſtam cupiditatem. Nam ira quodammodo parere rationi videtur, ſed attente non audit more miniſtrorum præpoſtere omnia obeuntium, quæ antequam omnia quæ præſcribuntur, audiverint, abeunt, & ſic deſunt officio: At cupiditas, ſi ratio vel ſenſus modo moneat illud aut hoc eſſe ſuave, inflammata rapitur ad perfruendas voluptates. Hoc vero maxime fallit quod ſe honeſtam amoris cauſam habere putent. Sed in

Nomen ἔρωτος in hac ſignificatione uſurpatur a Gal. com. in par. 11. l. 1. prognoſt. quærens quomodo Eraſiſt. noverit puerum amatorem. Cicero 4. Tuſcul. Defin. inſani amoris.

Cap. 6. l. 7. Eth. Amor inſanus turpior ira.

(*d*) Effulget.
(*e*) Analogus.
(*f*) Amor.
(*g*) Amorem.
(*h*) Amatoria, & amoris inſania.

in hoc exſuperantia eſſe poteſt. Ut Satyrus φιλοπάτωρ (*i*) dicebatur quod inſano in patrem amore afficeretur. Quum autem in virginibus τὸ φανταστικὸν (*k*) in vitio ſit, & fax rationis ipſi menti prærepta ſit, mirum non eſt ſi amor earum ad inſaniam proxime accedere videatur: & hic, ut ait Euripides,

Cicero 4. Tuſcul.

Nil plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

Nam ſi naturalis eſſet iſte amor, & amarent omnes, & ſemper amarent, & idem amarent, nec alium pudor, alium cogitatio, alium turpitudo deterreret. At dices, virginibus majorem licentiam natura dedit; ſed nimietas non poteſt eſſe conjuncta cum turpitudine, & quippiam exuberans habere, quum conceptam ſemel in animo de re amabili opinionem nulla ratio quantumvis firma oppugnare, debilitare ac frangere valeat. Jamque tametſi naturalis in amore quidam modus adeſſe poſſit, ita omnem mediocritatem ſuperat, ut non in quibuſdam vitium, ſed feritas & immanitas eſſe videatur. Quemadmodum enim quum divinioris cujuſdam virtutis ſignificatio nonnulla in quopiam apparet, non virtutis nomine donatur, ſed eximia, divina, auguſta, heroicaque virtus dicitur, ita & feritas immanitaſque vocanda, quum vitii excellentia proxime ad feras beſtias accedimus, humanum vitium ipſa feritate ſuperantes. Heroicam iſtam virtutem adumbrat Homerus dum Priamum de Hectore loquentem facit,

Homerus.

Non hic mortali eſt, ſed divum ſanguine natus.

Ariſt. l. c. l. 7. Eth.

Sic feritas iis tribuitur qui ſcelere, flagitiis, voluptatumque immoderatione alios ſuperant ac vincunt. Ut in humana ſpecie feritatis imago aliqua repræſentetur, hoc forte conſilio veteres heroicam paſſionem vocaverunt, quod in iis quibus æſtu libidinum pars animi deflagrat ac excandeſcit, aliquid heroicum eſſe exiſtiment: ſed decepti ſunt longe vocis ſimilitudine. Non enim dicitur paſſio heroica ἀπὸ τοῦ ἥρωος (*l*), quod heroas, id eſt homines auguſtos & eximios tamquam ἡμιθέους (*m*) exſiſtentes deceat, aut quod ad hominum ſapientum animas corporibus his abſolutas pertineat, quo nomine heroas intelligit Zeno apud Laertium, unde apud eumdem Pythagoras totum aërem plenum heroibus & dæmonibus dicebat, ſed potius ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, id eſt, ab amore, deductum id eſt. Et quum heroica paſſio tam fœdam cupiditatem & velut humanitatem omnem ſuperantem ſignificet, huic ἐρωμανίᾳ (*n*) nomen heroicum attribuere eſt nefaſtum. Quamquam placet Gazæ etiam τοῦ ἥρως (*o*) nomen ἀπὸ τοῦ ἔρωτος ἐπανετοῦ (*p*) derivari: at potius originem aut ἀπὸ τοῦ ἀέρος aut ἀπὸ τῆς ἥρας (*q*), id eſt ab Junone, ſortietur. Quidquid illud ſit, male & ignoratione græcarum litterarum heroica paſſio amor inſanus appellatur: niſi

Dicta paſſio heroica non ab heroibus ſed ab amore inſano.

Laertius l. 7.

(*i*) Amans patrem.
(*k*) Imaginatio.
(*l*) Ab heroe.
(*m*) Semideos.
(*n*) Amoris inſaniæ.
(*o*) Herois.
(*p*) Ab heroe & ab eo quod eſt laudatum & ſacrum.
(*q*) Ab aëre, aut à Junone.

niſi forte, quod & Savonarolæ videtur, ideo heroicæ paſſioni nomen tribuatur, quod inter homines Satrapæ, Principes, Magiſtratus, qui heroes dicuntur ob præſtantem virtutis effigiem quæ in iis parere deberet, vel ob eum maximum quem tenent inter homines gradum, luxu & otio diffluentes: immoderata libidine geſtiant, & inſanorum amorum æſtu facile exardeſcant: quod falſe in Principes noſtros dictum puto. Vel heroica paſſio dicta eſt ob exſuperantiam rei, quomodo apud Virgilium dicitur: *Auri ſacra fames*: Id eſt ingens, magnaque: Et apud Medicos morbus ἱερὸς, ſacer dictus, id eſt magnus & humanum captum difficultate rei ſuperans: item ὀστοῦ ἱερὸν os ſacrum appellationem a magnitudine & mole invenit: vel heroica paſſio dicitur, quod homines divino quodam modo afficiat irretiatque: quemadmodum & fabulæ narrant Jovem amore percitum omneſque Deos: Unde Homerus de Venere loquens ait,

Savonarola c. de heroica paſſ.

Virg. 6. Æneid.

Hipp. l. de ſac. morb.

Ἀφροδίτη ἥτε θεοῖσιν ἐπὶ γλυκὺν ἵμερον ὦρσε,
Καὶ τ' ἐδαμάσσατο φῦλα καταθνητῶν ἀνθρώπων.

Homerus in hymno ad Venerem.

Id eſt, *Dulceque tormentum divis incuſſit amica*
Humanaſque Venus gentes domuiſſe videtur.

Vocat autem illud deſiderium rei qua caremus ἵμερον, quemadmodum ἔρως fruendæ pulchritudinis quam valde expetimus deſiderium ſignificat: & πόθος rei qua fruiti ſumus, fruique expetimus deſiderium. Sed de nominibus fruſtra laborandum putamus. Quicquid ſit, ea perturbatio quæ ad inſaniam quodammodo puellas adigit ad τὸ ἐπιθυμητικὸν (r) pertinet: & eſt depravatio mentis falſa rerum præſtantium imagine & opinione deluſæ. Unde Tullius Cæcilium Pœtam irridet qui amorem Deum finxit, quum is omnis flagitii & levitatis auctor exſiſtat. Et inter antiquos de eo controverſia oborta eſt: nam alii auctoritatem amori tribuerunt, alii etiam ſapientem amaturum eſſe dixerunt; amoremque ipſum definiverunt conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis quadam ſpecie, cum ſollicitudine, cura, anxietate, deſiderio & ſuſpirio: adeoque vehemens ea animi perturbatio mentem de gradu rationis dejiciens, ut niſi ægro animo medicinam adhibueris, nil in conſilium rationum ſuarum præter deſperationem appellet: meraque eſt inſania, ut ſæpe in Dei contemtum hominem præcipitet. Unde illud libidinoſi hominis:

Ἵμερον, Ἔρως & πόθος ut differunt.

Cicero 4. Tuſcul.

Si quidem ſit quiſquam Deus, cui ego ſim curæ. *4. Tuſcul.*

Ac ſi Deo curandum ſit quomodo libidinoſus iſte voluptate fruatur amatoria. Arabes, & qui eos ſecuti ſunt hanc affectionem iliſci & alhach vocaverunt, id eſt, amatos, & amatores, eſt autem aſſidua ſollicitaque cogitatio & ea melancholica qua rem valde & veluti perdite concupitam habere volumus. Ad morbos cerebri refertur, affectionibuſque melancholicis annumeratur. Hoc autem differt ægritudo iſta a melancholico cerebri affectu, quod hic humorem cauſam agnoſcat veluti a maſſa ſanguinis ſegregatum & jus vindiciarium in cerebrum habentem, quum diatheſis jam ſit aliqua: amatoria autem ægritudo, accidens animæ tantum

Ut differat heroica paſſ. a melancholic. cerebri affectu.

(r) Concupiſcibile.

definitur, cum diathesi melancholica. Id eam ob rem ita definitur, non quod humorum atrorum concursus sit aliquis ad illius perturbationis generationem: sed quoniam brevi ob affectionem animi recessumque caloris & angustiam animi viscerumque humoribus vis infertur, & ex benignis mansuetisque efferantur & exasperantur; hic memoria, & ratio & imaginatio læditur, perpetuaque est anxietudo. Quidam iliscin ad insanum visendæ patriæ desiderium retulere. Sed hic de amatoris voluptatibus disputamus. Signa autem ex Arabibus hæc sunt, cibum & potum non capiunt, insomnes degunt, assiduis cogitationibus & occultis sese conficiunt, suspiriosi sunt, oculos habent profundos alias mobiles, si quid gratum audierint subridentes, aliquando lacrymantur nulla de causa; & si suspiceris quemquam adamari, dum contrectatur pulsus, is nominandus est, atque statim manifesta accidet mutatio, nam ex humili, parvo, & occulto, contrarius resurget: & nisi præcaveatur horrenda accident symptomata tum corpori, tum animæ: immo in incurabiles morbos incident, ac de gradu mentis sæpe dejiciuntur. Curam hujus gravis affectionis tamquam animorum optimus Medicus edocuit Tullius: ita scribit: *sic igitur affecto hæc adhibenda curatio est, ut ei illud, quod cupiat, ostendat quam leve, quam contemnendum, quam nihil sit omnino, quam facile vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit. Abducendus est nonnumquam ad alia studia, curas, negotia. Loci denique mutatione, tamquam non convalescentes, sæpe curandus est. Etiam novo quodam amore, veterem amorem tamquam clavo clavum ejiciendum putant. Maxime autem admonendus quantus sit furor amoris.* Ita singula curationis capita homo philosophus est complexus. Paullus vero Aegineta peculiarem de iis disputationem instituit; *amores cerebri affectibus annumerare quum sint quædam curæ, haud fuerit absurdum. Cura vero affectus est animi ratiocinatione in motu laborioso occupata. Amantium hæ sunt notæ. Oculi concavi non illacrymant, sed tamquam voluptate pleni apparent, continens palpebrarum motus. Et quum reliquæ partes non collabuntur, hæ solæ amantibus concidunt. Pulsus proprie nullus, sed qualis eorum qui cura conficiuntur. Quum res amata in mentem occurrit, vel visu, vel auditu venerit, præsertimque repente, pulsum contingit mutari. Hæc quidam rem ignorantes tenui victu consumserunt. Prudentiores ad compotationem, balnea, ludos fabulasque animum abducunt. Nonnullis metum incutere convenit. Objurgandi: Mens ad alias curas abducenda est.* Ac mirum cur Paullus istam animi perturbationem per curam definiverit: nec abs re tamen, tum propter communia signa quæ amore occæcatis & cura affectis apparent: tum quia assidua est cogitatio, & a rebus omnibus ad id solum quod ita concupitur, abductio. Nescio an Hippocrates hunc affectum adumbrarit, dum disputat περὶ φροντίδος, curam vertit interpres. In illius affectus descriptione meminit & capitis & viscerum, quasi in utriusque morbi sedes exsistat. Ait in visceribus velut spinas sentiri, & puncturas, & anxietatem (græce ἄσσαν) corripere, fugere lucem, ad contactum dolere, expaveſcere: præterea censet caput purgari debere; hic affectus commune quid habet cum heroica passione: sed quum ante dixerimus

Avicennas l. 3. tract. 1. Signa insani virg. amoris.

4. Tuscul.

Paullus c. 17. lib. 3.

Sub finem lib. 2. de morbis.

xerimus in affectu amatorio nudam potius esse dispositionem quam humorum melancholicorum dominatum, is morbus quem describit Hippocrates potius ad melancholicum morbum accedit, & a communi accidente quod adesse solet, nempe sollicitudine & cura, dicitur φροντίς. Nos autem dicimus φροντίδα (*s*) ad animum pertinere, ut ἀλύκη καὶ ἄσση (*t*) ad corpus, ut φροντὶς sit mentis quædam anxia sollicitudo ad rem aliquam penitus defixæ: quamquam ἀλύκη potest ad animum & ad corpus pertinere. Nam auctor Galenus τὸ ἀλύειν (*u*) præter reliquas significationes ait significare anxietatem & curam aliquam, ut quum non quiescimus, sed ab uno ad alterum cito nos transferimus. Sed omnibus liberum judicium esto, quid Hippocrates illo nomine τῆς φροντίδος velit significare. Capita autem ex Avicenna partim Savonarola, partim suo marte comparavit. Primum admonendus de iis quæ ad pietatem & cultum Dei pertinent, quod omnia amori postponere isti insani soleant. Ut animus revocetur, constituendus in honore, vel alicujus magistratus spe lactandus juxta illud,

φροντὶς ad animum ἀλύκη & ἄσση ad corpus pertinent. Com. in aph. 56. l. 7.

Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.

Ovidius.

Tertio in longinquas relegandus est terras. Efficiundum ut pluribus amicis delectetur, juxta illud,

Quod hic de marib. dicitur, ad virgin. potest transferri.

Hortor & ut pariter plures habeatis amicas.

Durius forte est illud, quum suadet ad molliendum frangendumque ejus animum qui rebus venereis nimium deditus, nulla re adduci potuit, ut is qui ita amore perit certior fiat de occultioribus amicæ morbis, aut si quid deformius in illa est, reveletur. Plura sunt quæ eodem pertinent. Ceterum si temporis diuturnitate contracta sit quædam in melancholiam propensio, temperandi sunt humores eo modo quem *cap. de fœdis coloribus* explicavimus. Ac in primis & balnea, & purgationes quæ caput respiciant, & lac asininum, & syrupus Regis Saporis commendabuntur. Cetera tuo marte comparabis.

Langius caput privatim de insanis amoribus conscripsit ex quo multa desumet huc pertinentia. Epist. 24. l. 1. Epist.

CAPUT X.

De hysterica suffocatione & furore uterino.

VIrgines & hysterica passio & furor uteri (qui affectus affinitate conjungi videntur) sæpe excruciat, adeo ut vel exitus e potestate mentis, vel mortis repentinæ ob sublatum respirationis usum ingruat. Hysterica quidem passio dum vias spiritus intercipit, immo & usum respirationis (quæ eadem cum vita est, & qua ne momento quidem carere possumus) tollit; furor uteri, dum eas in corpore tragœdias excitat ut facile mens percellatur & obruatur. Antequam autem ad furorem uteri

Gal. l. de utilit. resp. & c. 5. l. 6. de loc. aff.

(*s*) Curam.
(*t*) Anxietas & implaciditas.
(*u*) Fastidio capi & implaciditate.

accedamus, non alienum erit explicare an incolumi vita reſpiratio quemquam deficere poſſit: hoc in dubium diſceptationemque adduci ſolet. Non deſunt qui, adducto hyſtericarum mulierum exemplo quæ non reſpirant manifeſto, contendant nullius eſſe uſus reſpirationem, quum animal ſine ea poſſit vivere: at reſpiratio non ad actionem geſtionemque privatam ſpectat, ſed ad vitam ipſam: ſiquidem nutritionem, & ventilationem, & ſuliginoſi excrementi excluſionem hæc una procurat: moderationemque eſſe oportet, id quod exemplum ab externa flamma ductum docet. In flamma ea quæ ſub ſenſum cadit motus duplex eſt intro, & foras: intro fit dum ambiens potentior eſt, unde exſtinctio: foras dum aër externus familiaritate cum flamma convenit, unde eam evocat & diſſolvit: & major flamma liberiori ampliorique aëre eget, minor vero pauciori, omnis tamen flamma eo eget; calor naturalis, quantuluſcumque ſit, ventilatione opus habet. At in hyſtericis paucus calor eſt, coactus, & pæne ſtrangulatus, vi frigoris ipſius corporis jam rigidi quodammodo temperatus: ideo exigua eget ventilatione ut ad id reſpiratio non ſit neceſſaria, ſed tranſpiratio ſola quam Galenus ἀδηλον ἀναπνοὴν (x) vocat, unde Hippocrates præclare ſcribebat: *Principium alimenti ſpiritus, os, nares, & reliqua perſpiratio.* Nomine perſpirationis & manifeſtam reſpirationem intelligit, & eam quæ beneficio arteriarum & meatuum quibus corpus noſtrum eſt pervium, fit, tranſpirationem. Ideo dicebat corpus totum inſpirans, expirans, & confluens: idemque mulierculis hyſtericis contingit quod & animalculis quæ per hiemem in latibulis degunt, quaſi ſemimortua ſola tranſpiratione contenta: de quibus Galenus *in aphoriſmis agit*: Et quum perfrigeratum undique ſit corpus muliercularum a cauſis paullo poſt explicandis, mirum ne ſit ſi anapnoe contentæ vivant? Sed hic duo objici poſſunt quæ illud labefactabunt. Prius quidem, ſi revocatur intro calor, cogiturque ob perfrictionem externi halitus, cur non idem contingit quod in lipyriis febribus, aut cauſo, aut initio periodicarum febrium? nam in his perfrigerato rigenteque habitu interna uruntur, ſitis ingens eſt, reſpiratio ſatis magna & frequens: omnis calor coactus ſeipſo major fit: in hyſtericis cogi videtur. Premit quidem hæc ratio: ſed ita ſatis debet fieri. Cauſon, & leipyriam febrem Hippocrates appoſite vocat πυρετὸν περιψυχθέντα, id eſt febrem perfrigeratam, quod per revocationem intro caloris & ſpiritus interna adurantur: At in partibus externis expanditur calor, quod in hyſtericis non fit. Initio febrium frigus potius contingit, ut *ante cap. de Epiala* docuimus, propter inæqualitatem motus & affectionem caloris naturalis. Hic non eſt idem judicium quod & de hyſtericis. Et clarioris doctrinæ cauſa barbaris ſed aptis verbis uti non erit abs re. Initio febrium, in leipyriis, epialis, frigus non eſt poſitivum, quod actu & reipſa tale exſiſtat per modum extinctionis, ſed privativum, quia ex eventu partes ſuo calore & ſpiritu quo prius illuſtrabantur, ſunt deſtitutæ. Sed in hyſtericis poſitivum fere eſt frigus, unde non longe abſunt a morte, & eſt potius diſſipatio caloris ob malignam qualitatem, quam coactio

Lib. de milit. reſp.

Lib. de uſu reſpirationis. Cap. 12. l. 1. de ſan. tuend. Hipp. l. de alimentis. Lib. de locis in homine. De ſufficientia perſpirationis in animalculis. Gal. com. ad aph. 59. l. 7. Com. in 15. lib. 1. Plenius de his cap. 5. l. 6. de loc. aff. Part. 7. l. 1. prorrh. Quum infirmus eſt calor, aut paucus, omnis ſe confert intro tamquam ad proprium domicilium. In Epialis & leipyriis & initio acceſſionis frigus non eſt poſiti-

(x) Inſenſibilem tranſpirationem.

actio congestioque: nisi forte in cordis centro reliquias tantum exiguas inesse suspiceris. Quum dolor, aut incendium attrahit, vis aliqua naturæ elucet; quum maligna qualitas dissipat, omnia pessum eunt: idemque hystericis mulieribus contingit quod & Pythioni qui primo die quum febre acuta occuparetur, ei secundo perfrixerunt extimæ partes, & factus est βραχύπνους (y). Non in omni partium extimarum perfrictione est βραχύπνοια (z), ut ante de causo & leipyria dictum est, sed quoties cum partium extimarum algore extinctio pæne caloris est naturalis: & nunc frigus positivum esse dicitur. Galenus autem *in com.* ait Pythionem factum esse βραχύπνουν, quod primo die per putrescentes humores adeo insigniter calor febrilis sit accensus, ut relictus sit naturalis admodum infirmus, immo adeo infirmus, ut potius omnino exstinguatur, quam febrilis denuo accendatur. Et hic maxime pertinet ad hanc de hystericis disputationem. Posterius vero quod quæri possit est περὶ ἀναπνοῆς (a): An hæc in hystericis sit & sufficiat: videtur enim non adesse illa ἀδηλος ἀναπνοὴ (b) quam quidam comminiscuntur. Etenim Galenus loquens de sudoris excretione, & suliginosi excrementi per insensiles corporis meatus, ait, *per insensilem diffiationem etiam nonnihil crassioris excrementi educitur; huic autem & vehementiore deducente calore, & impetu impellente majore opus est: quum alioqui periculum sit, ne ante itineris finem sistatur.* Itaque ἀναπνοὴ magni caloris opus est. Eodem accedit quod in aphorismis scriptum est, *Quo calor innatus robustior fuerit, eo diffiatio magis effugit sensum.* At in hystericis strangulatus pæne est, calor exiguus & paucus, quomodo ergo ἀναπνεῖν (c) procurabit? siquidem ad diffiationem opus est majore calore. Sed utrumque locum facile est explicare. Quum ait, *huic autem opus est vehementiore calore*, non refert pronomen demonstrativum, αὐτῷ (d), ad ἀναπνεῖν sed ad excrementum: ut doceat necessum esse & plus caloris & facultatis concurrere ad excretionem crassiusculi excrementi, quam tenuioris. Quod est ita accipiendum. Diocles (ut refert Galenus) negabat sudores opus esse naturæ, quod si natura potens foret, in halitum potius quam sudorem aquam superfluasque humiditates converteret, cur nunc ait ad excretionem crassiusculæ superfluitatis & robur naturæ & vim caloris concurrere? Immo si crassiusculum excrementum sit caloris impotentia significatur Dioclis sententia. Quo calor potentior, eo attenuatur magis materies, exuviæque latent sensum, quod verum est de prima generatione, & comparatione facta crassioris excrementi cum tenuiori, quia in hoc elucet vis Naturæ: sed si ex hypothesi ponatur materia crassior quam natura excernat, quum facilius educatur tenuius quam crassius, in excernendis superfluis crassioribus apparet naturæ potentia. Sudores itaque & argumentum sunt naturæ infirmioris, & potentioris: infirmioris quidem, quia si potentissima foret, non in sudorem sed halitum materiam commutavisset, & hoc tantum

vum, in hystericis positivum fere est. Histor. 3. sect. 3. l. 3. Epid.

Cap. 12. l. 1. sanit. tuend.

Com. in aph. 15. l. 1.

Ibid.

3. de sympt. caus.

(y) Brevispirus.
(z) Brevispiratio.
(a) De respiratione.
(b) Insensibilis transpiratio.
(c) Transpirationem.
(d) Ipsi.

ſecundum quid fieri dicitur: potentioris autem, quia in hoc ſaltem vis naturæ paret quod affatim calidus ſudor excernitur. Ideo ea de re ita Galenus voluit ſanciri, de ſudoribus dictum eſt quod reſoluto interdum habitu fiunt, & paſſio Syncope vocatur. Huic contraria eſt conſtitutio quæ in indicibus diebus fit, robuſtam naturam docentibus. Tales ſunt qui in moderatis exercitationibus fiunt. Et quum dicitur, *eo fugit magis ſenſuum diffiatio, quo calor major*, non reciproca eſt converſio, quoties diffiatio eſt argumentum eſſe aucti vegetique caloris: vel dicemus *locum illum aphor.* de diffiatione materiali intelligi debere: Quum autem hic de diffiatione in hyſtericis mentio injicitur, de ea quæ ſine materia eſt audiendum: & quæ docet ſupereſſe adhuc nonnihil caloris, cui diffiando ventilandoque ſatis eſt aliquantula διαπνοὴ (*e*), quum reliquorum uſus non incidat: nec enim nutriendi caloris, nec a fuliginoſo excremento repurgandi magna urget neceſſitas. Ac de furore uteri dicendum videtur, qui & cauſa & ſymptomatis ἀπὸ τῆς πνιγὸς ὑστερικῆς (*f*) diſtinguitur, ex Sorani ſententia apud Aëtium: tamen confuſa ſunt ſæpe ſymptomata, ut ignores ſæpe an uteri ſit ſuffocatio, an ſuffocatio & ſtrangulatus. Tamen nomina quæ utrique affectui imponuntur, ab eo ſymptomate quod maxime elucet, ſatis indicant quæ idea & proprietas cujuſque affectus ſit. In hyſterica paſſione quæ κατ' ἐξοχὴν τὸν πνίγα (*g*) ſignificat, ſtrangulatus, ſuffocatio ac ſi fauces præcluderentur, cum ἀφωνία (*h*) apparet; in furore uterino rabioſum quoddam eſt delirium & mentis abalienatio eſt: inſultant enim virgines, garriunt, vociferantur. Itaque definitur, uteri intemperies quæ in affectionis conſenſum facile cerebrum pertrahit, ad quam rabida quædam mentis alienatio conſequitur. Docuimus alias quis eſſet uteri cum cerebro conſenſus: nam Galenus dum rationem reddit cur humoribus circum uterum reſtagnantibus dolores capitis oriantur, & ad uteri ſubſtantiam id refert quæ membranoſa eſt & quodammodo nervoſa (quod facilis dilatatio indicat) & ad vaſorum contextum. Etenim præ reliquis corporis partibus uteri plurimas maximaſque venas habent, quo fit ut aut lochiis, aut menſibus ſuppreſſis, aut phlegmone aliqua oborta, magna vaporum calidorum ilias in caput feratur, quæ dolores creat in ſyncipite, maxime propter eam, quæ eodem loco aſſignatur, cauſam. Quum autem definitur intemperies, aut calida aut frigida eſſe debet: ſi calida, aut cum humore eſt, aut ſine. Si cum humore, phlogoſin faciet, aut phlegmonem, aut ἐπιφλόγισμα, quod a Leoniceno male inflamen vertitur, melius deflagrationem, aut ardorum alicujus partis velut a flamma uſtæ, ob exſuperantem humorum caliditatem, dices. Ut libere tamen dicamus, non hic peculiarem in utero affectionem ſignificari volumus, ſed fervorem quemdam ardoremque ob libidinis cupiditatem accenſum: ac ſi dicas turgere, incitarique partem aliquam naturali quodam igne deflagrantem. Non hic materies, non cumulus

Vide Manard. Ep. 1. lib. 15.

Aëtius ſerm. 4. tetrab. 4. c. 74.

1.

Com. in part. 1. ſect. 1. l. 6. Epid.

2.

Uteri ſuffocationis & furoris uterini differentia. In aph. 23. lib. 5.

(*e*) Tranſpiratio.
(*f*) A ſtrangulatione hyſterica.
(*g*) Per excellentiam ſtrangulationem.
(*h*) Aphonia, vocis defectu.

mulus humoris ſpectatur, quamquam velut cauſa procatarctica adeſſe ſolet, ſed incendium, æſtus, impetus, incitatio quædam naturalis, illud ὀργᾶν dici poteſt accommodatum animantibus quæ impetu toto ad libidinem perfruendamque voluptatem ruunt, nec ullo conſiſtunt loco, nec quieſcunt, donec illud expleverint: quod explicat Galenus *in aphor.* Soranus & cauſa & ſymptomatis uteri furorem a præfocatione uterina diſtinguit. In hyſterico ſtrangulatu uterus de loco dimovetur aut vapore tetro, aut morſu, aut vaſorum plenitudine, ac ſi convulſio aliqua foret, tumque partes alias comprimit, & ſuperiores in conſenſum trahit per vaſorum propagines tetrum vaporem halitumve immittens: in furore hyſterico immotus manet, ſed neſcio quam qualitatem per ſpinæ medullam cerebro communicat. Signa verò quibus a ſe invicem ſeparentur, hæc ſunt: in ſuffocatione hyſterica ἀφωνία eſt, torpor ſæpe corporis & pallor præcedit, crurum imbecillitas, immo pleræque pro mortuis ad ſepulchrum delatæ ſunt, pulſus adeſt nullus, intercepta eſt reſpiratio ob oppreſſionem inſtrumentorum reſpirationi inſervientium, mutæ ac velut emortuæ jacent virgines: in uterino furore garrulæ ſunt, ſæpe ridibundæ, alias lacrymantur, alias effuſe rident, maxime quum de rebus voluptuariis quid audiunt, jactantur perpetuo, & indecora ſæpe corporis compoſitione verborumque abſurditate παρενιχθῆναι, παραφρονεῖν, παραλαλεῖν, παραπαίσαι καὶ παρακρούειν (*i*) videntur. Unde illud mirum eſt quod ſcribit doctiſſimus Hollerius quod duabus filiabus Præſidis Rhotomagenſis contigiſſe ſcribit, in quodam motu ſurſum uteri ut putabatur: riſu enim longo ad horam & horas duas imminente paroxyſmo capiebantur, quem neque metu injecto, neque hortatu, nec aliis artibus poterant compeſcere: ac parentibus illæ interrogatæ objurgatæque reſpondebant eum riſum ſeſe cohibere non poſſe. At meo quidem judicio non hæc hiſtoria ad caput de ſtrangulatu uteri ab Hollerio erat referenda, ſed potius vitandæ confuſionis ergo caput de furore uteri erat conſcribendum. Quum enim aut riſus adeſt, aut modo lacrymæ, modo riſus, potius de furore uteri & ſatyriaſi quædam eſt ſuſpicio. Unde quæri poteſt, num hyſtericæ paſſionis, id eſt ſtrangulatus uteri propria ὕπαρξις (*k*) in eo ſit, ut aut exigua reſpiratio, aut nulla reliqua ſit, hoc enim ſignificat affectus vulgo dictus πνὶξ ὑστερικὴ, ἀπὸ τοῦ πνίγειν, id eſt, ἄγχειν (*l*). Et tamen idem ait in hyſtericis nonnullis magnam eſſe reſpirationem, quod nulla ſit ſtomachi, cordis, præcordiorumque compreſſio, ſed alio materia traducatur. Quoniam enim, ut Galenus diligenter explicat, partes anteriores magis ſunt venoſæ & arterioſæ, poſteriores autem nervoſæ membranoſæque magis, eadem materia tum foris admota, tum per cæcos internoſque ductus tranſlata in eodem corpore varios producit effectus: Frigida aqua poſticis applicata affuſaque magis moleſta eſſe ſolet, quam ſi anticis: præterea ſi vapor feriat partes anteriores

Com. in aph. 22. l. 1. & com. in aph. 1. l. 4. Fernelius videtur uteri furorem cum neſcio qua converſione uteri ad coxas confudiſſe. An hoc ſit verum dubitari poteſt.

Verba tamen hæc græca in com. in Epid. & prorrh. diſtinguit Gal. cum Hipp. Cap. de hyſterica ſuffocatione.

Error Hollerii.

Holler. eodem in cap.

Com. in aph. 65. l. 5. apho. Hipp. de liquidorum uſu.

(*i*) Leviter delirare, nugari, temerè obloqui, & abſurda, deſipere & leviter inſanire.

(*k*) Eſſentia.

(*l*) Suffocatio hyſterica à ſuffocando, id eſt ſtrangulando.

riores cerebri insaniæ metum afferret, si posteriores, tremoris, horroris, ac convulsionis. In hystericis itaque materia non perducta per partes priores eam δύσπνοιαν (*m*) non est allatura. Tamen si in strangulatu uteri, contorsio, aut derelictio propriæ sedis ipsius uteri est, nullus adesse poterit integra respiratione, quoquoversus se illa materia propripuerit. Ideo in strangulatu voluit Aëtius moveri uterum, in furore eumdem manere. Et inde quæstiones moveri possunt an uterus ita moveatur, de qua priore quæstione ante plenissime dictum est, & an necesse sit de suo dimoveri detrudique loco, ut efficiatur is, qui essentiam morbi constituit, strangulatus. At ex prioribus Hollerii verbis & strangulatum abesse posse patet, siquidem est magna respiratio, & motum materiei aut in hanc aut in illam partem varias hystericæ passionis ideas constituere. Nisi forte dicat quis videri quidem virginem strangulari, non tamen necessariam esse respirationis interceptionem: immo & in dominatu irritationeque vermium vidimus puellas ita affectas, ut sibi præcludi fauces narrarent, quum tamen libere satis spiritum ducerent; & in attonito morbo, quem ἀποπληξίαν ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττεσθαι (*n*) nuncupant, & faucium intercluſionem, & libertatis respirandi interceptionem, & privationem motus & sensus, quum tamen nullus uterus, aut alia similis in corpore pars turgeat, loco moveatur, impetumque faciat, & alias situ superiores pessundet & opprimat, unde suffocatio consequatur. Ac de motu uteri magna est inter primarios Medicos dissensio, nondum decreta definitaque, quod in primis distinctionem inter strangulatum uteri, & furorem obscuram reddat. Sed Hippocrati hoc loco subscribamus qui ἀνατροπὰς καὶ κινήσεις καὶ πλάνας τῆς ὑστερίων (*o*) animadvertit. Sed Galenus multis convincit rationibus motus ipsius principium non esse ab utero, sed per consensum tantum fieri & διὰ τὴν ἀδελφίξιαν, id est communionem, consensum & cognationem aliarum partium repletarum aut siccatarum, aut aliud simile patientium: Verba hæc sunt Galeni. *Similiter uterus modo sursum abit, modo in latus promovetur, nec id quidem proprio suo motu, sed ab altero tractus e sede propria recedit; quæ enim trahunt multa sunt: nexus enim, nervi, arteriæ, venæ quæ in ipsum pertinent, omnia hæc id efficere possunt, quum in tumorem exturgentia tantum dement de longitudine quantum in tumorem creverat. Et hoc commune omnibus corporibus quæ distentiones & contractiones habent.* Et quod mirum est ut suam defendat sententiam exemplum affert viduarum hystericarum quibus vasa sanguine non implentur, & propterea a plenitudine non contrahuntur: *in iis*, ait, *feminis suppressio hystericæ affectionis causa est, quum nulla fiat retractio uteri.* Tandem concludit perversionem uteri eorum symptomaton quæ hystericas virgines infestant causam non esse, sed plenitudinem ipsam: quod a ratione alienum videtur: nam & malignus vapor, & contractio, & plenitudo, concurrere videntur. Pars vero ipsa, uterus nempe, adeo magnum consensum cum partibus nobilioribus

Hipp. aph. 65. l. 5.

Lib. de superfet. l. de locis in homine l. 3. de Articul. part. 100.

Com. in part. 100. l. 3. de Articulis.

Cap. 5. l. 6. de locis aff. 3.

(*m*) Difficultatem respirationis.
(*n*) Apoplexiam à percutiendo.
(*o*) Subversiones, & motiones & errores uterorum.

lioribus affert, ut eas facile in ſuæ affectionis contagionem trahat. Ac paullo ante diximus in nonnullis hyſtericis aliquando ſervari reſpirationem quod materia non appetat præcordia, ſed alio converti videatur, & quod prout anticas, aut poſticas corporis partes humor ſollicitet petatque, ita varietas ſymptomaton contingat: Sed tamen mirum eſſe poſſit quomodo ſuppreſſa evacuatio aliqua alias corpus totum refrigeret, alias reſpirationem intercipiat, alias alia adferat. An ea varietas ex parte membrorum partiumque affectarum, an ratione humorum contingat, an utrorumque: Galenus in eo laboravit, ſed paullo generalius ediſſeruit: Ita ſcribit, *pro ratione multitudinis qualitatiſque tum menſtruorum tum ſeminis, alias aliæ ſymptomaton ſpecies oriuntur. Nam noxia cauſa univerſum corpus refrigerare potente adeo vehementer refrigeratur corpus, ut & reſpiratio, & arteriarum pulſus deprehendi nequeant. Quæ ſi craſſa fuerit vel acris, convulſiones; ſi atræ bilis naturam habuerit, mœſtitias; aut animi quoque defectiones & ad fortes extenſiones, & refrigerationes, & ſtomachi æſtuationem ſequuntur.* Diſtinctionem quoque affectuum a varietate humorum & qualitate petit idem dum explicat quid adferat ſomnus in febribus quibuſcum juncta ſit plethora: *ſi*, ait, *humorum multitudo magis ad atræ bilis naturam vergit, timores fiunt; ſed ſi talis non fuerit, labores & convulſiones perpetuo oboriuntur* in hyſtericis virginibus, quum materiam neceſſe ſit acrimonia præditam eſſe. Non enim omnis ſuppreſſio menſium aut ſeminis hyſtericæ affectionis cauſa eſt, nec quovis tempore, ſed quum diuturna eſt, ut temporis diuturnitate humores aliam naturam induerint, immo eo malitiæ devenerint, ut ſua virulentia toxicum ipſum adæquent. Quod demonſtravit Galenus dum ait neceſſum eſſe, ut omnis humor diutius in corpore moram trahens corrumpatur, quod nec conſentaneus naturæ, nec alienus idem manere diu poſſit. Si iſta diuturna eſt ſuppreſſio, cacoethia jam contracta eſt, proinde & acrimonia, quæ ſi requiritur ad convulſiones faciendas naturamque ſollicitandam (ut de ſternutamento docet Galenus, quod ait non a quavis cauſa frigida fieri, ſed aut a flatulenta, aut acri) in omnibus hyſtericis affectionibus convulſiones conſequentur. Cur enim elatus a tibia vapor convulſiones peperit, idem non faciet cumulus vaporum ſuppreſſis excrementis circum uterum elatorum? Itaque male meo judicio Galenus varietatis eorum ſymptomaton cauſam reperit ab humoribus ipſis (quamquam & juvat plurimum ea qualitas) ſed duas potius cauſas aſſignare debuit, nempe ſecretionem (quam barbare practici ſequeſtrationem vocavere) humorum a ſanguinis maſſa, & naturam partium per quas vapor aut efferus humor fertur, aut quas impetit, aut in quibus reſidet ac reſtagnat. Nemo enim dubitat alias & affectuum & dolorum differentias ſequi ſi in nervoſum genus humores incubuerint, alias ſi in venoſum, alias ſi in muſculoſum, alias ſi in membranas, alias ſi per inania ſpatiola humor relatus fuerit. Quamdiu enim in venis humores continentur aut fluunt, longe aliter ſeſe res habet, quam quum in nervos incurrerunt. Et multis per inanes mæandros cæcoſque corporis ductus, acres vapores inferne feruntur, qui ſi nervos invaderent, convulſiones nervorumque affectus afferrent: quod Hippocrates explicavit, dum rationem

Conſenſus uteri cum ceteris partibus. Cap. 5. l. 6. de loc. aff.

Com. in aph. 67. l. 4.

Gal. c. 5. l. 2. de locis differ. feb.

Com. in aph. 51. l. 7. In lib. de loci aff. 4.

reddit cur quum in hydropicis artus omnes humore imbuti ſint dolores articulares non oriantur, quum tamen paucula materia atroces nervorum dolores afferre ſoleat. In hydropicis fluxum refluxumque materiei animadvertit, in arthritide obſidionem in nervo. Sed in hyſtericæ ſtrangulationis explicatione multi fuimus, quum tamen de furore uteri inſtitutum eſſet diſputare: ſed rerum affinitas eo nos adduxit. Nunc ad furorem uteri redeamus. Jam explicuimus quibus ſignis furor uteri a ſtrangulatu diſtingueretur, nunc tria reſtant explicanda, quale ſit delirium virginum furore uteri detentarum, quibus item hic morbus contingat, & an materia aliqua ſit quæ communicetur cerebro; de tertio dicam paucis. Strangulatus uteri magis materialis eſſe videtur: quum & ichor, & vapor, & humor eum indicat: declarat ſanatio: nam pleriſque hyſtericis quum liberarentur a paroxyſmo contigit aut ſeminis aut rei ſimilis excretio, parteſque pudibundæ velut madefactæ viſæ ſunt. Sed furor uteri expers materiæ eſſe videtur. Quemadmodum enim diaphragmate inflammato ita laborat cerebrum τῇ συμπαθείᾳ (p) ut omnia phrenitidis adſint argumenta, non quod materia communicetur, ſed ob ardorem partis quæ cum cerebro magnum conſenſum habet, immo in qua quidam ſapientiæ ſedem conſtituerent (quamquam hoc Hippocrates explodit), ita æſtu quodam ferveroque occulto uteri, tamquam partis ſenſu exacto præditæ, perturbatio aliqua mentis contingit, quam furorem uterinum vocaverunt. Cur non utero ut & ori ſuperiori ventriculi appetitus quidam inceſſat rei jucundæ? Etenim dum natura partes conſtruit & effingit, ita eas comparat, ut illæ proprias functiones aggrediantur & perficiant nulla doctrina edoctæ, ſed ſolo inſtinctu motæ, & inter ceteras exacto ſenſu alias donavit quæ rerum quarumdam deſiderio teneri ac langueſcere videntur. Numquid enim ventriculus in fame animali, facta velut in chorea harum illarumque partium attractione, ſuctionis ſenſum quidem habet, immo præ inopia adlatrare quodammodo videatur? Quod ſi ventriculo evenit, cur non eodem jure idem utero contigerit? ut non abs re animal facultate concupiſcendi præditum Plato vocarit: quod tamen Galenus confutat. At noſſe debuit Galenus quemadmodum a Langio doctiſſime explicatur, uterum ut & reliquas corporis partes quadam vernacula congenitaque vi res proprias conſectari, contrarias vero averſari; & ut pars diviniore quadam vi ſenſuque exquiſitiore prædita eſt, ita expetitio deſideriumque rerum ſuavium magis in propatulo eſt, & averſatio fugaque injucundarum. Non inepte itaque ab illa ſenſus deſideriique præſtantia quæ in utero rerum venerearum ardore parturiente apparet animal concupiſcens vocatur, hinc furores in utero, hiatus quodammodo, titillatio, orgaſmus, impetus ad venerem, & in maribus priapiſmus, pudendi arrectio quæ inſpecta formoſa muliere, aut attactu illius ſolo, aut baſiolo tamquam in articulo contingit: & narrant mulieres pruritum ſæpe uteri perſentire ludi venerei deſiderio excitatum. Quo vero tam ſubitam pudendi arrectionem revocares niſi ad innatam illis partibus cupiditatem qua geſtiunt

Hipp. l. de locis in homin.

Hipp. ſub finem l. de fac. morb.

Gal. c. 6. l. 6. de loc. aff.

5.

Langius Epiſt. 23. l. 1.

6.

Cap. 6. l. de loc. aff.

(p) Conſenſu, ſympathia;

fiunt turgentque facultate ea præſertim quæ voluptate eſt ſuſcitata? Maxime vero, ut ad ſecundam inſtituti partem accedamus, & furores & priapiſmi contingunt iis qui temperamento calidiores ſunt cum animi quadam impotentia & concupiſcendi facultatis robore: ac tum quum aut rerum iſtarum obſcœnarum uſu edoctæ ſunt, aut auditu eruditæ ac pellectæ, unde narrat Galenus pleriſque intermiſſo veneris uſu, & graviſſimos dolores capitis & ἀθυμίας (q), triſtitias melancholicaſque paſſiones, inappetentias, febres denique ipſas contigiſſe: alios torpidulos, timidos, ignavoſque redditos: illos arboribus immodice fructiferis Plato comparavit: aliis palpitationes arrectioneſque aſſiduæ colis contigerunt; hujus rei rationem reddit Galenus ex Platonis ſententia, ignavia corpus exſolvit, proprii autem officii exercitatio robur addit. Nam quum venere uti conſuevimus vaſa ampliora reddita ſunt, major ſanguinis & ſpiritus fit attractio, unde exercendæ veneris cupiditas increſcit. Contra evenit quibusdam Cantoribus & Athletis qui laborioſis muniis animum corpuſque addicentes, quum nullam vitæ ſuæ partem veneris illecebris contaminarent, iis pudendum effetum, rugoſum ac collapſum erat. Itaque ſi virgines ſalaciores ſint & quicquam de voluptuoſo amplexu audiverint, facile uterino furore corripiuntur: qui quum adeſt, mens perturbatione quatitur, dumque delirant de venere libidineque loquuntur, ſatiſque verborum obſcœnitate declarant avide concubitum appetere: & niſi brevi jucundum hymenæum celebraverint, præſertim formoſi amatoris blandis colloquiis laſcivoque baſio pellectæ, expalleſcunt, maciantur, moriuntur denique ut quotidiana experientia conſtat: at nubant potius quam urantur, niſi votum pietaſque impediat. Et hoc uterini furoris ſuum ſit remedium. Tamen ne deſint remedia quibus aut abſentia mariti, aut contrahendarum nuptiarum difficultate furor iſte vires acquirens compeſcatur, brevi hæc explicabuntur. Hic & capiti & utero proſpiciendum eſt: tametſi enim ab uno utero mali prima labes ſit, tamen quoniam cerebro facile impreſſio fit viſque infertur, quum utero proſpectum fuerit, ad caput ipſum læſum & facile ex ſympathia in προσοπάθειαν (r) incidens eſt concurrendum. Utero autem conſulemus aſſumptis & admotis. Decoctiones parabuntur ex blito, portulaca, cucurbita, peponibus, atriplice, ſemine melonum, cucumeris & conſimilibus quibus vis inſit refrigerandi & humectandi: quin etiam emulſionibus locus eſſe poterit, ut in urinæ ardore, miſtis iis quæ tenuitatem partium habent, ut artemiſia, nepetha, matricaria, biſtorta quæ operam utero dicant: ita facile frigidiorum vis ad uterum devehetur: emulſiones parabuntur ex polygono, umbilico veneris, plantagine, nymphea, ſempervivo, portulaca, lactuca, addito parthenio, meliſſophyllo, ſabina, hyſſopo, ſeminibus frigidis, tum quæ majora, tum quæ minora vocantur, ſemine pœoniæ & urticæ mortuæ, nec non hordei; affundetur aut aqua nympheæ aut liliorum; poteſt addi nonnihil trochiſcorum de camphora. Notandum vero illud quod Aëtius ex Sorano trochiſcos

Cap. 5. & 6. l. 6. de loc. aff.

Sub finem l. de loc. aff.

Cap. de furore uteri.

Dioſcorid. c. 24. l. 1. Aëtius c. 99.

(q) Animi defectus & imbecillitates. (r) Affectum primarium.

ſerm. 1. tetrab. 4. Paullus l. 7. duplex cyphi facit ſolare & lunare, & utrumque epithematibus admiſceique, cyphi ideo vocantur. Dioſcorid. c. 26. l. 1. Aëtius c. 50. ſerm. 3. tetrab. 2. Croci vires in curat. furoris uterini. Cap. 25. l. 1.

Trigoni præſcribit quorum deſcriptionem non inveni. Veriſimile eſt eos ex iis componi quæ temperandi & refrigerandi vim habent: ut poſſent eo pertinere trochiſci de camphora deſcriptionis Meſuæi, & quod mirum eſt illis trochiſcis admiſcet portiones æquas crocomagmatis & cypheos aromatici. Sunt autem compoſitiones ex Dioſcoride & Aëtio in quarum complexum multa calida ingrediuntur: in cyphi uvæ paſſæ aſſumuntur, terebenthina uſta, myrrha, cinnamomum, flos junci odorati, cyperus, bdellium, mel, vinum odoratum. Ad viſcera ulcerata, obturatas partes nec non ad ſuſpirioſos opinione Dioſcoridis valere dicitur. Crocomagma vero componunt crocus (quod largius hunc aſſumunt ita nomen meretur) myrrha troglodytica, roſæ ſiccæ & gummi aliquot. Dubitatur autem an crocomagma & cyphi aromaticum uſurparit Soranus in cibo, an in admotis: utroque enim modo accipi poteſt: nam & illita dolores capitis leniunt, & aſſumta calefaciunt, coquunt, urinam cient. Sed ſi crocus cerebrum maxime ferit, ſi replet caput, quis ejus uſus eſſe poteſt in furore uteri quem & calidioribus naturis contingere diximus? conſentaneum enim eſt adaugeri calorem rerum calidarum uſu, malumque malo cumulari: immo ex Dioſcoridis ſententia crocus venerem ſtimulat; at uſu crocomagmatis & ſimilium immoderatum rei venereæ appetitum compeſcere ſtudemus. Si vero quis objiciat coquere, mulcere, mitificare, apteque cataplaſmatis miſcere ſolere: verum illud, quum ad ſuppuratum tenditur. Sed in furore uterino nil tale intendimus, immo nil aut exiguum eſſe in hoc affectu materiæ demonſtravimus. Iſtis objectionibus fiet ſatis ſi dixerimus crocomagma ſolum non uſurpari, ſed frigidioribus ad contemperationem admiſceri: aut potius id fieri maxime quod inflammationes ad ſacrum ignem vergentes crocum juvet plurimum, quod in variolis papuliſque puerorum apparet, quibus oculi croco illiti venenatam ſerpentemque papularum ecthymatonque vim facile depellunt. Verendum eſſet ne ſi frigida ſola adhiberemus, uterus læderetur, cui tamquam parti nervoſæ frigus obeſſe ante ex Hippocrate docuimus: Ideo etiam in phrenitide affectu calidiſſimo remedia frigida calidis contemperantur, ne in contrarium affectum pars adducatur. Sed id facilius metuendum eſt ubi materia aliqua adeſt quæ affectum alit: nam dum quæ ſunt frigida applicantur, duplex incommodum ſequitur, unum quia difflatu prohibetur materia acris & tenuis quæ affectum committit: alterum incommodum eſt quod quum calidum & frigidum par in agendo tempus habeant, diſpar ſit ſecuritas. Galenus 7. *method.* 4. *acutorum.* Utpote ex ſententia Hippocratis febris ardens fit quum tenues ichores a venulis arefactis attrahuntur: deliria oboriuntur tribus de cauſis, quum in febre ſanguis (qui plurimum ad prudentiam facit Hippocratis ſententia) de propria ſtatione dimovetur, quum concitatur, & ſeroſus ichoroſuſque fit, (quod græce dicitur διωρεῖν) accedit & quod tetri vapores ſurſum efferuntur. Uſu frigidorum, præſertim ſi hypnoticum quid habent, præſertim quum applicantur, reprimuntur intro ii tetri vapores qui mentis arcem magis labefaciunt, & quum alioqui fluant refluantque eorum motus ſiſtitur, ut mirum non ſit ſi in partem in qua ſiſtuntur tyrannidem exerceant, & pro affectu momentaneo, ac fugace conſtans fixuſque

Hipp. l. de Aliment. Aëtius c. 2. tetrab. 2. l. 2.

Hipp. 1. de morb. l. de flatib. de ſac. morb. Hipp. l. 1. de morb.

fixuſque inducatur. Sed in uterino furore minus eſt formidabilis refrigerantium uſus, quod nil tale metuamus. Eo autem magis immoderatos eſſe ſæpe hic oportet; omnemque medendi ſeriem pervertere quod cum mulierculis res ſit, quibus hoc proprium eſt ob ingenii impotentiam ut nitantur in vetitum negataque cupiant, & maxime cum iis quibus uterino affectu mens aberrat, deliratque: captanda tamen eſt occaſio, & vi cogi debent, ſi nil precario fieri poteſt. Etenim muliercularum affectus ſæpe ſunt immedicabiles, quod omne remedii genus rejiciat, & tantum ſi qua fors tulerit, nonnulla admittant. Jam vero utero foris hæc applicari debent: primum ſtupæ cannabinæ in aqua frigidiſſima maceratæ exprimentur, deinde in butyro & oleo violato, aut roſaceo, aut nenupharino madebunt, eoque ſatiabuntur, & toti ventri applicabuntur. Vel, *Therapia fororis uterini.*

℞. *Solatri, aeizoi, ſonchi, umbilici veneris, portulacæ, lactucæ, mercurialis, ana, man. iij: caput papaveris contunde, exprimatur ſuccus, additaque portione myrrhæ & camphoræ & lib.* ß *olei roſati immergantur lintea; & oſſi ſacro, lumbiſque admoveantur.* Item, *Fotus, linus; unctiones.*

℞. *Oxyrhodini, lib. iij: pulveris ſantalorum, dr. iij: crocomagmatis, unc. ij: philonii Romani, unc.* ß: *miſce & fiat unctio ad eaſdem partes.* Vel,

℞. *Folia hyoſcyami decem, lactucam, portulacam contunde cum oxycrato, & oxyrhodino: poſſunt addi ſemina aniſi, fæniculi, ſeſeleos, ad frigoris contemperationem.*

Vel, eadem hyoſcyami folia, & capita papaveris in vino albo macerabuntur, & admovebuntur, ut ſtudeatur conſervationi partis: immo & caſtoreum addetur. Soranus utero calidiori mercurialem applicat circum pectinis oſſa, & peſſulos format in ſinum pudoris immittendos. Unguentum roſatum Meſuæi & refrigerans Galeni conferet. Hydroroſatum confert: & philonium romanum, & antidotus ſeu opiata zazenea quæ & azaranii eſſe dicitur, hæc caſtoreum, opium, piper, macropiper, galbanum, coſtum, cinnamomum, phus daucum, aſarum, crocumque admittit, ut ex Avicenna patet. Etſi enim hæc antidotus ut & philonium romanum magnos uſus habet in doloribus a cauſa frigida obortis, ſi recens parata ſit propter opium in furioſis affectibus plurimum eſt profutura. Inter cetera vero Nicolai requies ita vocata a Romanis, ut ſcribit Alexandrinus; quod in acutis febribus, affectibuſque cum inquietudine agitationeque junctis mirum afferat fructum. Et ad eam formulam ita effingi poteſt ſimile: *Avicennæ l. 5.*

℞. *Roſarum, coriandri præparati, ana, pug.* ß: *violarum, dr. ij: opii, hyoſcyami, papaveris albi, corticum mandragoræ, nucis moſchatæ, cinnamomi, ambræ, ana, dr. j: ſeridis, pſyllii, polygoni, ana, pug. j: ſantali utriuſque, ſpodii, tragacanthi, ana, ſcr. j: ſacchari candi unc.* ß: *ſacchari & ſucci roſarum, quantum ſatis: fiat opiata, ut ars docebit. Uſus erit ad ſcr. ij: aut dr. j: aut* *Opiata.*

℞. *Aquarum meliſſophylli, betonicæ, acetoſæ, aromatizatarum pauco cinnamomo, & electuarii diatragacanthi frigidi, aut diamargariti frigidi, ana, unc. j*ß: *opiatæ prædictæ, dr.* ß: *trochiſcorum de camphora ſcr. j: julepi roſati, unc. j: fiat potus: addi poteſt conſerva florum nepupharis aut roriſmarini.* *Potio.*

Temporibus & fronti hæc applicabuntur.

Frontalis. ℞. *Succorum lactucæ, & portulacæ, ana, unc.* ß: *aquæ roſarum, unc. j: pulveris betonicæ & ſalviæ, ana, dr. j: cum æquis partibus unguenti ex oculis populi facti, & unguenti roſati Meſvæ fiat frontale.* Vel

℞. *Conſervarum nenupharis, violarum & anthos, ana, unc.* ß: *populeonis, dr. ij: oxyrhodini, unc. j*ß: *intingantur lintea & applicentur fronti.*

℞. *Pulveris coriandri, unc.* ß: *florum violarum, roſarum, & nenupharis, ana, pug. j: ſeminis lactucæ, hyoſcyami, papaveris albi, vel nigri, ana, dr. j: ſantali albi, ſcr. j: florum lavendulæ, dr. j: caphuræ, parum: fiat pulvis excipiendus ſindone interpuncta pro frontali.*

Hoc tamen notari poteſt in uſu τῶν ἀναλλιμμάτων (*s*) quæ fronti applicantur, ſi affectus calidus eſt & ſiccus, utendum iis eſſe potius quæ humida ſunt actu: Sin humidus affectus, iis quæ ſicca ſunt. In delirio uterino utendum humidioribus ob cauſam ſupra dictam.

℞. *Olei roſati, nenupharis, violacei, ana, unc. j: opii, dr.* ß: *illinantur nares interiores ad ſomnum conciliandum.* Opio locus eſſe non debet ſi corpus molliuſculum ſit, niſi vis ejus emendetur floribus lavendulæ, nuce moſchata, caryophyllis, pulvere majoranæ: non autem croco, euphorbio, aut caſtoreo: ſunt enim καρηβαρικά.

Plurimum intereſt ut concilietur ſomnus, alioqui verendum eſt ne vigiliarum aſſiduitate & conſumptione ſpirituum animalium partes ab exhauſto laborent, unde augeantur cerebri ſymptomata, immo & phrenitis aucta calida & ſicca intemperie contingat: itaque & caput & pedes humectandi ſunt: caput quidem eo modo. Maxime vero conferent emulſiones vulgo dictæ quæ ad ardorem urinæ inſtitui ſolent, ſed ad devehendam earum vim uterinas herbas adhibere oportet.

℞. *Lactucæ, portulacæ, plantaginis, ſempervivi, polygoni ſeu geniculatæ, ana, man. j: ſolani, pug. j: florum violarum, nenupharis, florum narciſſi, ana, pug. iij: foliorum lambruſci & vitis ſativæ, ana, man. iij: ſeminis melonum, cucumerum, lactucæ, ſcariolæ, coriandri, ana, unc. j: meconii, pug. j: florum roriſmarini, & lavendulæ, ana, pug. ij: fiat decoctio in aqua decoctionis capitis vervecini: irrigetur caput eo decocto; vel vapor illius decocti adempto capite vervecino excipietur naribus:* Potio hæc interea dari poterit.

℞. *Lactucæ, ſempervivi, morſus, ſalviæ vitæ, ana, pug. j: ſeminis lactucæ, & papaveris, ana, dr.* ß: *florum nymphææ, narciſſi, & vitis, ana, pug. j: florum anthos, ſtœchados, ana, pug. j: ſeminis coriandri, dr.* ß: *fiat decoctio: diſſolve ſyrupi de agreſta, & nenupharis, ana, unc.* ß: *philonii Romani, ſcr. j: pulveris diamargariti frigidi, gr. viij: fiat potus.*

Emulſiones. ℞. *Paſſularum Corinthiacarum, jujubarum, ſebeſten, & prunorum, ana, unc.* ß: *lactucæ, ſcariolæ, portulacæ, & plantaginis, ana, man. j: artemiſiæ, pug. j: ſeminis bombacis, melonum, cucumerum, citrullorum & lactucæ, ana, dr. j*ß: *ſeminis meconii, dr. j*ß: *florum nenupharis, pug. j: fiat decoctio: in colaturæ libr. j. diſſolve electuarii diatragacanthi frigidi & ſyrupi de althæa, ana, unc. ij: fiat emulſionis modo.*

Herbarum ſupradictarum decocto, adaucta quantitate ſolatri, fovebuntur

(*s*) Frontalium.

tur pedes, immo addetur pars aliqua oxycrati: folia ſalicis valent plurimum.

Capiti deraſo oxyrhodinum affundetur: vel pulvis qui ſequitur cujus magnus eſt uſus.

℞. *Pulveris coriandri, unc. j: ſeminis papaveris albi, lactucæ, florum nymphææ, violarum, dr. jß: florum anthos, pug. ij: granorum tinctorum, pulveris roſarum, ana, dr. j: fiat pulvis quo caput perſpergatur.*

Nos aliquando mulieri medicinam fecimus quæ magna furoris uterini & phlogoſes argumenta habebat: Paullo ante metus erat volvuli ob ἐπιφλόγισμα (*t*) ventris inferioris. Clyſteribus anodynis refrigerantibus paratisque cum decocto capitis vervecini cum herbis refrigerantibus alterati: item frequenti venæ ſectione ei occurſum eſt. Incredibilis æſtus erat in lumbis, calor in profundo ſinus pudoris percipiebatur, illa ſæpe divexabatur adeo ut nulla ope medica occurreretur. Somniabat ſe rem cum marito habere, ab eoque tempore omnia ſunt exacerbata. Colligebamus, aut uteri furorem eſſe, aut phlogoſin quamdam. Tantus plantæ pedis & ſurarum dolor erat, ut eam pæne ad rabiem adigeret. Urinæ ſæpe præ ardore nigricabant, alias aliæ & diſtantes: at diſtantes urinæ tumultus perturbationiſque ſunt argumenta ex ſententia Hippocratis. Non erat ingens febris; uſu peſſorum levabatur præſertim quum loco peſſi ſubderetur candela ex ſevo arietino. Inſeſſus parati ſunt ex ruta, chamæmelo, meliloto: nil proficitur; oxyrhodinum pectini ſæpiſſime affundebatur, olea chalaſtica & anodyna in uterum per metrenchiten injiciebantur: Aegreſcebat medendo. Tandem hoc remedium parum quidem tutum uſurpatur, quo ſolo convaleſcit. *Hipp. aph. 33. l. 3.*

℞. *Radicis altheæ & ebuli, ana, unc. iv: plantaginis, malvæ, ſenecionis, umbilici veneris, burſæ paſtoris, biſmalvæ, chamæmeli, ana, man. iij: creſſionis, man. iij: ſeminis lini, cydoniorum, pſyllii, lactucæ, ana, unc. jß: ſeminis fœni burgundici, & altheæ, bombacis, melonum, ana, unc. ij: hyperici* (quod in ſegetibus naſcitur, foliis rutæ & refrigerandi vim habet Dioſcoridi), *hyoſcyami & papaveris albi, ana, man. iij: fiat decoctio in aqua: tranſcoletur per ſetaceum: adde mucori tranſmiſſo opii thebaici & populeonis, ana, unc. jß: fiat cataplaſma pro pectinis oſſe & inguinibus.* *Cataplaſma.* *Dioſco. c. 63. l. 4.*

Eadem materies in lebete incocta eſt: decoctum in vas inſeſſui aptum immittitur. Ea inſedit: & ex parte ejus per μητρυγχόω (*u*) in ſinum pudoris infuſum eſt. Renum regioni illinitur hoc quod ſequitur. *Semicupium.*

℞. *Unguenti Comitiſſæ, unc. iv: philonii romani, unc. iij: pulveris coriandri & chamæmeli, ana, unc. ß: ex his litus fiet ad partes ſupradictas.* *Litus.*

Præterea & veſicæ ſuillæ decocto ſuperiore implentur admoventurque lumbis & pectini, item & hoc.

℞. *Mucoris ſeminis pſyllii extracti in aqua plantaginis, lib. ij: butyri colati in aqua roſarum, lib. ß: trochiſcorum alborum Rhaſis, & de camphora, ana, unc. ß: unguenti refrigerantis Galeni, unc. ij: fiat linimentum.* *Litus.*

Omnia hæc remedia & in furore uterino, & in uteri inflammatione (præſer-

(*t*) Ardorem & deflagrationem. (*u*) Metrenchyten.

(præſertim ſi materia multa non ſit, ſed phlogoſis) aptiſſime uſurpari poſſunt. Quoniam in remediorum ſuperiorum uſu narcotica ſæpe uſurpavimus, ſive utero conſuleremus ipſi, ſive ſomnum conciliare ſtuderemus, non alienum erit docere cautionem hic maximam adhibendam eſſe. Quod enim Hippocrates ſcribit, nil temere, eo id conſilium pertinet, ut interea dum prodeſſe ſtudemus, non obſimus. Quamquam propter rerum difficultatem, & eam periclitationem quam rebus ambiguis ſuſcipere debemus, multa ſæpe ſunt aggrediunda, de quibus eventum præſtare ſæpe in nobis ſitum non eſt: itaque quod in Oratore Marcus Tullius, id in Medico prudenti deſideramus: etenim Medico maxime cavendum ac providendum eſt, idque illum ſollicitare ſumme debet, ut dum prodeſſe elaborat ne quid obſit: Et quamquam in utroque enitendum ſit, tamen multo eſt Medico turpius nocuiſſe videri, quam non profuiſſe: quod quum alias proſpiciendum eſt, tum maxime quum cogitamus περὶ τ παρηγορικῶν κ ἀνωδύνων (x). Sunt enim plerique qui quoties de ſedando dolore agunt, primo quoque tempore ad narcotica confugiunt rati ſedandi doloris rationem omnem in ſtupefacientibus collocari: at narcotica καταχρησικῶς (y) tantum ἀνώδυνα (z) dicuntur: ſedant quidem dolores, ſed magno partium incommodo. Illis relictis paucula remedia ad furorem pertinentia perſequamur. Peſſi ex uſu ſunt ex ladano, gummi tragacanthæ, & quibuſdam aliis quæ temperandi vim habent, aut ex mucagine ſeminis pſyllii extracta in aqua uterina, addito momento ceræ, & granis quinque zibethi aut moſchi. Ita enim revelletur impetus illius conſenſus cum partibus ſuperioribus: nec furendi tanta erit occaſio. Præterea ſi cogi poteſt ad inſeſſus aut balnea, ex aquis temperatis in quibus folia vitis agreſtis aut ſativæ, aut ſalicis, aut nenupharis incoquentur. De furore uteri hæc dicta ſint. Nunc ad ſuffocationem hyſtericam.

Hipp. 6. Epid. Cautio adhibenda in uſu narcoticorum. Hæc ex l. 2. de Oratore. Nota.

Vide Gal. c. 19. l. 5. de ſimpl. med. fac.

Ne quis temere hyſtericam ſtrangulationem cum quovis affectu uterino confundat, jam ante notas aliquot exhibuimus: nec ſolum in eo difficultas exſiſtit ut ſtrangulatum vulvæ a reliquis ſymptomatis hyſtericis diſtinguas, ſed ut a melancholicis & cardiacis ſepares. Si enim vaporis natura conſideretur plurimorum venenorum conditione frigidus & melancholicus eſſe videtur: unde & mulieres hypochondriacas vidimus quæ eadem cum hyſtericis mulieribus paterentur: ut ægre admodum Medici dignoſcerent uteruſne illius fundi calamitas eſſet, an hypochondria. Quid de hyſterico ſtrangulatu dicam, haud in promptu habeo. Quidam enim ſtrangulatum uteri definiunt vulvæ ad ſuperiora recurſum principaliſſimas partes in doloris conſortium perducentem: ſuffocatio autem nil aliud eſt quam reſpirationis defectus: Idem Soranus, ut ante dictum eſt, voluit: nam ſtrangulatus uterini eſſentiam quodammodo in motu illo recurſuque conſtituit. Fernelius autem aliud ſtatuit πνίγα ὑστερικὴ (a), aliud τῆς μήτρας ἀναῤῥωτίλυσιν

Gorræus in definition. Uteri ſtrangulatus definitio.

Fernel. c. 16. lib. 6. de par. morb.

(x) De Paregoricis & Anodynis.
(y) Abuſivè.
(z) Narcotica.
(a) Suffocationem uterinam.

ῥωσίαν (*b*); ut differat uteri πρόπτωσις ἀπὸ τῆς καταῤῥοσίης (*c*), & ut κατωῤῥοσίη (*d*) opponatur τῇ ἀνωῤῥοσίῃ (*e*). Aſcenſus autem uteri hæc ſunt ſymptomata, dumtaxat premitur mulier quodam præcordiorum dolore, ſpirandi difficultate aut animi defectione, ſine metu, delirio, aut alio ſymptomate graviore; at longe iſtæ opiniones diſcrepant, & multum intereſt an ſtrangulatus uteri per aſcenſum & recurſum definiatur: ut forte hoc loco excuſari poſſit Galenus, dum diſputat de aſcenſu uteri. Negat tam gravium horrendorumque ſymptomaton quæ in hyſtericis obſervantur cauſam uteri aſcenſum eſſe: id rationibus multis convincit. Si quid corporis uteri aſcendat, perexiguum id eſt, nec ſufficiet ut totum ipſius ſpatium ne ad ventriculum quidem aſcendiſſe oſtendat: tantum abeſt ut ventriculum prætereundo diaphragma pertingat. Quid ſi etiam attingat, an reſpirationem tollet, defectionem animi inducet, aut membrorum contractionem ſoporemque integrum? Nam & quum ventriculus intumuit cibo, reſpirationem non intercipit, & in gravidis mulieribus, aut quæ molam utero concluſam habent, quum tamen inteſtina premantur ſurſumque reſilierint diaphragma prementia, nil inducitur tamen quale in hyſtericis diximus apparere. Sic ſtrangulatus uterini aliam agnoſcit cauſam quam uteri recurſum: ut male & recentiores & priſci aliquot crediderint hyſtericam affectionem ſine eo recurſu non poſſe contingere. Tamen in eo peccaret Galenus ſi omnino ſtatueret nullam eſſe uteri ἀναῤῥοσίαν aut καταῤῥοσίαν (*f*): quod Fernelius & experientia & ratione comprobavit: Diſtinguamus uteri aſcenſum a ſtrangulatu, quoniam diverſa utriuſque ratio, diverſaque elucent ſymptomata: niſi forte complicati ſint affectus πνιξ ὑστερικὴ ἀφ' ὑστέρας ἀναῤῥοσίην (*g*). Et revera ſine errore recurſuque uteri ſuffocatio contingere poteſt. Incubo ſæpe ſuffocationis metus adeſt, & tamen uterus non eſt qui recurrit. Quod autem faucium videatur eſſe præcluſio, declarat etymon dictionis græcæ; ἐφιάλτης (*h*) enim alio nomine πνιγαλιὼν dicitur, & accommodate ſatis Πνιγαλιὼν ἀπὸ τοῦ πνίγεσθαι (*i*) appellationem invenit. Initio paroxyſmorum febrilium vidimus pæne ſuffocatos ægros, quum tamen uterus in cauſa non ſit: Itaque perperam rerum ſuaveolentium graveolentiumque partes ſuperas appetentis, quum non aſcendat nec recurrat: Vetus itaque illa explodi debet opinio, quum exiſtiment ſtrangulatum maxime ab iſto recurſu pendere. Jam vero ſtrangulatus uterini cauſam in tetro, acri, maligno & peſtilente vapore ſtatuimus, qui ab olida putrique materia in utero aut circum uterum contenta effertur, feritque partes ſuperas, & prout aut in nervos, aut venas, aut cæca corporis ſpiracula incurrit, ita varia inducit ſymptomata: adeo magna vis eſt vaporis & tetri halitus, ut non abs re Hippocrates ex ſententia Medicorum pneumaticorum, cujuſmodi fuit Archigenes, omnium pæne morborum cauſam ab uno flatu repetiverit. Cauſa itaque uterus eſt humore aliquo aut ſemine vitioſo putrique

Cap. 5. l. 6. de loc. aff. Cauſa a nonnullis ſtrangulatus ſtatuitur ſiccitas uteri qui dum humectari cupit furit; & ſtrangulatum facit. Hipp. l. de morb. mulierum in gravidis ſtrangulatus cauſam ſtatuit, quia humectari cupit.

Cauſa ſtrangulatus uteri.

Aëtius docte c. 68. ſerm. 3. tetrab. 4. ait ſtrangulatum uteri ſtatuo-

(*b*) Converſionem & aſcenſum uteri.
(*c*) Prolapſus à deſcenſu.
(*d*) Deſcenſus.
(*e*) Aſcenſui.
(*f*) Aſcenſum aut deſcenſum.
(*g*) Suffocatio uterina & aſcenſus uteri.
(*h*) Ephialtes.
(*i*) A ſuffocando.

ſam eſſe perfrigerationē, non autem inflammationem veluti Sorano videtur.
Gal. libel. de introd. pulſuum ad tyrones.

trique refertus, tetro, magiſque mordaci & frigidiuſculo vapore nobiles partes offendens: dicimus propinqua acceſſione torporem mentis adeſſe, pigritiam, crurum imbecillitatem, pallorem faciei & aſpectum oleoſum: Inſtante vero ſtrangulatio premit, ſopor gravis quem καταφορὰν vocant, deſipit mens, ſenſus intercipiuntur, vox perit, crura contrahuntur, malæ rubent, facies intumeſcit: pulſus, auctore Galeno, protenditur ac ſi convelleretur, cum raritate junctus eſt: quod ſi letalis ſuffocatio ſit, creber eſt, inordinatus ac nonnihil deficiens: Aliquæ ſine reſpiratione jacent. At hic gradus ſæpe ſunt: nec enim eadem in omnibus apparent ſymptomata, ne forte omnia. Nam ſi exigua mali cauſa eſt, ſublatus ex utero vapor viſcera ventriculumque feriens nauſeam quamdam movet, cui raro ſuccedit vomitio, ſæpe cibi faſtidium idque interdum cum ventris murmure, interdum ſine hoc. Si vapor in diaphragma thoraciſque partes effertur, reſpirationem brevem & crebram tamquam compreſſo pectore facit: ſimul cor obſidens defectionem animi levem inducit, qua vix pulſus immutatur: metus hinc atque deſperatio ægram concutit, plerumque tanta ut ſe mox morituram putet, nullaque ratione in ſpem erigitur. Malum autem altius in fauces invadens eas quaſi vinculo conſtringere, aut manu præcludere videtur, prorſuſque ſpiritum intercipere magno ſuffocationis metu. Ubi cerebri arcem conſcendit, alias furorem uterinum cum garrulitate, iracundia, & inquietudine movet, aut alia deſipientiæ genera metus horroriſque plena invehit: alias velut ſoporem inducit, ut ſine motu ac ſenſu mulier attonita jaceat, ſine reſpiratione, aliquando & ſine pulſu: quamquam aliquando pulſus conſtat validuſque eſt. Sub illius acceſſionis finem (quæ ſæpe more aliorum reducum morborum certa ſtataque periodo redit) humor quidam aliquando ex muliebribus locis excurrit, inteſtina obmurmurant, ſenſus excitantur, corpus firmari incipit: ſæpe deprehenditur frigus tum temporis e capite per cervicem in ſcapulam & brachium illabi, quod ſtuporem induceret, exhiberetque quamdam paralyſeos aut hemiplegiæ ſpeciem, quæ cito diſcuteretur. Quæri hoc loco duo poſſunt, cur iſte vapor malignus qui effertur aut a ſemine putri, aut a reſide menſtruorum colluvie epilepſiam, tetanos, convulſioneſque non inferat, ſed contra univerſi corporis perfrigerationem. Poſterius vero de quo quæri poteſt an ea ſymptomata horrenda quæ in hyſtericis apparent non poſſint in viris apparere, & an menſtrui ſanguinis ſeminiſque corrupti tantum ſint ſoboles. De priore ita paucis accipiendum. Certum illud eſt multas prægnantes mulieres epilepſia prehendi qua liberantur aut ſub imprægnationis finem, aut quum enixæ fuerint, ac revera etiam tetro vapore hyſterici affectus cauſa poteſt epilepſia induci: nam, ut ſæpe ante docuimus ex Hippocrate, prout exhalatio aut irrepit in poſteriores anterioreſve partes, aut eas ferit, aut genus venoſum, aut arterioſum, aut partem hanc aut illam invadit, ita varietas affectuum elucet. Quis enim neſcius eſt elata anathymiaſi ab utero convulſionem induci poſſe, ſi illa nervos occuparit; palpitationem cordis, ſi arterias; epilepſiam ſi anticas cerebri partes; cardiogmos, ſi oſculum ventriculi infeſtant. At quum vapores a partibus inferis aſſurgunt, alias venas, alias arterias aut nervos, alias cæca latentiaque ſpiracula interni

Fernel. c. de hiſt. paſſ. 7.

Cur vapor malignus elatus a ſemine putri perfrigerationem non Epilepſ. tetan. &c. infert.
Item cur hæc ſympt. non in viris poſſunt apparere. 8.

corporis

corporis appetunt: quum has aut illas, peculiaris ſurgit affectus; quum omnia ſimul, quia ſingulis corporis partibus vis infertur, confuſi quodammodo ſunt affectus, & corpus ignavum attonitumque manet. Hyſtericæ mulieres videntur meo quidem judicio fieri quod & nervi, & arteriæ & cæci occultique meatus obſideantur & feriantur: & tamen plus minuſve laborant pro copia aut qualitate elati vaporis, & multitudine vaſorum partiumque occupatarum. Et hæc de priore. Major in explicatione quæſtionis poſterioris latet difficultas: explicare enim cur in viris tam horrenda non adſint ſymptomata, & an hæc ſuppreſſi menſtrui aut ſpermatis ſoboles ſint ſolum non eſt facile. Tamen ſi meminerimus eorum quæ ante demonſtrata ſunt, intelligemus cur peculiares affectus cernantur in viris, peculiares in mulieribus. Corpus differt a corpore, pars a parte, immo & Socrates puer a ſeipſo ſene diſcrepat: propterea affectuum ideæ diſtinguuntur, hyſterica ideo ſuffocatio dicta eſt, quod & uterum, Græcis ὑςέραν, unde τὸ ὑςερικὸν, mali fontem agnoſcat, in quo reſtagnet reſideatque colluvies, quæ alia inducit ſymptomata quum in utero collecta eſt, alia dum in alia parte. In viris ſupprimitur ſemen, ſed nihil infert hyſtericum, quum idea affectionis certam ἰδιοσυγκρασίαν (*k*), & partium διάθεσιν (*l*) conſequi debeat. Immo in eodem cerebro partes diverſæ variarum geſtionum functionumque cauſæ exſiſtunt. Et tametſi in uno hepate unum ſit temperamentum a quo actiones pendeant, tamen aliter attractrix ejus facultas retentrixve læditur, aliter vis ejus coquens & αἱματοποιητικὴ (*m*); in viris ſuppreſſio ſeminis ſtrangulatum uterinum non invehit, utero enim carent, ſed poteſt affectum quemdam analogon inducere. Unde ante ex Galeno docuimus ſuppreſſione ſeminis ob veneris abſtinentiam corpori toti in viris inductum eſſe torporem, maciem, ἀπεψίαν (*n*); poteſt quoque & eos attonitos reddere & ut ait melancholica ſymptomata procreare. Unde & novimus quemdam qui cœlibem agit vitam & opipare vivit ſuppreſſo ſemine ſcroti quamdam corruptionem habuiſſe, quam ipſe ferre non poſſet propter fœtoris exſuperantiam. Quod ſpectat ad virus illud quod tantam refrigerationem in corpus hyſtericarum mulierum immittit, non videtur aliunde manare quam ab excellentia quadam putredinis ob ſuppreſſum ſemen & menſes: eo enim malignitatis utrumque ſuppreſſum procedere poteſt, ut ſua virulentia veneno æquipolleat. Fernelius tamen qui ſuum θεῖον proſequitur ubique parum probabili ratione videtur docere tanti mali cauſam non incluſam in ſemine aut ſanguine corrupto. Ita autem ſcribit, *hyſterica ſymptomata vix putem dumtaxat vel a menſtruo vel a ſemine ſuſcitari, quum & eas quæ bene purgantur, & uterum geſtant, & viri conſuetudine fruuntur ea plerumque fatigent; quumque ſupra quingentas eodem cœnobio degere videamus, quæ diu conſuetum veneris uſum intermiſerunt, nullo tamen hyſterico ſymptomate.* At illo loco vult ſemen aut menſtruum in eam malignam qualitatem corrumpi poſſe, ſed alium etiam humorem in uteris

Gal. c. 5. l. 6. de locis aff.

Hiſtoria. Scroti corruptio a ſuppreſſo ſemine.

Cap. 16. l. 6. de part. morbis.

(*k*) Idioſyncraſian.
(*l*) Diſpoſitionem.
(*m*) Sanguificatrix.
(*n*) Ciborum faſtidium.

ipſis corruptum infectumque idem poſſe efficere putat: quod non videtur alienum a re. Et revera ſui quodammodo diſſimilis eſt. Nam quod objicit de veſtalibus multis quæ hyſtericæ non fiunt, velle videtur præter ſemen aut menſtruum aliquid tertium eſſe quod hyſtericæ affectionis cauſa eſſe poſſit: ſed errat longe. Tametſi enim ſtatuamus ſemen & menſtruum auctorem mali, ex millibus virginum duæ aut tres tantum hyſtericæ eſſe poſſunt: itaque iſta objectio nulla eſt. Quamquam fateor quemvis humorem in utero eo modo quo diximus corruptum ejus generis vaporem ex loci natura exſpirare poſſe venenatum, unde & ita ab eodem ſumma veneni pernicies exoriri poteſt. Unde veteres Practici dicunt abſceſſum uteri, & albos pravoſque humores in utero contentos, vapores poſſe malignos excitare ſuffocationis hyſtericæ auctores. Atque quæſtione dignum videtur, an ea perfrigeratio quæ corpus hyſtericarum occupat primo ac per ſe fiat, id eſt, quoniam virus ipſum frigidum eſt: omne autem frigidum actu corpus refrigerat; an tantum ex eventu, id eſt per revocationem caloris a ſuperficie ad interiora, an per diſſipationem caloris & ſpiritus & ejus pæne quod reliquum eſt ſtrangulationem: calor ſiquidem & diſſipatione extinguitur, & oppreſſione, & defectu alimenti. Aëtius frigus quoddam quod ineſt actu in ſemine corrupto menſtruove illius perfrictionis auctorem ſtatuit, aut etiam refrigerationem ipſius uteri; *ſemen in utero paullatim coacervatum*, ait, *aut alia quæpiam materies inſita ac putrefacta perfrigeratur, frigiditatem autem ad cor & cerebrum remittit, tum demum partes iſtæ refrigeratæ ea inducunt ſymptomata.* Hinc citat hiſtoriam de muliere hyſterica, qualem & Galenus deſcripſit, cui contigit excretio multi craſſi & viſcoſi ſeminis tum ob titillationem, tum ob uſum rerum calidarum admotarum. Et paullo ante: *Oritur autem affectio hyſterica utero ab aliqua cauſa perfrigerato, dum fluunt menſes, vel ob abortionem.* Et Galenus *in ſexto de male affectis locis*, dum rationem reddit quomodo pro qualitate & humoris quantitate affectus evarient, ita ſcribit, *noxia cauſa, univerſum corpus refrigerare valente, adeo refrigeſcit corpus ut & reſpiratio & arteriarum pulſus deprehendi nequeat: quæ ſi craſſa vel acris fuerit, convulſiones facit.* Quibus ex Aëtii & Galeni locis duo videre licet abſurda, & quæ vix intelligantur; prius eſt quod frigiditas humoris eam hyſtericam perfrigerationem partibus principibus communicet, deinde toti corpori: poſterius ſi craſſa materia eſt, convulſionis erit cauſa. Atqui craſſa eſt materia, ut declarat ſolutio curatioque: nam multis, ut ante exemplo probatum eſt, totus pudoris ſinus humore craſſo, glutinoſo, frigidiuſculoque madet: quod ſatis arguit qualis ſubſit materies & cauſa: Immo & Aëtius ſecum valde pugnat: nam ut videre licet, ſtatuit hyſtericæ affectionis cauſam ſemen corruptum, craſſum, viſcidum ſuppreſſumque: quod dum poſt paroxyſmum excernitur, ægras liberat: At id certum eſt ex Galeno in quodam loco, & quo excreto illico dolor ſiſtitur, hoc ex communi hominum opinione doloris cauſam cenſeri par eſt: & vacuatum humorem infeſtantis mali cauſam eſſe, quo tempore in parte continebatur, putandum eſt. Si ſemen craſſum frigidumque mali auctor eſt, cur idem definit hyſtericum ſtrangulatum perfrigerationem

An perfrigeratio uteri per ſe aut per accidens fiat.

Cap. 68. lib. 4. tetrab. 4.

Cap. 5. l. 6. de loc. aff.

5. cap.

Gal. c. 2. l. 1. de loc. aff.

nem quamdam flatulentam, Græce περίψυξιν πνευματώδια; hoc enim nomen πνευματώδες (o) repugnat ſubſtantiæ craſſæ, frigidæ, glutinoſæ. Pugnat & ſecum Galenus qui ex hypotheſi ſtatuit, ſi materia craſſa eſt, convulſiones facit: atqui eodem auctore & oculato teſte craſſa frigidaque materia eſt: potius itaque convulſiones inferret. Nec video quid reſpondere poſſit Galenus. Si enim dicat a craſſa materia efferri vaporem malignum qui ſtrangulatum indicat, videbitur effugere, quum vapor idem non ſit quod materia craſſa: ut autem Epilepſia fiat, craſſam oportet eſſe materiam, ut aphoriſmus docet. Si quia excitatur vapor a materia frigida, orgaſmum quemdam efficiens, inducitur ſtrangulatus, non epilepſia, aliud abſurdum conſequetur: nam id pugnat doctrinæ Hippocratis & Galeni. Hippocrates ex ſententia τῶν ἰατρῶν πνευματικῶν (p) negat fieri epilepſiam & reliquas convulſiones ſine flatu & ſubtili materia agitante: Galenus ad ſternutamentum, quod cum epilepſia analogiam habet, requirit naturam quamdam flatulentam. Ut autem res propoſita definiatur, dicendum eſt duabus de cauſis ſpermaticam materiam convulſiones non facere, tum quod nervos immediate non obſideat: horum enim obſidio convulſionum aut paralyſeos auctor eſt: aliaque eſt natura humoris patientibus nervis paralyſin excitantis, alia ejus qui ſpaſmos inducit. Affectio hyſterica aliquid commune habet cum paralyſi: Spermatica autem materia epilepſiam non infert propter peculiarem quamdam naturam, quam explicare difficile eſt. Quamquam non eſt parum probabile quin ſi illa craſſa frigidaque materies anteriores ventriculos cerebri occuparet, aut apoplexiam aut epilepſiam induceret. Quæſtio poſterior ſubobſcura eſt magis, qui tanta refrigeratio & ναθρότης (q) lentitudo & effeminatio corpori contingat: an vi humoris? an vi vaporis? Si materia ſpermatica putret cur vapor non effertur calidus præſertim a loco calido eo modo quo & in febribus, ut in quartanis & epialo, quas accendit humor frigidus actu & τῇ ἐνεργείᾳ (r); niſi dicas in quartanis & epialo horrores & algorem inferri initio paroxyſmorum, qui durare poſſet niſi reaccenderetur humor. Et in hyſterica paſſione ſi calor humori adeo frigido impreſſionem faceret aliquam, & domaret, febris calefactioque contingeret, ſed eſt inexpugnabilis ille humor, & vix πεπάσματα (s) admittit. An eſt multus humor qui hyſtericum ſtrangulatum facit? Aëtius pugnantia continet. Nam quum adduxit hiſtoriam mulieris hyſtericæ, quæ effuſa per ſinum pudoris multa materia ſpermatica liberata eſt, ait *multam materiam excerni quæ ſenſim coacervata eſt*: paullo poſt ſcribit, *mirum non ſit ſi ex minima humorum mole tanta totque accidentia contingant*: exemplum de veneno adducit quod paucula quantitate varias infligit moleſtias. Si minima humorum moles, cur dixit liberatam eſſe hyſterico paroxyſmo effuſione multæ materiæ? Debet potius confugere ad malignam qualitatem, & naturam flatulentam quæ

Aph. 45. l. 3. & c. 3. 7. lib. 3. de loc. aff. Hipp. l. de flatibus. Gal. com. in aph. 51. lib. 7. Quæſtionis explicatio.

Locis ante citatis.

(o) Flatulentum.
(p) Medicorum Pneumaticorum.
(q) Stupor, ſegnities.
(r) Energia.
(s) Coctiones.

concluſa latet in ſemine aut in menſtruo: quod utrumque quum a naturali ſymmetria deſcivit, incredibile quantis damnis nos oppleat ac obruat. Et revera confuſius obſcuriuſque rem ipſam Aëtius eſt proſecutus: melius & clarius Galenus. Reſtat unum de iſta tam inſigni refrigeratione quam inducit non materia, ſed vapor: nam materia in uteris concluſa manet, non rapitur alio, declarat ex utero ipſo excretio. Si materia ipſa, Aëtio auctore, tantam refrigerationem cauſatur, cur & gypſea vitreaque pituita in inteſtinis contenta non inducit quid ſimile? At intervallum locorumque diſtantia non patitur. Sic a vapore maligno ipſa clades & pernicies. Paucus & exiguus eſt vapor: fateor quidem etiamnum exiguum vaporem bellum naturæ poſſe indicere, & ejus œconomiam labefacere, at quomodo tanta refrigeratio actu inducitur? At ex Galeni ſententia dum loquitur de iis quæ actu frigida ſunt, & quæ naturam oppugnant, quicquid agit, etiamſi valentiſſimum, aliquam tamen magnitudinem habeat oportet: ſic quæcumque frigiditate interimunt, ſi paucula ſumantur, nutrire corpus poſſe: frigidus eſt vapor qui a ſemine corrupto exſpirat, iſque paucus, vix itaque auctor tantæ refrigerationis erit. At nos dicemus eorum quæ frigiditatem lædunt duo eſſe genera, quædam exceſſu tantum frigoris interimunt, alia non ſolum exceſſu, ſed & maligno vapore qui corpus ipſum medicamenti comitatur. De prioribus agit Galenus, *in tertio de ſimplicibus*, de poſterioribus locus notandus eſt *in quinto. Sunt quæ tota ſubſtantia* (ait Galenus) *nobis contraria ſunt, vel ſi minimum eorum aſſumtum fuerit, ceu pityocampe, thapſia, ſolanum maniacum*: at ſolanum hoc quarto gradu frigidum eſt, ſed præter manifeſtum frigus venenata quædam vis in eo reconditur. Atque ita de utraque quæſtione ſancitum oportuit.

An refrigeratio a materia in utero concluſa aut a vapore.

Cap. 23. lib. 3. de ſimpl.

Gal. c. 18. lib. 5. de ſimpl.

Eſſentia itaque hyſterici ſtrangulatus conſiſtit in collectione ſuppreſſioneque ſeminis & menſtruorum, a quibus ob moram flatulentus ſpiritus exſpirat qui principes corporis partes invadens, defectiones animi, perfrigerationem totius corporis, nec non reſpirationis quamdam privationem adducit. Ut autem ſemen & menſtruum ſpecie diſtinguuntur, ita quæ corruptela ſemini inuſta corpori communicatur, ea ſymptomata magis terrifica advehit, quam menſtrui putredo & contaminatio: quod Galenus *ſexto de locis affect.* explicat. Itaque aliam affectus ideam ſuppreſſum ſemen, aliam menſtruum repræſentat, immo (quod notandum valde) Galenus videtur ſtatuere uteri perverſionem a retentis menſtruis potius eſſe, & ligamentorum repletionem, ſemen autem retentum perverſionem non facere. Ac ſi diceret hyſtericam affectionem a menſtruo ſuppreſſo magis eſſe materialem, & nonniſi larga copia longaque mora moleſtias faceſſere (quod pleræque declarant quibus ſatis diu ſupprimuntur menſes ſine id genus terrificis ſymptomatis), affectionem eamdem a ſuppreſſione ſeminis minus materialem, quod in ſpiritu, ichore, flatuque efferato potius conſiſtat. Verba Galeni hæc ſunt, *uteri perverſiones ad ſuppreſſa ſequuntur menſtrua, quæ vero citra perverſionem, aut menſtruorum retentionem infeſtant viduas, moleſtiæ hæ ob retentum ſemen evenire putantur*: quaſi vero perverſiones iſtæ uteri collectionem ſeminis non ſequantur. Tamen

In quo conſiſtat eſſentia ſtrangulatus hyſterici.

Cap. 5. & Actium c. 68. ſer. 4. tetrab. 4.

Cap. 5. l. 6. de locis aff.

paullo

paullo ante contrarium plane ſcripſit, *viduæ quædam quæ æque ac ante a menſtruo repurgantur, ea ſymptomata hyſterica patiuntur: nam medicæ ſeu medicaſtræ mulieres* (Græce ἰατρίναι, quam tamen vocem Ælianus negat vere Græcam) *quæ viduas exquiſite contigere, fatentur circa uterum quaſdam ſuppreſſi ſeminis notas: adeſſe: nam cervix inclinata videtur, ac ſi retractus ſit uterus, interdum velut ad latus dimotus.* Ergo perverſio uteri etiam ex ſeminis ſuppreſſione contingit, ſi modo iſtis mulierculis fides deroganda non ſit. Ut dicam quod ſentio, ſuppreſſione menſtruorum, quoniam mole & ſubſtantiæ quantitate tantum incipit ſollicitare naturam, non ſolent gravia ſymptomata ſurgere, niſi vaſa & ligamenta pleniora convellantur: Itaque ob plenitudinem iſtam manifeſta uterorum perverſio & ad latus inclinatio percipitur: quantam non infert ſuppreſſum ſemen, quod mole exigua vaporem ex ſe mittit pernicioſum & naturæ noſtræ primordiis apprime adverſum: declarat ſumma perfrigeratio, ac ſi calor noſter naturalis oppugnanti irruentique hoſti victus cederet. Semen enim ex ſe frigidum eſt, ratione ſpiritus infuſi calidum, ut non abs re dixerit Hippocrates, (quamquam hoc problematicum) coitum calefacere, quod per eum rei frigidæ contingat excretio. Quicquid ſit uterus horum malorum radix & fons exſiſtit: ut mirum ſit cur aliam in opinionem Aëtius diſceſſerit, quum tamen verba Galeni *ex ſexto de locis affect.* tranſcribat: eamque opinionem ipſe effingit, & magni intereſt an ea vera exſiſtat an non, verba ejus hæc ſunt, *ſciendum affectionem hyſtericam non ſolum ob uteri aſcenſum fieri, vitioſo humore in eo collecto, ſed ſæpe etiam ex ventris repletione utero affectionem remitti. Et aliquando hepatis aut ſplenis cauſa, vaſa, ex quibus uterus dependet, retrahuntur.* Quæ omnia præter rationem dicta videri debent. Ego vero hoc dictum ab Aëtio puto bifariam intelligi poſſe, vel quod congeries humorum in ventre inferiore contentorum, præſertim qua parte major cum utero conſenſus & vicinia eſt, poteſt vel ob copiam moleſta eſſe, vel ob qualitatem infeſta, quum præſertim rerum jucundarum & ingratarum ſenſum quodammodo habere uterus videatur: maxime vero id fiet ſi venæ hepatis & ſplenis & præſertim quæ ad uterum feruntur vaſa ſanguine aut humore turgeant. Vel quod probabilius eſt, id ex vulgi opinione pendet: Vulgo enim videmus ancillas & virgines nimium gulæ deditas, præſertim ſi pinguiori ſint aqualiculo, & horariorum fructuum uſu delectentur, dolores incredibiles in imo ventre ſentire, unde defectiones animi, pulſus inæqualitas, reſpirandi difficultas, & id totum hyſtericum eſſe putant: tamen vere non eſt: ſed quoniam in iſto humorum impetu perturbationeque ob partium cum partibus conſenſum vix incolumis uterus eſſe poteſt, quæ peculiaria quædam inducit ſymptomata, politico potius loquendi modo, quam quod res ita habeat, uterina affectio nominatur. Cauſas, ſedem, ideas, differentias, generationiſque modum hyſterici ſtrangulatus explicuimus, nunc brevi expediendum quibus hic affectus quadret, deinde per cauſarum explicationem curandi methodus exſtabit. Morbus hic hieme & autumno, ob cruditatum copiam paroxyſmum provocantium, magis infeſtat quam alio tempore, (quamquam poteſt vere facile exacerbari quod ſemen & ſanguis

Uterus fons & radix hyſtericorum ſympt. Cap. 68. ſerm. 4. tetrab. 4. Nota. 10.

Notandus valde locus.

guis facile redundent, & quod humorum fuſio fiat quæ morbos a plenitudine facile accerſat ut accurate Galenus *in aphor.* explicat) & juvenculas præſertim ſalaciores prehendit, ſteriles, viduas præſertim marito multum ſalaci, nec non ſteriles præſertim vi medicamenti factas: nam quum naturalis eſt ſterilitas, tantus ſanguinis & ſeminis ardor & impetus non adeſt. Moniales non carent his moleſtiis, aut quæ ſponte continent ſeſe, aut quæ maritis parum mulieroſis nupſerunt. Hæc facilius eo ſurgunt ſi vel illecebris, vel mammarum aut pubis contactu pelliciantur ac incitentur. Signa aliquot ante tum inſtantis ſtrangulatus, tum jam præſentis prodidimus, quibus & hæc breviter adnectemus. Uterus multis dolet ac tumet, & tunc non eriguntur facile ſed curvatæ in ventrem incumbunt indolentius, & conantur aſcenſum, quem falſo comminiſcuntur, prohibere: Sitis urget a tetro vapore excitata: Crura facilius labant, quia a cerebro remotiora, & parti affectæ viciniora: Omnia hæc in paroxyſmo augentur. Plurimæ mortuis ſimillimæ poſt triduum revixerunt: Plurimæ in ipſa acceſſione præſertim quum gravior urget cauſa, &

Com. in aph. 15. l. 1. & aph. 17. ejuſdem.

Ollis dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Diſtinctionis ſigna explicuimus, quibus tibi innoteſcat an uterus aſcenderit, an vero ſtrangulatus adſit. Etſi enim in ſtrangulatu uteri aſcenſus quidam aut inclinatio conjicitur fieri, alia tamen atque alia utriuſque ratio exſiſtit. A flatu, a menſtruis, ab odore rerum ἐυωδίων (*t*), aut inflatio ipſius uteri aſcenſus fieri dicitur, & ſymptomata ſuffocationi quidem ſunt ſimilia, ut vertigo, ſuſpirium, ſcotoma, capitis dolor, cibi faſtidium, nauſea, ructus, inteſtinorum crepitus, maxime ſi flatus adſint: gravitas & oppreſſio tamquam a rotundo corpore circum umbilicum ſentitur. Si perverſio in latus fiat, ſive in anticam, ſive in poſticam partem, gravantur, dolet, tumet vel ilia, vel pecten & veſica, vel inteſtinum rectum, quorſum ſcilicet uterus devergit: Si coeat mulier, ſemen non ſubit: obſtetrix id digito deprehendit. His ſignis colligas aut ſuppreſſionem menſium, aut feminis ſymptomaton cauſam eſſe. Si ſymptomata graviora, ſi ſubita, ſi ſtatim dyſpnœa, mox apnœa, ſi crura ſurſum contrahat, ſi ſumma perfrigeratio contingat, ſi ab utero ad cor dicat ſe ſentire quippiam attolli, ſi mulier viroſa, ſalax, diu continens, aut ſi virgo frequenti baſio utens, & congreſſu colloquioque amatorum, ſi carnoſa, otio utens, ſi ei menſes reſponderint, hanc labem a ſemine eſſe deprehendas. A menſibus eſſe levitas ſymptomaton docebit, ſi menſes ſubſtiterint, ſi plenitudinis argumenta, mammæ tumentes, corpus grave, caloris ad faciem recurſus frequens, ponderis ſenſus ad os pectinis, ſi colli & aliarum partium dolores. Si ad melancholiam ſuppreſſus ſanguis accedat, mœror adeſt; ſi pituitoſus ſit, pigrities adeſt corporis, albedo, multa ſputatio; ſi bilioſus, vehementer ociorque motus. Hyſtericam ab Epileptica diſtingues; quum Epileptica eſt non recordatur eorum quæ contigerint, non audit, non videt, ſpuma in os occurrit, ſi præſertim malum vehementius, menſes ſuppreſſos

Uterus dolet, ſed de ea doloris ſpecie credendum mulieribus hinc Gal. videt Archigenem qui ſtuduerit explicare omnes doloris uteri ſpecies, quum tamen eum non tulerit.

Hyſtericas mulieres ſi ineantur certum eſt ſtatim concipere.

(*t*) Bene olentium.

preſſos non habet, crebro coitu læditur, contra hyſterica juvatur. Apoplectica ſine reſpiratione eſt, ſine motu ullo, ſine gemitu. Lethargica autem febrem habet lentam, una fere corporis parte qua tumor eſt, dolet, pulſum habet magnum & undoſum, hyſterica rarum & convulſorium: item audit vocantes; ſi mitius malum, nonnulla reſpiratio, meminit actorum dictorumque ſæpe, febris eſt expers, niſi forte in utero vitium aliquod ſit, ut inflammatio. Porro ſuffocatio a ſemine tanto deterior eſt ea quæ a ſanguine quanto ſemen prolificum eſt tenuius, in generatione actuoſius, & ipſo menſtruo efficacius. Nec omitti debet quod ante dictum eſt non ſolum aut ſemen retentum, aut exuberans menſtruum hujus affectionis cauſam eſſe, ſed & collectos pravos humores in uteris ipſis: hinc & ſexagenariæ mulieres annos & ſeminis & ſanguinis egreſſæ hyſtericæ fiunt ob cumulum. Vide ergo quantum ii peccent qui falſa opinione de aſcenſu uteri perſuaſi, ut fugent uterum proliciantque grata ac ingrata ſuffiunt. Quod ſi nulla hyſterica paſſio foret ſine aut perverſione uteri, aut ejuſdem aſcenſu, tolerabilius quidem hoc factum foret: ſic majus multo incommodum inde conſequitur, quod utroque ſuffitu caput impleatur, quam ex fuga uteri commodum, quum uterus ſæpe ſuo in loco conſiſtat. At vulgaribus mulierum remediis fidem facit quod unam aut alteram allevatam viderint. Et quum ut plurimum poſt alicujus remedii uſum, tametſi plurimum officiat, aut ſaltem non proſit, æger reſtituitur, fortuitam hanc curationem inani ſuo remedio attribuentes, illud jactitant, venditant, pro ſecreto aſſervant, & præ illo methodicas Medicorum obſervationes & regulas parvi pendunt. Ego vero ſuffitum ſuaveolentem ad os uteri ideo profuiſſe conjicio, non quod uterum aliorſum raptum attrahat alliciatque, ſed quod illuviem in utero contentam prolectet vaſis reſeratis, aut quod craſſam materiam attenuet incidatque: & hæc ratio probabilis eſt. Galenus enim dum ſuffituum uſum explicat, ait, *ſuffitus aromaton ſua vi vaſa obſerata aperit, humorum craſſitudinem extenuat, obſtructiones incidendo tollit. Et totum corpus per uterum ſuffiri poteſt in omnibus frigidis atque humidis diſpoſitionibus, niſi timeremus eam, quæ ex ſuffitu contingit, capitis gravitatem, præſertim in febribus.* Ex his duo elicere poſſumus ad præſentem diſputationem accommodanda, prius eſt, quod dixit in febribus maxime timendum eſſe uſum aromaton, quod hæc dolorem capitis, qui adeſſe ſolet, adaugeant. At hyſterica paſſio expers fere febris eſt, niſi ſit uteri aliqua phlogoſis quæ adeſſe poteſt, & cauſa eſſe ſtrangulatus uterini: ſiquidem auctore Galeno & perverſio uteri, & inflammatio purgationem ejus ſiſtere poteſt, & proinde ſtrangulatus cauſam accerſere. Poſterius, quod tuto ſuffiri poteſt ſinus pudoris, tum ut uterus ſtimuletur, calefiat, humor præparetur, evacueturque tandem, tum ut totum corpus humidius & frigidius incaleſcat. Sic eo fine aromata ſunt profectura, non autem ad aſcenſum prohibendum, ut male & mulieribus & Medicis perſuaſum eſt. Ut tandem ægras ipſas ſatis tetro malignoque vapore infectas deſinamus ſuffire rebus ad os admotis quæ fœtoris & nidoris excellentia cetera ſunt ſuperatura: Hoc enim male reique inſcitia, & ſimiarum more, imitatione tantum & geſtu hactenus eſt factitatum. Quam-

Hyſt. ſuff. cauſæ non ſolum ſemen aut menſtruum ſed & pravi humores.

Com. in aph. 28. l. 5. Aphor.

Ibid.

Hyſterica paſſio fere febris eſt expers.

quam is non ſum qui non potius experientiæ certa ratione firmatæ aſſentiar, quam meæ opinioni præjudicatæ: tamen vix mihi perſuadeo, niſi aſcenſus manifeſti argumenta adſint, tam fœdo tetroque ſuffitu quicquam oppreſſis ſtrangulatiſque ægris afferri: ſed omnes hac in re ſuo utuntur judicio: niſi forte dicant ideo res fœtidas naribus adhiberi quod ingratus earum odor ſpiritum vitalem & animalem ſopitum facilius moveat, & naturam ad reſurgendum facilius incitet ac impellat. At non animadvertunt oppleri cerebrum id genus vaporibus: qui ſi ſanum replendo feriendoque lædunt, multo magis & ægrum. In hyſterica paſſione alias intentos nos eſſe oportet in profligando paroxyſmo, alias in præcavendo ne poſtliminio redeat malum. Siquidem ſæpe ſtata periodo redit periculum mortis intentans ob reſpirationis uſum quem adimit ſi res gravius urget. Ut autem cauſam reſcindamus, quoniam curationis momenta ex varietate & corporum & cauſarum petuntur, alia medendi ratio in his ſeſe offert, alia in illis. Si virgines ſunt aut moniales a peſſis & priapiſcotis temperandum, ne hymen & clauſtrum pudoris violetur: magna tamen vis eſt in peſſulis: major ſi vir lacertoſus oſtiolo peſſulum obdiderit. Aliud quoque conſilium ineundum ſi affectio fiat ob ventris repletionem aut propter viſcus aliquod, quod ante expoſuimus ex Aëtio. Aliud quum viduæ ſic afficiuntur: aliud quum vetulæ ſexagenariæ aut virgines multa humorum colluvie ſcatentes. Præterea non idem factitandum quum ſuppreſſi ſunt menſes ac quum ſemen, nec idem faciundum quum ſtrangulatus eſt a repletione aut ab inanitione quadam. Nam & Aëtius docet refrigerationem hyſtericæ paſſionis cauſam eſſe poſſe, & Rondeletius *cap. de ſuffocat.* ait ſe obſervaſſe poſt largam menſium evacuationem illam contingere, quod uterus flatu repleatur, qui diſtendens hoc afferat. Rondeletius hoc deſcripſit *ex cap. 68. Aëtii ſerm. 4. tetrab. 4.* Sed in paroxyſmo ipſo quidvis agendum ut a caſu præcipiti languidas moribundaſque vindicemus: quin & omnia fere præpoſtere aguntur. Ac primum & maxime commune remedium & ab antiquis & a recentioribus uſurpatum eſt ſuffitus fœtidarum rerum ad os: ingeſta autem ſuaveolentium copia ad ſinum pudoris: quod eo factum eſt quoniam omnibus perſuaſum, in iis affectibus uterum de ſuo moveri loco, aſcendere, & comprimere præcordia: qui dum fugit graveolentiam rerum ori adhibitarum, ſequitur amplectiturque ea quæ bonum fragrantemque ſpirant odorem: in quo duo animadverti debent: Si in hyſtericis ſtrangulationibus non ſit uteri aſcenſus, ſed ſæpe eo in ſua ſede ſtanti id ſymptoma ob vaporem ſolum contingat qui partibus primariis infenſus ſit, quorſum pertinet ſuffitus rei jucundæ aut contrariæ? Item quum cerebrum obſeſſum ſit & veluti attonitum, minus quadrare videtur rerum fœtidarum ſuffumigatio, quum ea caput repleat plurimum. Omnis enim rerum calidarum ſuffitus καρηβαρίας (*u*) inducit: at gravitates capitis ad ſopitam jam ejus vim & veluti ſenſuum ligationem a vapore maligno & frigido accedentes plurimum afferunt

II. *Videndum præterea eſt an mulier ſit hyſterica, quod alia medelæ ſit ineunda ratio, ne ſetæ & fetui officiatur.*

Aph. 28. l. 5. aphor.

Suffitus aromatum καρηβαρίας inducit.

(*u*) Capitis gravitates,

runt damni. Immo & hoc Rondeletius annotat uſu rei nidoroſæ & graveolentis, epilepſiam induci. *Cap. de Epilepſ.*

Quod ad curationem ſpectat ut mulier a paroxyſmo promte liberetur. Hyſtericam mulierem ſpina recta collocabimus, ut facilius ſpiret, laqueos pectoris & ventris ſolvemus, nomen ad aures inclamabimus, pili convellentur, manus, & pedes primum ſeorſum, poſt in medio & imo dolorificis vinculis vinciemus: Pannis calefactis & aſperis corpus fricabimus, & ſal quoque aſpergemus quo frictio aſperior ſit, plantis pedum oleum laurinum, nardinum, aut irinum, aut coſtinum illinemus. Sive autem uterus loco dimoveatur, ſive vapores ſurſum eleventur, non alienum erit cucurbitulas applicare. At non eo modo adhibebuntur quo ſolent mulierculæ quæ figulina aut ſtannea vaſa umbilico adhibent; cohibent enim quo minus in ſuum locum recedat, & vaſa repleta quodammodo ſurſum trahunt, nam ille ſitus ſuperior eſt quam deceat. Præſtat itaque inguinibus affigere quod uterum attrahant propter uteri ligamenta quæ illo pertinent: juvat quoque earum applicatio ad imum ventrem. Quoniam autem invaluit uſus ut naribus fœtentia adhibeantur ad naturam excitandam quæ ſopita eſt, accipiatur galbanum, opopanax, aſſa fœtida, petroleum, oleum ex gagate: quin & lapis gagates & thracius (qui viribus ſunt affines ex Galeno & Dioſcoride) admotus naribus, præſertim ſi igni ante appoſitus fuerit, ob gravem quem ſpirat odorem, vim habet fugandi uterum. Sexcenta alia ſunt quæ odorata poſſunt uteri ſtrangulatui occurrere: in primis autem valet caſtoreum, blatta bizantia qui Serapioni & Avicennæ idem quod onyx ſeu unguis odoratus, Actuario conchula indica odorata: non eſt autem os narium purpuræ ut defendit Matthiolus. Blattium ergo bizantium ſive onyx & unguis odoratus, qui ex conchyliorum genere (tegmentum enim conchylii dicitur) ſtrangulatum uteri ſuffitu ad nares prohibet. At dices, qui hoc fit quum gratus ſpiret odor, immo odoriferum malabathrum olim redolebat, ſic potius evocabit ſurſum uterum? Dioſcorides ait quodammodo caſtoreum olere, cur ergo ſuaveolens erit? Matthiolus argute reſpondet ſuavem illum odorem partibus quidem tenuibus onychis inhærere, qui vi ignis facile exhalat, teſta autem quæ remanet grave quid reſpirat, quo fit ut ea ratione ſtrangulatum arceat; laudant plurimum ſi nares ſuffiantur, hoc quod ſequitur: Potu autem diductis dentibus hoc injici poteſt. *Suffocat. uteri remedia dicata.* *Rondeletius.* *Gal. 9. Dioſcorid. c. 103. & 184. l. 5.* *Com. in c. 8. l. 2.* *Cap. 8. l. 2.*

℞. *Galbani, aſſæ fœtidæ, caſtorei, ana, dr. iij: galbanum in aceto ſolvatur: adde ſulphuris vivi, dr. ij.* *Potus.*

℞. *Pulveris hieræ & theriacæ antiquiſſimæ, ana, dr. ß: pulveris caryophyllorum, ſcr. j: cum vino aromatite aut aqua theriacali aut imperiali fiat potus*: Vel

℞. *Maceris, dr. ß: nucis moſchatæ, ſcr. j, aut dr. ß: cum vino aromatite fiat potus: capiat.* Si caſtoreum in pulverem redigi poſſet, juvaret quoque potum exhibitum: ſin minus, formentur pilulæ aliquot quæ dentur devorandæ, ſi modo morbus permittat, quoniam deglutitionis munus intercipit. Veteres compoſitionem commendarunt quæ, ab effectu eximio quem præſtat, mirabilis dicitur, cujus autor eſt Meſve. 12. *Meſve c. de tuſſi humida.*

Pilulæ. ℞. *Caſtorei, piperis longi & nigri, ſtyracis, ſpicæ nardi, coſti, galbani, opii, ana, dr. j: croci, dr. ß: cum melle a ſpuma purgato fiat maſſa, de qua capiat ad magnitudinem nucis avellanæ cum aqua mellita.* Ad eam formam alia inſtitui poſſunt.

℞. *Radicis dictamni, tormentillæ & tunicæ, ana, ſcr. j: coſti, ſpicæ, piperis longi, cinnamomi, zedoariæ, ana, dr. ß: caſtorei, dr. ß: theriacæ, ſcr. j, vel aureorum Alexandrinorum, dr. ß: pulveris caryophyllorum & nucis moſchatæ, ana, dr. ß: fiat veluti opiata, vel maſſa pilularum, vel ſi pulveres ſeligi poſſunt accipientur, & infuſæ in jure aut aqua convenienti potui dabuntur.*

Pilulæ de Sagapeno hic non debent omitti, tum in paroxyſmo ſi fieri poteſt ut exhibeantur, tum extra paroxyſmum. Ad uterum fugandum dant dr. i. pulveris agni caſti cum hydromelite tepente: miraculo prodeſt. Valet hoc:

℞. *Sigilli beatæ Mariæ, unc. ß: radicis dictamni, tormentillæ, tunicæ, ana, dr. j: cinnamomi, dr. ß: coque in vino albo & pauca aqua, detur potui, confert plurimum.*

℞. *Galbani & aſſæ fœtidæ, ana, ſcr. j: agarici, dr. ß: cum pauca theriaca fiat pilula.*

℞. *Cumini, dr. jß: agni caſti pulveriſati, dr. ß: cum decocto abſinthii & rutæ fiat potus.*

Vel ſequens potus dabitur; quæcumque autem dabuntur aromatizabuntur cinnamomo.

℞. *Baccarum Juniperi pulveriſatarum, ſcr. j: granorum pæoniæ fœminæ aut maris in pulverem redactorum, dr. j: cum aqua artemiſiæ, vel cum decocto ejus, fiat potus: addi poteſt pulveris ducis, dr. j.* Non ſolum autem ſemen pæoniæ ſed & radix ad eum ſtrangulatum potu confert. Nil erit incommodi, ſi ea omnia dentur cum vino albo aromatizato: potentiſſime enim digerit & penitiſſime ſubit. Eodem pertinet decoctum ſeminis & radicis ſeſeleos, item & urticæ. Paratu facile eſt cornu cervinum uſtum naribus admotum.

Magna vero vis eſt in frictionibus, inſeſſibus, balanis ſeu collyriis, & ſuffitibus partium inferiorum, nec non peſſulis tum in paroxyſmo ad naturam irritandam, tum extra paroxyſmum ad reliquias morbi tollendas, impediendumque ne morbus recidat recurratque. Si non ſit ſuſpicio aut inflammationis, aut magnæ plenitudinis, aut ſanguinis ferventioris, in congerie pravorum humorum obſtruentium & majorem ſpirandi difficultatem inducentium, valet ſyrupus is quo hyſtericam mulierem uſam vidimus magno profectu.

Syrupus. ℞. *Aquæ vitæ, lib. j: ſacchari, unc. ix. aquæ roſarum & artemiſiæ aut liliorum, ana, unc. iij: aquæ theriacalis, unc. jß: cinnamomi & nucis moſchatæ, ana, dr. ij: dictamni, dr. jß: fiat ſyrupus aſſervandus in uſum, vel parabitur hæc aqua.*

℞. *Parthenii, trifolii odorati, meliſſophylli, verbenæ, betonicæ, coſti dulcis, artemiſiæ, ana, man. iij: ſeminis ſeſeleos & pæoniæ, ana, unc. j: radicis pæoniæ & filicis, tormentillæ, eryngiorum, ana, dr. vj: dictamni & rubiæ tinctorum,*

ctorum, ana, unc. j: menthaſtri, mercurialis, bipinellæ, peucedani, ocymi, hyſſopi, ſerpilli, ana, man. j: ſeminis urticæ, & juniperi & citrii, ana, unc. ß: theriacæ, unc. j: pulveris diamargariti frigidi, dialaccæ, & diacalaminthes, ana, dr. j: fiat omnium confuſio & deſtillatio in alambico: deſtillata aqua in uſum aſſervetur; ut ſuccurratur eis mulieribus quæ a corrupto ſemine, aut frigida intemperie, aut corruptis in utero humoribus hyſterico ſtrangulatui ſunt obnoxiæ. Si mulieres hyſtericæ jam corruptæ fuerint, juvat indere peſſaria, eaque ſubinde repetere, quo major eorum ſit vis.

Semen urticæ præſertim id quod ſemen lini refert majore quantitate præbitum lædit auctore Matthiolo in Dioſcoridem.

℞. Origani, calaminthæ, fœni burgundiaci, matricariæ, galeopſidis, ana, man. j: ſeminis ſeſeleos, baccarum juniperi, ſeminis dauci, baccarum lauri, ana, unc. j: filicis, rubiæ tinctorum, ana, unc. j: fiat decoctio in vino albo: foveatur ſinus pudoris, deinde ſubjiciatur peſſus qui ſequitur. Fotus.

℞. Ladani & opi cyrenaici (benjon vel vocant), ana, unc. ß, vel dr. vj: pulveris hieræ, diacolocynthidos, diaſatyrii, diatrion pipereon, & ariſtolochiæ, ana, dr. j: zibethi, gr. ij: aut moſchi, aut pulveris aromatici roſati, aut diambræ, & cum pauca terebenthina, fiat peſſus cum ſindone aut panno ſerico. Peſſus. 13.

℞. Opopanacis, bdellii, gummi elemi, ana, dr. ij: benzoini, ſtyracis, ana, dr. j ß: pulveris lavendulæ, & melanthii, & ſtyracis liquidæ, ana, dr. j: fiat peſſus cum cera, ſi opus ſit, aut tantillo terebenthinæ.

℞. Myrrhæ troglodyticæ, dr. iij: gummi elemi & theriacæ, ana, dr. j: pulveris hieræ, ſcr. j: agarici non trochiſcati, dr. ß: pulveris dictamni, ireos & ariſtolochiæ, ana, ſcr. j: cum tantillo ceræ, aut melle cocto, aut ſucco abrotani, aut ſampſuchi fiat peſſus. 14.

Itaque gummi ipſis aut terebenthinæ, aut adipi alicui, ſi forte defuerint illa, aut etiam melli addi poſſunt pulveres ariſtolochiæ, florum lavendulæ, roriſmarini, ſeminis urticæ, melanthii, aloës, ſagapeni, dictamni, acori, ireos, rubiæ, cyclaminis, bryoniæ, & alia id genus. In penuria horum omnium roſmarinus, abrotanum, ſampſuchus, ocymum, ſerpillum, artemiſia, parthenium, rubiæ, & maxime mercurialis, quæ tunſa peſſuli inſtar immittentur in collum uteri: vel exprimentur ſucci qui cum melle mixti poſt ejus coctionem pro peſſulo immittentur. Omiſimus trochiſcos aliptæ moſchatæ, de gallia moſchata & de myrrha, vel diambræ, qui vel ſuffientur, vel cum peſſis conjungentur ad uterum excitandum, ut colluviei exitus pateat. Maximas autem habent opportunitates ſuffitus, tum ad virgines hyſtericas, tum ad eas quæ peſſum non admittunt. Hinc enim ſubſtitui ſolent balani hedricæ, quæ in anum immiſſæ ob uteri cum recto inteſtino conſenſum, uterum juvant, & inſeſſus.

℞. Ladani, dr. iij: mellis parum, pulveris zinziberis, & galliæ moſchatæ, ana, ſcr. j: theriacæ & confectionis alkermes, ana, dr. ß: cum tantillo terebenthinæ fiat balanus immittenda in anum, aut ad collum veſicæ; cavendum ne irritato aut ulcerato veſicæ collo inducatur dyſuria, aut ardor urinæ. Balani.

℞. Pulveris aliptæ moſchatæ, galliæ moſchatæ, & lavendulæ, ana, ſcr. j: benzoini, ſtyracis liquidæ, myrrhæ troglodyticæ & ladani, ana, dr. ij: fiat cum pauco melle cocto peſſus aut balanus indenda in anum: Vel trochiſcos ex iiſdem

conficiemus: vel pulveres prædictos melle cocto excipiemus, hedricas balanos apte effecturi.

℞. *Gummi elemi, unc. j: pulveris caryophyllorum, dr. ij: cum cera fiat peſſus, vel per ſe imponatur.*

Vel per metrenchyten injectio fiat ex decocto herbarum, florum, ſeminum, & radicum prædictarum ad excitandam naturæ vim, recreandos ſpiritus vapore juris infuſi toti corpori per cæcos ductus concitato, tum ad diſſipationem auræ venenatæ vitæ arcem obſidentis. Suffietur autem libanotis, cinnamomum, coſtus, verbena, cyclamen, lignum aloes, cedrus, meliſſophyllum & caryophyllata, calamintha, artemiſia rubra, moſchus, alipta & gallia moſchata, ambarum, pulegium, iris florentina; cotto imbutus moſcho ſinui pudoris apponetur, cyperus, caryophylli, calamus aromaticus eodem pertinent. Præ ceteris autem juvat plurimum fricare partes pudendas queis ſenſus exquiſitus vernaculus eſt: ideoque obſtetricibus aut clinicis mulieribus imperandum ut oleo moſchatellino, aut de ſpica, aut laurino manus imbuant, & ita immittant in collum uteri. Ditiores a paroxyſmo liberabis facile ſi in oleo laurino, aut coſtino, aut irino diſſolvatur ſcr. i. moſchi & galliæ moſchatæ pulvis, & hoc linimento os vulvæ linatur: immo ventri admoveatur hoc emplaſtrum.

℞. *Galbani, apopanacis, ana, unc. j: zibethi, ambræ, ana, gr. ij: pulveris aliptæ moſchatæ, ſcr. j: theriacæ, unc. ß. Miſce & in aluta extenſio fiat.*

15. Si mulier gravida eſt, cavendum ab iis quæ tetrum odorem ſpirant, quod ea averſatus uterus forte vi ad partes inferas ferretur, & abortionis metum minaretur. Si ad vulvam adoleant aromata, verendum quoque ne oris uteri apertione aqua affluereret, & una cum ea fetus, aut exſuccus arenſque in utero non ſine vitæ diſcrimine remaneret. Veteres gravidas hyſtericas concubitu mariti a paroxyſmo vindicari aſſeverant, item & viduas ſi ſeſe viro commiſcuerint: nam ludi venerei intermiſſio eam calamitatem advehit. Errhina quoque valent ut pulvis pyrethri, piperis, melanthii, naſturtium; elleborus quoque ipſe. Interea clyſteres injicientur eo modo parati.

Errhina.

Clyſteres.

16. ℞. *Seminis ſeſeleos, cumini, pæoniæ, & baccarum lauri & juniperi, ana, dr. ij: radicis ariſtolochiæ, pæoniæ, phu, ana, unc. j: ſampſuchi, parthenii, filicis, roriſmarini, peucedani, valerianæ, galeopſidis, ana, man. j: cyclaminis, dr. ij: fiat decoctio, addendo agarici recenter trochiſcati, dr. iij. in colaturæ libr. j diſſolve vini optimi albi, vel odoriferi, vel aromatitis, unc. iv. confectionis de baccis, mellis mercurialis, ana, unc. j: ſucci mercurialis loco mellis, unc. iij: diaphœnici, aut benedictæ, aut electuarii indi, aut diacarthami, unc. ß: ſyrupi roſarum pallidarum, unc. ij.* Poteſt addi terebinthina, theriaca, mithridatium, aurea alexandrina, pulveres electuariorum prædictorum. Nec abs re ſyrupum roſarum pallidarum adjecimus, quod ejus uſus plurimus ſit ad ferоſos & acres ichores deturbandos qui ſunt omnis venenatæ qualitatis maxime ſubjecta materies. Nec etiam ſuccum ireos, aut ebuli aut mercurialis aut braſſicæ marinæ aut betæ infundere alienum erit.

Nos autem probamus duo quæ ab antiquis uſurpantur, ut caput primum oleo

oleo de behen; irino, de majorana, de ſpica per embrochen foveatur: in ſummo ſuffocationis periculo cauterium adhibebis. Et ad diſſipationem flatus maligni ventriculi litus & fotus ex iis quæ diſcutiunt flatus, ſi prius omni modo tentaveris ut vomitio provocetur. Quamquam ante docuimus id minus Avicennæ probari. *Savonarola ex Avicenna.* 17.

℔. *Malabathri, ſpicæ nardi, ſpicæ celticæ, juniperi, ſchœnanthi, cyperi, calami aromatici, carpobalſami, xylobalſami, ana, unc.* ß: *foliorum majoranæ, artemiſiæ, abſinthii, ana, man. j: acori, dr. ij: ligni cedri, dr.* jß: *cinnamomi, ſcr. ij: fiat decoctio cum ſemine lini, fœnugræci, ammeos, ſeſeleos, juniperi, lauri & hederæ; & ſaccis fiat fotus ad ventrem & abdomen. Incoquentur autem iſta in vino albo aut aromatite pro ditioribus.* *Fotus.* 18. 19.

Poſt fotum quid oberit partes linere oleis chalaſticis vulpino, coſtino, irino, de balano myrepſica, nardino, nucis moſchatæ, jaſmino & ceteris id genus?

Sed quum a paroxyſmo liberata eſt, quod fit maxime quum aquoſa quædam excrementa, aut ſemen rerum ſuppoſitarum vi fluxerint, tum cogitare oportet, ne morbus recurrat. Quum ſuppreſſi ſunt menſes, aut intermiſſa venus quæ coacervat ſemen, potius repetit morbus. Gravidæ enim, etſi hyſtericæ fiunt, minus tamen de his ſollicitos eſſe oportet, ſed tantum de paroxyſmo ſuffocationis metu. Ceterum ſi menſes ſubſiſtunt, ac inde mali labem conjicis, in id incumbendum ut menſes cieas. Immo contra quam fit in hyſterica paſſione a ſemine, juvat plurimum reſerare venam malleoli, aut poplitis ſi peritus chirurgiæ adſit. Ac præmittere conveniet fotum crurum & tibiarum ex herbis ante dictis, quia hoc in affectu calor fere obruitur, ideoque ſanguis & ſpiritus amne alveoque libero non fluit: ac niſi fluat, Æthiopem lavas. Præterea ſi qua te occaſio ab hoc conatu avertat abducatque aut ſanguiſugas aut cucurbitulas majore cum flamma, cæſuriſque punctim factis adhibebis, quod ſectionis vicem ſuppleat: immo ſi magna ſit plenitudo & morbus dat inducias ne malleoli ſectio advocans vi ſanguinem copioſum tamquam conculcatum, ut ſic loquar, majorem obſtructionis cauſam afferat, e re futurum eſt ſi largius e cubito ſanguis ducatur, ut ſequenti die, aut maturius ad malleolum properetur. *Nota.* Denique in paroxyſmo tuto id fieri poteſt, niſi forte prægnans mulier fuerit. A ſectione malleoli abortionis aut partionis metus foret, non tantus ex gibberi ſectione: immo ne tentanda quidem in gibbero, licet menſtruum ſuppreſſum mali auctor ſit: niſi plenitudinis magnæ affuerint argumenta, ut propter eam magna ſuffocationis occaſio naſcatur. Sollicitos autem valde eſſe oportet hic quoniam mulier prægnans aëris attracti duplo eget ad refrigerationem cordis & fetæ & fetus. Itaque ut quam cito ad ſe redeat videto, & in os quippiam immittatur, quo hians os teneatur brevioris ſtrangulatus metu. At ſi ſuppreſſum ſperma ſit, a ſectione venæ temperandum, nec enim juvat, immo refrigerationem majorem adducit quam ante fuerit. Quum ergo facile relapſum morbi ſuſpicaris ob menſes ſuppreſſos, ad remedia accurres menſium ſuppreſſioni dicata: ſi autem ſemen horum malorum cauſa eſt, ſi nil impediverit, nubat, quo veneris exercitatio eam ſuppreſſionem prohibeat:

unus

Hyſtericorũ ſymptomatum vindex coitus. unus enim coitus tantorum ſymptomaton eſt vindex. Quod ſi aut votum, aut alia ratio prohibet quominus fundi uxorii cultus tamquam unum & proprium remedium adhibeatur, videndum ne id ſuccreſcat in corpore, cujus proventus præcipites iſtos caſus afferre ſoleat. Seminis generationem prohibere oportet, & illud genitum exſtinguere. Galenus *in libris de ſimplicibus* aliud eſſe docet ſemen gignere, aliud provocare, quemadmodum aliud eſt exſtinguere & ſupprimere. Nam quum ſeminis ſubſtantia benignum ſit excrementum & ſuperfluum, nec non in ſe habet aliquid ἀφρῶδες (*x*), (immo Venus Græcis Ἀφροδίτη (*y*) dicitur ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ (*z*), quod e maris ſpuma generari dicatur) oportet alimenta quæ ſeminis progignendi facultatem habent multum nutrire, & flatuoſa eſſe. Porro tum alimenta, tum medicamenta ſemen & generant & exſtinguunt, & gignere, ſciendum nil aliud eſſe ſemen gignere, quam id quod non eſt producere, ad quod etiam pertinent ea quæ ſeminis multiplicandi vim habent: provocare autem, eſt id quod in profundo corporis ſitum eſt promovere: producere & emittere: ut ſunt ea quæ ad libidinem excitandam inſtituuntur. Alimenta calida, flatuoſa, multum nutrientia & tota ſubſtantia familiaria ſemen generant, item & medicamenta calida & flatuoſa. Quæ vero deſiccant & refrigerant, extinguunt, & quæ tota ſubſtantia ſunt contraria: quod notandum eſt: nam ad generationem aut exſtinctionem non eſt ſatis ſi alimenta medicamentaque idoneis ad id inſtructa ſint qualitatibus, ſed præterea quamdam totius ſubſtantiæ conſenſionem, aut ejuſdem diſſidium adeſſe oportet. Provocant calida & flatuoſa, ſine deſiccatione: ſupprimunt frigida non flatuoſa & deſiccantia. Quæ refrigerant ſupprimunt ſemen, ſed non corrumpunt; ſi calida & ſiccantia ſunt, ne generari quidem permittunt; ſi frigida ſint & ſiccent, multo minus permittunt. Sed quærat quis ſi quæ vim ſiſtendi ſeminis habent quia frigidiora ſunt, ut quæ vel illinuntur renibus vel applicantur, cujus generis oculi populi & opiata populeon dicta ex iiſdem confecta, folia & flores nympheæ, ſalicis & vitis folia & ſexcenta alia ejus generis, ea potius inducent ſymptomata & morbos ab utero, quia ſupprimunt & non exſtinguunt: omnis enim excrementi calidi ſuppreſſio, congeneres morbos inducit: at ſemen omne calidum eſt ſpirituque omnis generis turget: quæ vero frigida idem ſiſtunt ac ſupprimunt: itaque horum tutus non eſt uſus: at potius uſurpanda ſunt quæ tota ſubſtantia idem exſtinguunt. Niſi forte dixeris frequentiori uſu rerum frigidiorum tandem prohiberi generationem hujuſmodi ſeminis, ut quod poſtea generatur effeminatum, aqueum languidumque ſit; imminere autem aliquando periculum ab uſu rerum calidarum ſiccarumque, quod dum exſtinctioni ſeminis ſtudent, verendum ſit ne inducant intemperiem quamdam calidam ſiccamque quæ corpus impenſe ſit læſura. Præterea ſi auctore Galeno in ſiccioribus natura ſemen craſſius ſicciuſque ſit, quod aquea quædam ſubſtantia ſemen diluens abſit: conſequi

Venus ἀφροδίτη dicta.

Cap. 23. lib. 5.

Nota.

Com. in aph. 2. lib. 6.

(*x*) Spumoſum.
(*y*) Spumoſa.
(*z*) A ſpuma.

conſequi videtur, ut rerum ſiccantium (quæ tamen exſtinguere ſemen, & generationem ejus prohibere dicuntur) uſus craſſitudinem tantum ſeminis inducat. Relictis tamen his quæſtiunculis, dicendum eſt & uſu rerum frigidarum ſupprimi ſemen, nec ſupprimi ſolum ſed fieri ὑδατώδης (a), evanidum & elangueſcens : calidarum vero & ſiccantium exſtingui plane : quod tamen audiendum pro corporum diſtinctione. Nam calamintha, & agni ſemen, ſimiliaque (niſi a proprietate ſemen exſtinguendi facultate valeant) pinguioribus, mucoſiſque corporibus tradita poſſent in ſuperfluos humores agere, & ſemen non attingere. Sic juſcula frequentia lac augere dicuntur, in mollioribus humidioribuſque mulieribus idem non augent, ſed aqueum dum reddunt, eas lactare minime queuntes efficiunt. Sic idem quatenus idem eadem non poteſt in diverſis : ut a contrariis cauſis idem in diverſo ſubjecto fieri natum eſt. Nec ſolum uſurpanda ſunt quæ ſemen minuunt aut exſtinguunt, ſed vitanda ſunt quæ ad libidinem alliciunt. Itaque relegare eos oportet ad caput de ſuffocatione uterina & de inſano amore. Sed ſi, ut in ſenioribus mulieribus contingere ante docuimus, colluvies aliqua circum uterum corrupto ſemini analoga hyſtericam affectionem aut ſimile quid adfert, commode ea inſtituentur quæ eam minuere poterunt. Quem in uſum medicamenta purgantia ex agarico & folliculis ſæpius repetita valitura ſunt : vel pilulæ ex aloe & agarico. 20.

℔. Radicis rubiæ tinctorum, eryngiorum, urticæ & cyclaminis, ana, unc. j: radicis apii, petroſelini, ireos, fœniculi, ana, unc. ß: corticis fraxini, juniperi, ana, dr. vj: ſeminis naſturtii, ſeſeleos, ammeos, fœniculi & pæoniæ maris, ana, dr. iij: calaminthæ, parthenii, ſtœchados, menthaſtri ſive menthæ ſylveſtris, filicis, tormentillæ, mercurialis, ana, man. j: ſeminis cartami conquaſſati, unc. ij: caſſuthæ, man. j: fiat decoctio ad lib. j: diſſolve in ea expreſſionem unc. iv. foliorum ſennæ infuſorum in aqua menthæ & artemiſiæ, cum calami aromatici, junci odorati & cinnamomi, ana, dr. jß: item expreſſum unc. x. agarici recens trochiſcati ſimiliter infuſi : adde ut fiat ſyrupus magiſtralis, ſyrupi roſarum pallidarum, & oxymellis ſimplicis, ana, unc. iij, vel ſyrupi de artemiſia tantumdem, vel ſyrupi de lupulo, byſantini, aut de quinque radicibus. Syrupus.

Vel pilularum maſſa inſtituetur ex radice mei, cinnamomo, & ſimilibus.

℔. Trochiſcorum de myrrha, ſcr. j: caſtorei, cinnamomi, radicis aſari, & radicis pæoniæ, ana, dr. ß: aloes, dr. iij: agarici recenter trochiſcati, dr. jß: cum aqua meliſſophylli aut fœniculi, infuſionis dr. ß: zinziberis, & ſcr. j nucis moſchatæ fiat maſſa pilularum utenda ut dictum eſt ante. Caſtoreum non omittendum, immo frequens ejus uſus vel cum aqua mulſa, vel cum dicto artemiſiæ decocto hoc malum fugat.

Nec omittentur ſuffitus ex his quæ uterum excitandi vim habent, vaſa aperiendi, ut tandem via illi colluviei paretur.

Sin autem poſt immodicum menſium fluorem uteri ea refrigeratio contingat, ut unde ſtrangulatus uterini occaſio naſcatur, fovendus eſt uterus ex iis quæ roborandi vim habent, ne, ſi ea quæ tenuium partium ſunt

(a) Aquoſum.

uſurpemus, menſes moveantur, & ita major perfrigeratio conſequatur. Valet id quod ſequitur.

Pilulæ. ℞. *Seminis Pæoniæ nigri, unc. j: muſci arborei, man. j: nardi indicæ, corticis thuris, viſci querni, cupularum glandium, foliorum braſſicæ marinæ, foliorum myrthi & lentiſci, ana, man. j: ramorum rubi, man. ij: menthæ & ſymphyti petræi, ana, pug. j: ſeminis papaveris, unc. j: fiat decoctio in vino rubro adſtringente ad fotum uteri.*

Eademque materies concluſa poteſt pectini & perinæo applicari cum decocto magmatis roſarum. Quum poſt immodicos menſes uterus refrigeratur, vel ſimpliciter refrigeratur, vel cum flatibus: nam nimiæ excretioni flatus ſuccedunt ſæpe; ſi ſimpliciter, valet hoc remedium quod hic aſſignamus ſi ſuſtuleris ſemen papaveris; ſin flatus adſit in fotu ex iis quæ flatus diſſolvunt magnam allevationem ægro afferes. Et valet hoc remedium.

℞. *Radicis althææ, eryngiorum, fœniculi, ana, unc. iij: farinæ lini, unc. ij: ſeminis lini, orobi, fœnugræci, lentium & milii, ana, unc. ij: malvæ, mercurialis, foliorum ſampſuchi, ſambuci, calaminthæ, origani, ana, man. ij: florum chamæmeli, meliloti, ſummitatum anethi, ana, man. ij: coque in vino albo, paſſentur addito oleo liliorum, chamæmeli & butyro recenti: fiat cataplaſma addendo foliorum rutæ cum butyro recenti & axungia porci coctorum, man. ij: croci, dr. jß: cinnamomi, dr. jß:*

ADDITIO.

Explicatis omnibus cauſis hyſtericæ affectionis, alienum non erit aliquot
21. remedia ex Aëtii libris repetere. Quum mulier videt ſe quodammodo primæ reſtitui ſanitati ex eo quod minus ſolito repetant paroxyſmi, non deſinat purgari, menſes provocare, parum ſeminis generare, ſæpe cucurbitulas femoribus applicet, pectini cataplaſmata remollientia, poſtea vero ea quæ ſua acrimonia & calore veſiculas excitent; frequentes ſint
22. exercitationes, ſed moderatæ, modulatio & vox clara. Conferunt & naturalia balnea tum calida, tum frigida, maxime vero ex uſu ſunt inſeſſus ex uterinis, qui quum exiguis ſumptibus fiant, & facile parentur, omitti non debent.

Peſſus. ℞. *Spicæ nardi, croci cum vino odoro triti, ana, dr. j: ammoniaci, maſtiches, ana, unc. j: ſtyracis, unc. ß: cum pauca cera fiat peſſus.*

Poteſt addi adeps anſerinus ad remolliendum uterum; quum balnea mulier ingreſſa fuerit, ut præcaveatur, non erit alienum inungere os pectinis & perinæon oleo in quo ſub ſole maduerit ſemen rutæ, viticis, caſia, cinnamomum, cardamo-piper quoque tritum & nigella romana. Hos autem canones in primis animadvertere convenit; quibus non declinat, aut averſus eſt uterus pro humiditatis aut ſiccitatis ratione remedia adhibentur: mollioribus rarioribuſque remedia ſunto imbecilliora: junioribus leviuſcula, provectioribus duriuſcula. Si a flatu malum natum ſuſpiceris, flatus diſcutientia; ſin ob humores gravitas adſit, incidentia tenuantiaque uſurpentur: ſi humorum acrimonia vexat, mollientia laxantiaque

Philagrius apud Aëtium c. 71. ſermo. 4. tetrab. 4.

in

in uſu ſunto: ſi averſio ſit uteri, aut inflammatio, aut inclinatio, reme- 23.
dia ſint minus efficacia, nam fortiora morbum exacerbant, prohibentque ſeminis excretionem. Contra moderata utrumque præſtant.

ANNOTATIONES.

1. *Tamen videtur potius verum ut in uteri furore fiat ipſius error, impetus & recurſus quam in hyſterica paſſione. Quoniam in uteri furore vis concupiſcens ardori ipſius partis magis apparet.*

2. In iſto com. *Galenus quærit cur non æque dolores exerceant occiput ac ſynciput. Ceterum locus præclarus eſt* lib. 1. de morbis, *ubi ait uterum partem eſſe delicatam, exquiſiti ſenſus & nervoſam habere cavitatem, item habere conſenſum cum ſyncipite & ſtomacho, & eo affecto utero mentem percelli ac turbari.*

3. *Quum natura certo ſtatoque ordine excernit quippiam & tali juvatur excretione, ſuccenſet plurimum offenſionemque habet ſi illud ſupprimitur: ut mirum non ſit ſi menſtrua ſuppreſſio multis naturam obruat incommodis.* Natura enim, *ut quorumdam opinione definit Cicero* 2. de Natur. Deor. eſt vis quædam ſine ratione ciens motus in corpore neceſſarios.

4. *Locus eſt præclarus* com. in partic. 27. l. 3. prorrh. *ubi intelligere queas in hyſterica affectione convulſiones eſſe poſſe*: mulieribus hyſtericis & quæ ſtrangulatu tenentur fiunt & continuæ totius corporis contractiones convulſivæ (*græcè* σπασμοὶ ἀπασμάδες καὶ σπαστικαί.) Et hæ non ſunt periculoſæ reſpectu earum quæ ſequuntur ob inflammationem inſignem uteri. *Et dubitatur maxime an contractiones convulſivæ in uterino ſtrangulatu eſſe poſſint. Avicenna & epilepſiam & ſtrangulatum uteri ab eodem eſſe poſſe contendit: quatenus eſt morbus officialis, id eſt, quatenus uterus convellitur vulvæ proprie ſtrangulatus; quatenus eſt morbus materialis, id eſt facit procedere vapores ad cerebrum, comitiale malum eſt.*

5. *Immo illud apparet in iis qui quum libidinoſi ſint a Venere abſtinent, penem ſæpe ac ſæpe arrigi, intumeſcere ac turgere, & ſæpe jactant ſe dormientes; cur non idem potius utero contingat tamquam parti in intimo corpore calidoque loco reconditæ? Ceterum de ſubita arrectione & pruritu ſubito videtur Hippocrates audire dum* initio lib. de genitura *nervos & venas a capite in pudendum protendit.*

6. *Quid declarat illa exacta uteri clauſio ſemine concepto? quid geſtatio per novem menſes, & delectatio ejus allecto ſemine? Ventriculi exemplum maxime id docet. In fame videtur obvius eſſe cibis, immo eos minime præmanſos præripere.*

7. *Hic Fernelius contra ſententiam Sorani quam ante explicuimus eamdem cauſam hyſtericæ paſſionis & furoris uterini agnoſcit. At Soranus furorem uteri quoddam malum eſſe dicebat ſine materia. Sed forte audiendum hoc eſt* κατ' ἧττον καὶ μᾶλλον (*b*). *Revera poteſt furor uteri contingere ſine mate-*

 riei

(*b*) Secundum magis & minus.

rici communicatione, per abſolutam ſympathiam, ut loquitur Arculanus: ut cum læſo punctoque in pede nervo abſoluta quadam ſympathia cerebrum conſentit.

8. *Magna quæſtio an ſemen in utero ipſo, an in vaſis ſpermaticis corrumpatur. Aiunt in his conſervari, & ſi plus ſit quam oporteat, facultas expellit in uterum, ibique corrumpitur. At ſanguis in vaſis ſuis putreſcit, cur non & ſemen? quia ſanguis eſt minus coctus & defæcatus: & ſemen benignum excrementum dicitur non ratione ſuæ qualitatis ſed quantitatis. Tamen de hoc poteſt controverti. Rondeletium vide* cap. de ſtrangul. uteri.

9. *Revera ſemen retentum potius eſt cauſa ſtrangulatus quam menſtruum: Et menſtruum retractionem, recurſumque & inclinationem uteri facit nec non perverſionem, ſed non ſtatim ſuffocationem. Si æqualiter uterus trahatur, recta ſurſum aſcendere videtur, ſi inæqualiter, vel ante, vel retro, vel aliorſum trahatur: & hæc retractio crebriorem reſpirationem facit, ſed eam non tollit; ſic menſtruum* ἀναῤῥοπίην καὶ ἀνατροπὰς (*c*) *facit, ſemen potius* πνιγμα ὑστερικὸν (*d*).

10. *Statim initio juvat provocare vomitum præſertim ſi mulier plena ſit, nam malum auget: & hoc ſuadet Aëtius* cap. de ſtrangul. uteri. *Quamquam diſſuadet Avicennas & alii Arabes, quoniam, ut ajunt, ſurſum vomitu retrahitur putris materia quæ ſyncopen adauget.*

11. *Annotat quidam non eſſe alienum etiam in os immittere, quum urget affectio hyſterica, diambram, diamoſchum, mithridatium, licet ſint aromata, metu uteri retractus ad ſuperiora, quia hæc ratione ſyncopes dantur, & plus hinc commodi quam incommodi: Item certum eſt quod hæc ut & alkermes ſpiritus recreant ac inſtaurant, at non eſt verum certumque uterum aſcendere.*

12. *Aëtius citat ex quodam in hoc affectu quum nil profeciſſet acceptos eſſe duos ſtaminum glomos eoſque in oleum anethinum fervens immiſſos, & in ſinum pudoris viciſſim poſitos: hinc miraculo convaluit.*

13. *Vel peſſi dantur, vel herbæ tunſæ induntur. Si fieri poteſt, diſtinguas an ſit menſtruum ſuppreſſum an ſemen (quamquam in paroxyſmo ambigua eſt curatio): ſi menſtrua ſubſint euphorbium ſuppoſitum peculiarem dicat operam; ſi ſemen radix ſatyrii & horminum (quod utrumque ciet Venerem. Dioſcor.* lib. 3.) *impoſita proliciunt illud: item folia urticæ: item ſal & nitrum. At prius fricare corpus convenit.*

14. *In muliere gravida hyſterica poſſunt quidem foris adhiberi quæ intemperiem minuunt; clyſteres, præſertim quales hic uſurpantur, & ſectio venæ vitanda. In uterum aut per os nil infundatur, niſi forte ad cardiaca confugias, & clyſteres ex pauca terebenthina, aut ex theriaca, vino, oleo ſeſamico, & confectione de baccis lauri.*

15. *De lauro, quæ hic commendatur, hoc ſcias, folia & baccæ conferunt in hos ſcopos, ſed ſi conceperit mulier caveatur a radicis lauri cortice; conceptum enim enecat.*

16. *Avicennas inſeſſus parat (ſi modo uſurpari poſſunt) ex decocto baccarum & foliorum lauri, marrubii, artemiſiæ, nepethæ, conyzæ, ſabinæ, centaurii,*

(*c*) Aſcenſum & ſubverſiones. (*d*) Suffocationem uterinam.

taurii, dictamni, ſampſuchi, fœnugræci, ariſtolochiæ, ireos, ſerpilli. Et inſeſſus tempore caput oxyrhodino rigatur, & in aceto prius ruta, ſerpillum, baccæ lauri & caſtoreum coquuntur.

17. *Atque quum hyſterica affectio & gravidas & vacuas prehendat, aliter ſe gerere oportet in his & illis: alioqui periculum ingruet. Ac de ſuffocatione quæ adoritur prægnantem Hippocrates abunde dixit* lib. 1. de morbis mulierum.

18. *Semen exſtinguunt ruta, agnus, contra ſalvia franca; Illa id præſtant & ſiccandi vi & calore. Tamen eruca, ſatyrium alioqui calida ſemen augent; agnus & ruta quæ calida ſunt exſtinguunt. Unde? ſatyrium & eruca non tam ſemen augent quam ad Venerem excitant, & illa multaque alia, quod flatuoſa ſint, venerem excitant. Ruta & agnus quum calidiora ſint flatus diſcutiunt, ſemen exſtinguunt, proinde Veneris ardorem exſtinguunt, aut refrenant.*

19. *Ceterum hyſterica affectio cur non per contractiones quaſdam convulſivas tolli poteſt, veluti tranſlata materia, & ſymptomatis per mutationem ſeſe mutuo excipientibus? Ita enim contra multorum opinionem docuimus ex Galeno* comment. in particul. 27. lib. 3. prorrhetici, *τὰς σπασμικὰς* (*e*) *in ſtrangulatum uteri cadere poſſe. Et* com. in part. 26. lib. 3. prorrh. *convulſiones poſſunt apoplexias ſolvere & paraplegias: quod notandum. Cur non idem de ſtrangulatu uterino dicatur?*

20. *Præter commemoratas hoc in capite cauſas ſuffocationis hyſtericæ: ne decipiamur unum morbum pro alio ſupponentes: meminiſſe oportet, ſuffocationem poſſe contingere ob eryſipelas in utero contentum, ut Hippocrates* lib. de natura mulieb. *docet. An tunc non ſecanda vena etiam ſi animo linqui videatur, ut ibi docet Hippocrates?*

21. *Flatus qui hyſtericam inducunt affectionem, aut ſunt maligni, ut qui excitantur a ſemine, aut non ſunt maligni, ut quum poſt eruptionem menſium immodicam flatus ſuccedunt diſtendentes & hanc affectionem inducentes.*

CAPUT XI.

De prolapſu & deſcenſu Uteri.

SAtis ſuperque ante diſputatum eſt an uterus loco moveretur an non; dictumque utero, ut & omni parti quæ exquiſitiore ſenſu prædita officium in corpore munuſque publicum habet, inſitum quoddam eſſe deſiderium, quo res potius hæc quam illa ſummo veluti voto expetitur. Sed quum diſtinctionis cauſa illud animale ſit, in quo non modo naturalis propenſio, ſed quædam ὁρμὴ (*f*) incitatioque cum manifeſto ſenſu aut naturale, quod ipſum occultum eſt, & in ipſis naturæ primordiis incluſum; quædam ſunt partes in quibus animalis iſta appetitio viget, ut ſunt

(*e*) Contractiones. (*f*) Impetus.

uterus, & ventriculus. Hinc quum rerum jucundarum deſiderio prurit uterus tumultuari videtur ac turgeſcere, & ſua ipſius incitatione & entelechia, aut ſuperiora petit; aut quaſi hians & extremam ſitim explere cupiens obvius fit, provolviturque, ſeminis tamquam rei jucundiſſimæ appetitione incitatus. Hinc Ariſtoteles ſedulus rerum naturalium indagator ſcripſit quibuſdam coitus deſiderio, aut longiore Veneris abſtinentia uterum excidiſſe, quam prolapſionem unus coitus curaturus ſit. Itaque uterus, quatenus pars eſt organica conſtans ſuis tunicis & ligamentis, quibus ante & retro vicinis partibus adnectitur, poteſt cadere, provolvi, ac prolabi: in quo prolapſu nil fere animale eſt, niſi ut ante dictum eſt, id coeundi ardore contigerit; ſed totum hoc aut cauſa externa, aut interna evenire putandum eſt. Sed quum impetu quodam incitatus effrenis turget errores quoſdam habet & motus impulſioneſque animales, unde ἀναῤῥοπίη, καὶ καταῤῥοπίη (*g*). Itaque hic conſiderare oportet τῆς ὑςέρας ἄρτήματα πεπονθότα (*h*) appendices affectas, ἀναῤῥοπίας, καταῤῥοπίας, ἐντάσεις, ἕλξεις, ἑτεροῤῥοπίας (*i*) ſive διαςροφὰς (*k*) ſive παρασπασμούς: hinc dicitur ἕλκεσθαι, σπασθῆναι, παραπάσθαι, ἀπασθῆναι, διαςραπῆναι (*l*): qui omnes motus vel ab utero ſunt, vel a ligamentis; ſi ab utero, tamquam a quodam animali id proficiſcitur, quod rerum expetitarum aut deſiderio languet, aut ad eaſdem obvius rapitur: & tunc πλανᾶσθαι (*m*) dicetur opinione Platonis, ſuoſque motus ſurſum, deorſum habet maxime: & ii motus, errores & inclinationes aliquid ζωτικὸν, id eſt animale, habent, ac ſi in bruta natura inſtinctus aculeuſque naturalis inſit cum animali quodam appetitu ad ea perſequenda quorum deſiderio occupatur. Unde ante diximus pleriſque viſum eſſe numquam hyſtericam ſtrangulationem contingere ſine iſta animali perturbatione quæ ἀναῤῥοπίαν (*n*) faceret, aut καταῤῥοπίαν (*o*), ut quum libidine pellectus incandeſcenſque uterus ſuperiora capeſſit, ſtrangulatum afferat, quum inferiora πρόπτωσιν efficiat, nullo in ligamentis appendicibuſque uteri vitio concepto. Quamquam non negent procidere non poſſe uterum ſine ligamentorum vitio. Nam ſi ligamentis aut non laxatis, aut non mollefactis coitus deſiderio uterus provolveretur procideretque, id non poſſet fieri citra divulſionem retractionemque appendicum, & difficultas ſpirandi magna afferretur. Nec aliter forte contingeret, quam quod ſcriptum eſt a Galeno, dum ait hydropicos, dum aqua per paracenteſim evacuatur, non ſolum impenſe lædi ratione confertæ evacuationis, ſed quia viſcus duriuſculum hepar reliquas partes attrahat dyſpnœan inducens, utpote quod non amplius utatur aqua in abdomine contenta tamquam ſuſtentaculo. Sed ſane hoc tribuamus utero, ut voluptate perfuſus hos motus a ſe habeat: inſiſtendum quoque videtur in opinione

1. *Hiſtoria animal.*

2. *Com. in aph. 27. l. 6. Aph.*

(*g*) Aſcenſus & deſcenſus.
(*h*) Appendices uteri affectas.
(*i*) Surſum & deorſum vergentias, tenſiones, tractus, converſiones, vergentias.
(*k*) Divulſiones, avulſiones.
(*l*) Trahi, divelli, avelli, converti, diſtorqueri.
(*m*) Errare.
(*n*) Aſcenſum.
(*o*) Deſcenſum.

opinione Galeni qui utero ipso non affecto, sed aut appendicibus plenis, aut vasis sanguine semineque abundantibus has revulsiones, contorsiones, ascensus, retractiones, prolapsioneque contingere posse asseverat: & hoc totum ad solennem aphorismum de convulsione, quæ aut inanitione, aut repletione contingit, revocavit. Quemadmodum enim aut pars antica corporis, aut postica, aut totum corpus (unde tetanus, id est Celso, rigor) convellitur, idque aut humorum copia aut eorumdem exhausto, ita accidit utero: vel enim deorsum fertur, aut sursum, aut in latus. Si deorsum fertur vi impulsuque naturali, seminisque desiderio, potius καταῤῥοπὴν (p) dicetur; sin vitio ligamentorum, πρόπτωσις (q), præcipitatio, aut retractio ad inferiora, quum vel totus, vel pars procidit pervertiturque aliquando ut fundus appareat. Quum ἔντασις aut ἕλξις adest, id est retractio, & contentio, aut est ἑτεροῤῥοπὴν, aut ἰσοῤῥοπὴν, aut ἀναῤῥοπὴν (r). Ετεροῤῥοπὴν quæ τῷ ὀπισθοτόνῳ (s) est analoga, est quum in hanc, aut illam partem uterus proripitur, contorqueturque, alio modo διαστροφὴ (t) (non διάστεμμα (u), quamquam ab eodem derivantur verbo, sed aliud significat ut docet Galenus) aut παραπασμὸς (x), quo verbo utitur passim Galenus: Fernelius male convulsionem vertit, melius, contorsionem in latus aut in latus perversionem inclinationemque dicemus. Ισοῤῥοπὴν τῷ τετάνῳ (y) est consimilis, & fit quum suo quasi loco manet uterus, æqualiter hinc & inde tractus, distentusque: Galenus vocat μετάστασιν ἀπαρέγκλιτον, id est recta mutationem omnisque obliquitatis & inflexionis expertem: quum alioqui διαστροφὴ fiat τῆς μήτρας ἑλκομένης ἄλλο τ' ἄλλοκότε (z). Et quum ita intorquetur uterus dolores inguinis & coxendicis sæpe acerbissimi oriuntur, crus aliquando obtorpescit: unde sæpe mulieres claudicant, & ita coxa afficitur, ac si ischiade laboraret. Hoc primus Galenus observavit in plerisque quibus quum suppressi menses essent in latus detorquetur inclinatque uterus; hinc dolor coxæ & ingrediundi difficultas: immo & tumores nascuntur, & uterus ibi putrescit. De quo audiendus *aphor. Si uterus vergat incumbatque in coxam, necesse est linimentum fieri.* Quo loco non vocat μῆτραν διεστεμμένην aut διαπασμένην, sed ἐγκειμένην (a), incubantem ischio, quod temporis diuturnitate ob corruptos menses ita sunt affectæ appendices ut non amplius uterus retrahatur: & τὸ διεστεμμένον & διαστροφὴν (b) motum aliquem & ἔντασιν (c) significant, sed τὸ ἐγκείμενον (d) languorem partis & ἀκινησίαν (e) ut sic loquar. Nec alienum erit hoc loco, ut verbis Galeni major fides habeatur, narrare historiam de muliere quæ ischiade

Lib. 6. de loc. aff. Convulsio a repletione aut inanitione.

3. De officina med. 6. loc. aff. cap. 5.

Hipp. l. 2. de morbis mulierum de contorsionibus uteri & iis quæ supervenium amplissime disputavit. de loc. aff.

Cap. 5. l. 6. de loc. aff. 47. l. 5. & lib. 2. de morb. mulierum.

(p) Descensus.
(q) Prolapsus, decidentia.
(r) Alio tendentia, æqualis tendentia, sursum tendentia.
(s) Alio tendentia quæ opisthotono.
(t) Conversio.
(u) Divulsio.
(x) Conversio in latus, perversio, & inclinatio.
(y) Aequalis vergentia tetano.
(z) Conversio fiat uteri retractione alio & alios in locos.
(a) Uterum conversum aut contractum sed jacentem.
(b) Conversum & divulsio.
(c) Tensionem.
(d) Jacens & incubans.
(e) Motus impotentiam.

iſchiade laborare putaretur, quum tamen id totum a decubitu uteri in latus naſceretur: huic ſubſtiterant menſes: ad coxendicis morbum, ut credebatur, tollendum omnis remediorum ſilva adhibebatur: in malleolo ſecatur vena: nil profectum eſt: tandem quum eluſam omnium remediorum vim Medici conjicerent, forte quæritur num menſes ſuppreſſi contorſionem uteri attuliſſent: Obſtetricibus id muneris demandatur: comperiunt uterum in dextram magis partem vergere; fluxerunt menſes, in locum priſtinum uterus reſtituitur: convaleſcit. Ea de re volunt quidam intelligi ſententiam Hippocratis. *Quædam prius quam conciperet coxam dolebat, quum concepit non amplius doluit: ubi peperit viceſima die doluit:* quod repetitum eſt ab eodem *libro de ſuperfetatione.* Item eodem hoc pertinet, *cui inteſtinum a dextra parte, articulorum morbo laboravit, morbus erat quietior*: id eſt, illud inteſtinum quod devergens in coxam, opprimebat, iſchiadicum affectum intulit (improprie enim articularem morbum appellat) quum in ſcrotum non amplius committebat. Atque ita loci illi de diſceſſu partis alicujus a ſede propria ſunt audiendi. Quamquam Avicennas ideo ait eum dolorem coxæ quem mulier ante conceptum ſentit, ideo poſt conceptum finiri, quod concepto ſemine uterus calefiat: uteri autem calefactio partes vicinas attingat, unde dolorum ante imprægnationem urgentium alienatio, ac ſi illi a perfrictione orti forent. Sed an vera ſit Principis opinio, an non potius id ad uteri inclinationem referendum ſit, liberum cuique ſit judicium. Hoc itaque ratum ſit perverſionem uteri poſſe dolores coxarios inferre, quos temere ſolennibus ad arthritin remediis profligare ſtudueris. Ac forte ridiculum eſſe debet quod Fernelius ſcribit: quum uterus in latus divertit ac contorquetur inguinis ac ſæpe coxendicis tum dolor exercet, qui ſi atrocius excandeſcat, uteri furor appellatur. At nos ante explicuimus, non iſto intolerabili dolore coxendicis uteri furorem definiri, ſed potius cerebri læſione, phantaſiæ errore, & ratiocinationis menuiſque abalienatione: immo in furore iſto ne moveri quidem uterum docuimus, quamquam quidam definiverunt illum furorem per ἀνατροπὰς, πλάνας, καὶ ἀναῤῥοπίας (*f*) ipſius uteri. Niſi dixerimus, ut venia detur Fernelio, poſſe quidem tamquam συγγενεῖς, καὶ τὸ σωμφυὲς (*g*) uteri furoris eſſe implacabilem iſchii, coxendicis, & inguinis dolorem: poſſunt enim & ſimilia adeſſe ſymptomata, ſed quæ ὕπαρξιν (*h*) furoris uterini non proprie conſequuntur tamquam παθογνωμονικὰ (*i*). Vel nomine uterini furoris privato nomine audiendus eſt ſubitus & vehemens uteri motus in hanc aut illam partem, unde vicinis in partibus dolores acerbi oboriantur. Nunc ad inſtitutum revertamur πρόπτωσις καὶ καταῤῥοπὴν (*k*), ut explicuimus, ſunt affectus congeneres, niſi quod illa ligamentorum laxitatem reſolutionemque ſequatur, hæc neſcio quem depra-

2. Epid. ſectio. 2. & l. de ſuperfetatione.

Part. 3 ſectio. 4. l. 6. Epid. Cap. 11. l. 3. ſen. 21. tract. 1.

Perverſio uteri poteſt dolores coxarios inferre.

Cap. de morb. uteri lib. 6. path.

Πρόπτωσις & καταῤῥοπὴν ut differant.

(*f*) Converſiones, errores & ſurſum vergentias.
(*g*) Concomitans, congenitum & aſſidens.
(*h*) Eſſentiam.
(*i*) Pathognomonica.
(*k*) Decidentia & deſcenſus.

depravatum motum ipſius uteri ab inſita quadam vi prodeuntem, quem ita appendicum vitium juvare poteſt. Πρόπτωσις ut eſt nomen generale ita non ſignificat ex ſe prolapſum uteri niſi cum adjunctione, ut τῆς ὑςέρας πρόπτωσις dicatur. Omnis autem procidentia partis fit aut propter laxitatem, aut mollitiem, aut reſolutionem muſculorum aut ligamentorum quibus pars unaquæque continetur ac firmatur; ſive cauſa ſit interna, ſive ſit externa. Sic prolabitur uterus relaxatis vinculis quibus uterus coaleſcit, 4.
adjungitur, movetur, nutritur, ſive refrigeratio ſit uteri & appendicum, ut contingit mulieribus lotricibus, aut quæ frigidiſſimis lapidibus aut aqua inſident; ſive mucoſa ſit ſubſtantia tum in corpore uteri, tum in acetabulis, ut gravior factus uterus ſuo non contineatur loco; ſive id ab externo aëre frigido proveniat, maxime tempore menſtruorum hiante utero, caſu, motu, reſolutione ipſa & paralyſi; accedit & coeundi libido quæ proprie καταῤῥοπίαν (*l*) inducit ut ante expoſuimus: Difficilis partus ma- *Cap. 2. l. 7. de hiſt. animal.*
xime id facit, quod rumpantur aliquando appendices ad oſſa pubis pertinentes, aut peritonæon. Sunt qui tenſionem inferiorum ligamentorum id poſſe inducere dicant, ſed errant, quum ea occaſione ad oſſa pubis traheretur potius. Aëtius violentam ſecundinarum extractionem, aut inarti- *Cap. 76. ſerm. 4. tetrab.*
ficioſam fetus extractionem, aut nimiam ſpiritus retentionem, (ut quum nimium nitimur cohibito ſpiritu in egerendo) partuum frequentiam, ter- 5.
rores, animi affectus, immenſi ponderis ſublationem, periculi metum cauſam eſſe cenſuit: ut quemadmodum totum corpus præſente periculo co- 6.
horreſcit, concutitur ac diſſolvitur, ita & uterus. Prolapſus gravior eſt quam deſcenſus, quod everſus uterus foras totus procidat, ejuſque fundus promineat, & manu attrectetur anſerini ovi magnitudine; Aëtius ſtruthiocameli ovo ſimile quid eſſe putat. Quæritur an totus uterus procidat, an vero pars aliqua tantum. In utero, ut ante explicuimus in capite ea de re conſcripto, ſpectatur corpus ipſum, os, collum, appendices & ligamenta. Corpus alias majus, alias minus, & quod facile in omnem dimenſionem dilatari poteſt, cornibus duobus præditum eſt. Uterus os habet, collum, & os colli: falluntur enim qui putant ſe os uteri manu contingere poſſe. Galenus *com. in aphoriſmos* explicans quid ſit os *Com. in aph. 46. lib. 5.*
uteri, græce τὸ ςόμα τῆ ὑςερίων, ab epiploo comprimi, ait, dictum eſt ab Hippocrate os, id ſcilicet quod intus eſt ubi uterus deſinit, collum vero incipit; illud autem proprie eſt os uteri. Nam altera ipſius colli extremitas, quæ mulieris pudendis conjungitur, non uteri os, ſed os colli, græce αὐχένος ςόμα, nominari debet. Ligatur autem parte inferiore validis ligamentis, quæ eum ita continent, ne partes ſupra ſitas comprimat, aut in alterutram partem devergat, & meatum vel cornu, vel os interius dilatans. Si alterum ligamentorum ſolvatur contrahaturve in hanc illamve partem inclinat. Parte autem ſuperiore firmatur vaſis ſpermaticis, & venis in ſuperiorem ejus partem pertinentibus. Ne autem arteriæ venæque rumpantur, firmo præſidio eas munivit, pote peritonæo. Si itaque

(*l*) Deſcenſum, deorſum vergentiam.

peritonæum rumpatur, aut laxetur, provolvitur, aut procidit, in aliis magis, in aliis minus. De quæſtione, an uterus totus procidat, non eſt adhuc ratum inter veteres. Aëtius ex Sorano ita de utero prolapſo ſentit, *prolabitur uterus quum ita evertitur ut foras promineat. Nec enim totus a ſuis appendicibus exſolutus excidit: alioqui id incurabile foret.* Contra nititur Arabum auctoritas qui exiſtimant totum excidere prolabique poſſe. Aëtio Paullus ſubſcribit, aitque, *quidam vero totam vulvam prolabi putant, ſed hoc falſum eſt.* Qua enim ratione ſurſum acta queat affirmari? Nos autem ut utroſque conciliemus, ita interpretari oportet procidentiæ nomen ut uterus plane non ſit abſolutus & ligamentis non contentus, ſed tamen quum magna laxitas eſt omnino invertitur, ac ſi a nulla re penderet, ſignumque magnæ reſolutionis laxitatiſque exſiſtit: atque opinor ita Arabes intelligunt: Græci vero quum defendunt totum non excidere, id audiendum, ut abſoluta perfectaque exſolutio non ſit, alioqui numquam exponeretur firmareturque. At ante ex Rondeletio docuimus quodam in oppido maximam partem mulieres iſta procidentia laborare, quæ tamen concipiunt, uterumque gerunt. Sic aliquando collum, aliquando fundum excidit. Quum collum excidit, velut glans viri rubens apparet, quæ ſe in ore pudendi profert cum ſuo foramine; quum fundum vero prolabitur, abſoluta inverſio apparet.

Cap. 76. lib. vel ſerm. 4. tetrab. 4.

Cap. 72. lib. 3.

Solutio quæſtionis.

Deſcenſum uteri Hippoc. docens actionem quâdam eſſe vocat τὴν μητρίων ὁρμὰς (m), Deſcenſus uteri a minimis cauſis procidentia a validis.

Quoniam autem magni refert an ſit deſcenſus, an procidentia, quod deſcenſus a minimis cauſis fiat, & ſæpe libidinis impetum ipſius uteri conſequatur, & actio quædam ſit & τῆς ἐνεργείας (n) aliquid habet, procidentia autem paſſio quædam ſit cauſas vehementes ſecuta, aut magnam reſolutionem partis, aut vim ab obſtetrice illatam, aut quoniam cum violenta ſecundinarum extractione eductus quoque eſt ipſe, dum inſtituendæ curationis initur conſilium, videndum primum an ad procidentiam ipſam faciat quædam ipſius uteri ὁρμὴ ἢ ῥοπὴ, ἢ ἔφοδος (o), an vero aliqua alia ratione contigerit. Quamquam enim prima quaſi fronte communis curandi ratio ſeſe offert, tamen quum ex profeſſo res inſtituitur, tam quod eſt in fronte non ſpectatur, quam quod in receſſu, nec Empiricorum more, ſed Methodicorum potius certa ratione rei conſulitur; ut ſunt cauſæ diverſæ morbique unius diverſæ ideæ, ita varia debent eſſe remediorum genera ad unum finem ſpectantium. Si itaque vere procidentia eſt, non autem deſcenſus, inquirendæ ſunt cauſæ. Si deſcenſus proprie dictus, ob motum ipſius uteri quo provolvitur in pudendum, & ab obſtetrice obvius deprehenditur, & laborans, ſi recta ſteterit, ſenſum habet ponderis cujuſdam incumbentis in pudendum; ſin ſederit ſupinave jacuerit, aut alvum exonerarit, ſentiet quaſi pondere rectum inteſtinum premi: ſin prona, difficultas urinæ aderit, ut etiam viri congreſſum pertimeſcat, ac tum ad ea remedia veniundum erit quæ in hyſterica affectione explicata ſunt, niſi quod ὕστερον πρότερον (p) uſurpanda ſunt. Nam quæ

naribus

(m) Uterorum impetus.
(n) Energiæ.
(o) Impetus, vergentia & inclinatio.
(p) Quod eſt poſterius prius.

naribus admoventur insuavitate odoris uterum fugantia, ea sinui pudoris suffienda erunt: in suaveolentibus eodem modo se gerere oportebit. At quum prolapsus est uterus ligamentis solutis, videndum an id fiat per se, an per accidens, an cum humore, an sine humore. Per accidens quidem quum partes in quas ligamenta aut nervi implantantur læsæ sunt, quum idem fortassis possit contingere quod in aliis casibus observatum est. Narrat enim Galenus plerisque resolutionem sphincteris musculi ani & vesicæ contigisse, quum tamen ea pars non per se laboraret, sed ob læsionem spinæ a qua deducerentur nervi eo pertingentes: item & digitos manuum paralysin passos, quum nulla vis illata esset manui, sed quod primæ vertebræ læsionem percepissent; cur non idem eveniat utero? id συμπάσχειν (q), & per συμπάθειαν (r) laborare Græci dicunt. Alias pars per sympathiam laborare afficitur, alias non afficitur, aut non læditur potius. Ut ei qui ex curru deciderat sensus digitorum amissus erat, & tamen in nulla parte ipsa manus læsa erat, sed in primo exortu nervi post septimam vertebram prodeuntis particula aliqua a qua nervus sensum impertiturus derivaretur, inflammatio erat. Et quoniam tribus fere modis affectus per consensum fit, aut quoniam materia actionis auctor non suppetit, aut quoniam facultas non transmittitur, aut vaporum humorumque translatione, est ubi pars lædatur, est ubi non lædatur. Ita enim Galenus scribit. *Quibus partibus vel materiæ, vel facultatis suppeditatio corrumpitur* (in græco legitur διαφθείρεται (s), in latino codice legitur, suppeditatio non transmittitur) *actionem lædi probabiliter dixeris, parte ipsam actionem suscipiente nequaquam læsa. At vero si vel a vaporibus, vel ab humoribus ad ipsam venientibus lædatur, eam non recte illæsam dixeris.* Quod diligenter est annotandum. Si per se ligamenta lædantur, ut si nimio delibuta humore madeant, laxentur ac remolleſcant, videndum an id ab aliis partibus, an in ipsamet parte fiat. Ab aliis partibus, dico, ut quum a capite, aut ab hepate, aut alia quavis parte perennis fluxio est, quæ partes subjectas ita imbuat, ut naturalem earum statum immutet ac invertat: docuimus enim ante ex Hippocratis sententia uterum ratione & situs & conformationis maxime obnoxium esse rheumatismo: immo facile in eo potest formari ea diathesis quam accommodate Galenus ῥευματικὴν (t) vocavit. Si itaque ab hepate, vel a capite, quod plurimum fit opinione Hippocratis, fluxus fiat, perennitate ejus humentiora imbecillioraque uteri ligamenta reddantur, unde laxationis uteri prolapsionisque nascitur occasio. Et hæc ab aliis partibus. Circum uterum ipsum, sicuti ante demonstratum est, copia sanguinis cogi potest qua tandem erumpente relaxatis præ humiditate ligamentis uterus procidit. Hinc Aëtius lapsus uterini signa aliquot explicans scribit principio ipsius prolapsus sanguinem multum manare, unde præcordiorum dolor insequitur, lumborum, pudendorum ac imi ventris: hinc sæpe periculum est ne refrigeratis illis locis

Cap. 6. l. 1. de loc. aff.

Quot modis fiat affectus per consensū.

Cap. 6. l. 1. de loc. aff.

Cap. 4. l. 1. de loc. aff.

Cap. 76. tetra. 4. serm. 4.

(q) Compati.
(r) Sympathiam.
(s) Corrumpitur.
(t) Rheumaticam.

convulſio uteri conſequatur: ſed ſucceſſu temporis uteri calloſi fiunt: aut, ut in veteribus annoſiſque contingere docuimus ante, mucoſus humor poteſt ſuccreſcere qui quemadmodum in illis neſcio quas ſtrangulationes uterinas invehit, ita nimia mollificatione laxitatem uterorum poteſt inducere. Si enim (ut dictum eſt ab Hippocrate) abortionis fere metus adeſt quum cotyledones (quæ ſunt ora venarum & arteriarum ad uterum pertinentium, ex quibus chorion pendet, non autem adnatæ ipſis oſculis venarum carnes adenoſæ ut contra quoſdam Galenus diſputat) plenæ ſunt pituitoſo mucore qui partes lubricas reddit, quum etiam nulla extrinſecus vis incidat, nonne ſi idem mucus obliverit obſeveritque appendices uteri, immo & totum locum, præcipitationis metus adſit? Nemo hercle dubitat. Itaque conſiderabis quis habitus ſit corporis, an plumbeus, mollis, pituitoſus, ut inde ad occulti uteri diagnoſin via muniatur: etenim magna ex parte totum corpus uteris ſimile eſt. Si nec caſus, nec vis externa, nec alia excuſatio afferatur, ex coloris inſpectione perſpecto humorum dominatu, in humoris mucoſi & aquoſi redundantiam, ligamentorumque uteri laxitatem & mollitiem cauſa referenda erit, ideoque primo quoque tempore uterus e ſua ſede prolapſus in eam reponi debet, repoſituſque ne iterum decidat aut prolabatur in ſuo loco erit continendus; ligamenta vero laxa humiditate madentia, & uligine oblita exſiccanda erunt & adſtringenda. Verum antequam has curativas indicationes medendique rationem perſequamur, ut cauſa hæc methodo recta exſcindi & ſummoveri poſſit, quo perfectior ſuccedat curatio, operæ pretium eſt ſigna in medium proferre, quibus diſtinguere poſſis deſcenſum uteri a prolapſu tum etiam utrumque affectum a ceteris uteri tumoribus. Deinde an a cauſis externis, puta caſu, contuſione, ictu, gravi uteri geſtatione, partu difficili & improſpero, an ab internis, appendicum nimirum uteri laxitate, copioſique humoris perfuſione ambo affectus ortum ducant. Si ergo deſcenſus uteri ſit extra vulvam, vel etiam intra eam, exigua tumoris ſpecie apparet percipitque obſtetrix uterum pudendo obvium; ſi autem laborans erecta ſteterit quoddam gravitatis pondus in pudendum incumbere ſentit; ſi vero ſedeat aut ſupina jaceat, vel alvum exoneret, quaſi onere rectum inteſtinum aut etiam veſicam premi animadvertit; ſin prona jaceat, urinæ difficultate premitur & viri congreſſum amplexuſque venereos refugit & pertimeſcit. Deſcenſu uteri procidentiam graviorem eſſe extra controverſiam eſt quod everſus uterus procidat foras, ejus fundus promineat, & manu attrectari poſſit anſerini aut majoris alicujus ovi magnitudine, in cujus ima parte foramen conſpicuum eſt, quod internum eſt uteri ipſius orificium. Initio partium circumjacentium puta lumborum, hypogaſtrii, & pudendi dolor eſt inſignis; febris magna & hæmorrhagia laborantem exercent ob ligamentorum tenſionem & ruptionem, ſed poſt aliquod temporis intervallum dolore miteſcente dumtaxat gravitatis & ponderis ſenſus percipitur, moleſtiamque non levem percipit mulier ſi quando ambulare & incedere cogatur: ſi ruptio aliqua præceſſit ob immoderatum ſanguinis profluvium ſæpius laborans in ſummum vitæ diſcrimen conjicitur, excrementorumque alvi & urinæ ſuppreſſiones contingunt:

Aph. 45. l. 5. & l. de morbis mul.

Com. in prædictum. 8.

Com. in aph. 62. l. 5.

Et ex initio lib. de natura muliebri colores fidem faciunt de natura & temperamento mulier.

Signa deſcenſus aut prolapſus uteri.

tingunt : Quum vero a laxitate ligamentorum uteri decidentia aut prolapſus oritur, pedetentim malum fit, vireſque acquirit eundo, non adeo vehemens dolor ægram fatigat affligitque; præceſſerunt cauſæ appendices uteri laxantes & humectantes ut inſeſſus in aquis, ſeſſio ſuper lapidibus frigidis, victus ratio humidior, aut uteri hydrops. Denique quum ab ulcere ligamentorum eroſio contingit, ut ulceris indicia apparent, ita purulenta quædam colluvies ſenſim per ſinum pudoris ſtillat & effluit.

Hæc autem multo difficilius curatur quam ea quæ a ſimplici appendicum uteri laxitate oritur : immo rupta uteri ligamenta conſolidare impoſſibile eſt, ſi maxime calloſa exſiſtant malumque jam inveteravit. At ſimplex deſcenſus aut etiam prolapſus raro ex ſe lethalis exſiſtit, verum mulieribus moleſtus & tædioſus eſſe ſolet, ſeminiſque attractionem impedit, deinde liberum & liberalem menſtruæ ſive lunaris purgationis effluxum prohibet : interdum vero recens enixis maxime, ratione febris, convulſionis aut atrociſſimi doloris, mortis periculum creat. Deſcenſus multo facilius curari ſolet quam extra vulvam procidentia. Adultæ hoc affectu laborantes gravius ægrotant & triſtius curantur, nam in illis levi momento & occaſione repoſitus prolabitur uterus, deinde ſic ab ambiente aëre alteratur ut gangræna ſæpius corripiatur, quod etiam contingit ob violentam uteri compreſſionem, quo in caſu quidam ex Paulli ſententia citra mortis periculum abſcindi poſſe memoriæ prodiderunt, ſatiuſque eſſe putant dum ars malo victa eſt, anceps iſtud remedium experiri quam nullum. Danda ergo eſt opera ut uterus in ſuum locum ſtatim reponatur antequam ab externo aëre alteretur, vel ob partium circumjacentium compreſſionem intumeſcat, aut phlegmone & ſphacelo corripiatur : In id juvat alvi & veſicæ excrementa aut flatus vacuare præmiſſo clyſtere ex hydromelite, electuario lenitivo, catholico aut ex decocto hordei, origani, agrimoniæ, betonicæ, ſeminis lini, fœnugræci, florum chamomillæ, & meliloti : demum laborans reddito enemate ſupina in lecto collocetur & coxis elevatis ac poplitibus reflexis, capite demiſſo ipſa tumeſcentis uteri baſim manibus apprehendat eumque introrſum adigat & quod ſatis eſt ſuaviter impellat : quod ſi ita præſtare non poſſit Chirurgus aut ſagax mulier ſeu obſtetrix manibus ſubſerviat, vel inſtrumento virgæ virili proximo, aut aliquo peſſario utatur pulvere maſtiches, bolo armena conſperſo & ad id accommodato, aut emplaſtro duriore ex galbano, bdellio, ſarcocolla & ſimilibus parato : poſtea clunibus elatis cubet aliquot diebus : ſi autem inflatio prohibeat quominus loco nativo reſtituatur, fotibus locus erit paratis ex origano, cumino, aniſo, baccis lauri, floribus chamomillæ & meliloti, hydromeliti aut vino rubro & adſtringente incoctis ; mox autem ne recidat pulveribus ſtypticis inſpergendus erit uterus, ut maſtiche, thure, bolo armena & ſimilibus in hanc formam.

℞. *Thuris, maſtiches, ana, dr. jß: ſarcocollæ in lacte mulieris nutritæ, dr. ß: mumiæ, balauſtiorum, ſanguinis draconis, ana, ſcr. ij: fiat pulvis ad uſum.*

Ad facilem quoque vulvæ repoſitionem non mediocriter conferunt cucurbitulæ cum multa flamma ilibus, umbilico, aut ſub mammis appoſi-

tæ : ſuffitus quoque rerum graveolentium ut pennarum perdicis , aſſæ fœtidæ , caſtorei & ſimilium excepti per infundibulum aut cathedram perforatam ; in eamque rem quidam ovum ſub gallina corruptum fractum agitatum lanis illinunt , & imponunt vulvæ : odoret autem ſimul jucunda ut galliam moſchatam , ambram , benzoinum & ſimilia , contra quam fieri ſolet in ſuffocatione hyſterica. Interim alvus neque pigrior neque nimium laxa ſit : ſi enim fæces duræ exſiſtant in egerendi conatu facile deſcendit aut prolabitur uterus : Si laxior membranas uterum alligantes laxat & mollit : At vero dum hæc fiunt , omnes cauſæ quæ prolapſum excitare poſſunt tollendæ ſunt ut ſunt cantus , ſaltus , vociferationes , riſus , & quantum fieri poterit tuſſis & ſternutatio : deinde vero inter animi pathemata iram fugiat & maxime metum & terrorem : Caute dein toto curationis progreſſu obſervandum ne medicamentorum adſtringentium uſu menſes ſtatis temporibus fluere ſoliti ſiſtantur. Purgatio ex intervallis decernenda erit ex infuſione rhei & agarici facta in decocto ſeminis carthami , roſarum , betonicæ , ſummitatum abſinthii , florum violarum & bugloſſi : vel his uti poterit mulier pilulis :

℞. *Pilularum de agarico , ſcr. ij: rhei electi , ſcr. j: trochiſcorum de myrrha , dr.* ß: *cum ſyrupo de artemiſia fiant pilulæ quatuor aut quinque.*

Interim corpus idonea victus lege exſiccandum erit , pinguiori corporis mole præditis mulieribus commodum erit aliquot diluculis radicis chinæ , guajaci aut ſalſæparillæ decoctum propinare ; demum quiete & tranquille vivat , cibiſque boni ſucci & odorato vino & tenui utatur laborans. Denique reſtituto in ſuum locum utero ut a procidentia ſecura ſit mulier , ſubligaculum , ſeu zonam Hippocraticam geſtabit , qua munita ſine prolapſus metu ambulare & actiones ſuas perficere poterit.

ANNOTATIONES.

1. *Quum deſcendit uterus actio quædam eſt veluti ſponte ſuſcepta ; quum procidit reſolutis ligamentis , paſſio potius eſt quædam. Quum avis præpete penna devolat deorſum actio eſt , quum icta deorſum fertur ſuum nequiens ſiſtere volatum , paſſio eſt.*

2. *Hippocrates* lib. 2. de morbis mulierum *vocat* τῶν μητρίων ϛόμα κλίνεσθαι ἐτέρωσε , καὶ προσπίπτειν τῷ ἰσχίῳ (*u*).

3. *Hippocrates* lib. 2. de morbis mulierum *ait , omnis occaſio uteros e ſuo loco poteſt propellere , ſi quid mali habuerit. Multas autem occaſiones profert.*

4. *Rondeletius narrat de quodam pago in quo mulieres ſolitæ aquis immergi prolapſum uteri facile omnes pæne patiuntur , & tamen concipiunt.*

5. *Has cauſas deſumſimus ex Ægineta* cap. 72. lib. 3. *ubi recenſet etiam corporis reſolutionem quamdam inducere poſſe procidentiam uteri.*

6. *Fernelius narrat prolapſum non poſſe a vehementiſſimis cauſis fieri : deſcenſum*

(*u*) Os uterorum inclinare alios in locos , & prolabi ad coxendicem.

censum vero a minimis occasionibus. Et signa quibus colligas descensum esse explicat.

7. *Galenus* com. in aphorismum 57. lib. 5. *ait naturam sanguinem ad venas quæ sunt uteri expellere (ut fluxu rheumatico videre est, in quo alias in aliam partem fluxus est) unde mensium immodica evacuatio fieri solet.*

8. *Quomodo mucus græce μύξη lubricitatem faciat Galenus demonstrat loquens de relaxatione articuli* com. in Apho. ultimum lib. 6.

9. *Si uterus gangræna corripiatur nec ea sisti possit, sed in sphacelum abeat, uterus abscindendus erit, aut si mulier abscissionem quæ ferro fit reformidat, ligatura præscindi & auferri potest, quæ in dies nova & arctior fieri debet; contigit enim nobis videre mulierem, cui post octavam ligaturam sensim sine sensu per aliquot dies arctiorem factam uterus excidit. Quod vero sine vitæ periculo abscindi possit, Medicorum observationes docent & auctoritates. Paullus* lib. 3. cap. 72. *& Aëtius* lib. 16. cap. 76. *observarunt mulieres exsciso utero sanas supervixisse, quod etiam avorum nostrorum temporibus se vidisse testatus est Nicolaus Florentinus. Si tamen post uteri sectionem & abscissionem totum quod putruit, & gangræna vitiatum fuit auferri non possit, ne pars sincera trahatur, id est ne putredo altius serpat, causlico medicamento aut ferro candenti locus erit, parsque putrida urenda erit, sed magna cum cautione, ne ob uteri cum omnibus corporis partibus consensum gravissima & maxime formidanda sequantur symptomata, puta convulsiones & hæmorrhagiæ.*

FINIS.

INDEX

INDEX LIBRI DE MORBIS VIRGINUM AC MULIERUM.

PRÆFATIO. pag. 29. & seq.
CAPUT I. *De maris & feminæ distinctione ac dignitate.* 33
CAPUT II. *Instituti ratio.* 39
CAPUT III. *In quo differant morbi muliebres a virilibus.* 40
CAPUT IV. *An sit in mulierum morbis τὸ θεῖον, & cur hæc πραγμάτεια privato nomine mulieribus dicata sit.* 47
CAPUT V. *De mulierum Temperamento.* 55
CAPUT VI. *Uteri τὰ σχήματα, id est ὕπαρξις constitutio, figura, situs conformatio, ac cum aliis partibus consensus explicantur.* 61
CAPUT VII. *De fœdis virginum coloribus.* 66
CAPUT VIII. *De febribus Epialis virginum fœdis coloribus laborantium.* 129
CAPUT IX. *De insano virginum amore.* 143
CAPUT X. *De hysterica suffocatione & furore uterino.* 147
CAPUT XI. *De prolapsu & descensu uteri.* 181

GULIEL-

GULIELMI

BALLONII,

MEDICI PARISIENSIS

CELEBERRIMI,

OPUSCULA MEDICA,

DE ARTHRITIDE, DE CALCULO

ET

DE URINARUM HYPOSTASI.

In quibus omnibus GALENI *& Veterum auctoritas contra* JO. FERNELIUM *defenditur.*

Item libellus vere aureus de RHEUMATISMO & PLEURITIDE DORSALI. Qui duo affectus ab Antiquis non ſat abunde fuerunt explicati & definiti.

EDITORE

M. JACOBO THEVART,

Doctore Medico Pariſienſi Auctoris pronepote.

NOBILISSIMO
ET CLARISSIMO VIRO DOMINO
JACOBO CUSINOTO,

In utroque Regis Conſiſtorio Secretiori Conſiliario, Profeſſori Regio, & Archiatrorum Comiti dignissimo,

JACOBUS THEVART

Doctor Medicus Parienſis,

S. P. D.

Magna certe mihi dubitandi occaſio inceſſit (Archiatrorum Comes digniſſime) *num hæc diu ſuppreſſa* Ballonii opuſcula de Arthritide, Calculo & urinarum hypoſtaſi *pro Galeni Veterumque defenſione adverſus* Fernelium *in lucem emitterem, patererque in vulgus emanare; quantum enim ſalutaris noſtræ profeſſionis exornandæ & amplificandæ ſtudium me ad id munus exſequendum acrius incitabat, tantum* Fernelii *doctiſſimorum eloquentiſſimi viri fama & exiſtimatio ab eo me revocabat. Id enim in animo mihi ſæpe verſabatur, magni momenti eſſe, immo multis nefas videri poſſe ab hujus ſententia vel latum unguem decedere, qui tot inſumptis laboribus artem medicam non modo meliori formæ reddidit, ſed &, vel teſtante invidia, veram ejus imaginem, omnibuſque numeris abſolutam poſteritati conſecravit. Verum quum validiſſimis eruditorum virorum rationibus tamquam machinis oppugnatam fuiſſe novam hanc opinionem e diametro Galeno & veritati adverſam animadverterem: viſum fuit ex clariſſimorum Medicorum conſilio, quibus* Ballonii Conſilia & Epidemia *ſuperioribus annis per me edita non modo in deliciis, ſed & in divitiis erant, horum quoque editionem promovere, apertoque marte pro veritatis tutela Galenique patrocinio velut pro aris & focis decertare. Peccarem itaque* (Vir ſpectatiſſime) *in publica commoda, ſi diutius paterer Rempublicam litterariam carere hoc pretioſo monimento, gravius autem in virtutem, ſupremamque tuam dignitatem,*

ſi te ſuſceptæ hujus in Fernelium *Archiatrum præſtantiſſimum a* Ballonio *Principe Medico commentationis non modo arbitrum aut patronum, ſed & Ægyptium vere judicem æquiſſimum non agnoſcerem & profiterer. Archiatrorum Comitis dignitatem iis olim conceſſam fuiſſe legimus, qui quum ceteris præſtantiores eſſent eruditione, experientia, & prudentia non modo Imperatoriæ aut Regiæ Majeſtatis valetudinem curabant, ſed & omnes de rebus medicis ortas diſſenſiones & controverſias dirimebant. Ecquis quæſo ortam inter Principes Medicos* Fernelium & Ballonium *litem dirimere, aut de operis præſtantia & dignitate melius judicare poteſt quam tu qui viſendis juvandiſque populoſæ noſtræ urbis ægrotantibus magna cum felicitate, & Regiis privatisque lectionibus adornandis maxima cum omnium admiratione conſenuiſti, tandemque ad hoc ſummum jatricæ dignitatis faſtigium perveniſti? Quis, inquam, Hippocratis aut Galeni, veterumque ſcriptorum ſententias controverſiarum obſcuritatibus implicitas enodare, difficiles explicare, aut dubias ſtabilire melius poteſt quam tu qui purioris ſinceriorisque doctrinæ, omniumque bonarum diſciplinarum, nedum Medicinæ & philoſophiæ, ſemina aſſiduis dein vigiliis & laboribus exculta cum ipſis naturæ primordiis accepiſti a Clariſſimo* Cuſinoto *parente tuo non minus medendi ſollertia, felicitate, doctrina, probitate & prudentia quam ætate venerando? Sed quia elatis in cumulum hiſce tuis bonis nihil adjici poteſt, velit Deus Optimus Maximus tutari propria quæ dedit, & per te, Regem noſtrum potentiſſimum Imperio Gallico, teque Regi Chriſtianiſſimo, ordinique noſtro celeberrimo diutiſſime ſervare incolumem, ut in poſterum ſaluberrima Facultas noſtra (tot nuper agitata procellis & fluctibus) humanæ ſalutis conſervatrix, tot bonorum altrix ingeniorum, a Regibus fundata, privilegiis aucta, & a ſolis, quum opus fuit, Pontificibus reformata, Senatus denique auctoritate confirmata, nativum per te ſplendorem ac decus conſervatum, propagatum, & in ſolido locatum videat, ſentiat, intelligat. Interim vero munuſculum iſtud ſic habeto, ut ipſum, ob Auctoris Facultatis olim Decani Medicique Regii ſummam eruditionem, & Editoris tibi devinctiſſimi gratiſſimam erga te animi voluntatem, tibi devotum & conſecratum eſſe exiſtimes. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Calend. Septembris Anno Dom. M. DC. XLIII.*

IN

IN SEQUENTEM EPISTOLAM

ADMONITIO.

IN ſequenti Epiſtola in eo maxime deſudat Auctor ut probet poſteros antiquorum gloria & inventis avocari non debere, quo minus aliquid auſint, tentent, augeant, illuſtrent, inveniant, immo ipſi, ſi quid minus recte dictum, reprehendant & melius reddant. Niſi hoc licuiſſet, multis retro actis ſæculis infinitorum refrixiſſet ac relanguiſſet induſtria. Etſi copioſe id demonſtratum eſt, immo per ſe ipſum clarum eſt, tamen ut illuſtrius fiat, Senecæ, ſummo judicio philoſophi præditi, auctoritate conſignandum erit. *Qui nos præceſſerunt non debent præripere nobis quæ dicamus, ſed aperuerunt. Multum intereſt an ad conſumptam materiam, an ad ſubactam accedas. Creſcit in dies & inventuris inventa non obſtant. Conditio enim optima eſt ultimi aut inventoris, aut ſcriptoris. Parata verba invenit quæ aliter inſtructa novam faciem habent: nec iis tamquam alienis manum injicit: ſunt enim publica.* Et ut ait Naſo:

Hoc argumentum tractavit Horatius l. 2. Epiſt. contra eos qui vetuſtiſſima quæque poemata aliaſque res laudant.

Quæ publica tangunt
Carpere conceſſum eſt.

Et Juriſprudentum opinione nil publicum uſucapitur. Et quum majores noſtros gloriæ ſtimulus inſtigarit, an ea erit mollitie animus ut aliorum territus laboribus nil novi cudat, nil moliatur?

AD LECTOREM
M. GULIEL. BALLONII,
Doctoris Medici Pariſienſis,
EPISTOLA.

Suſceptæ hujus in Fernelium *commentationis cauſa exponitur, non tam contradicendi reprehendendique ſtudio, quam veritatem inquirendi. Doceturque juniorum quoque inventa non eſſe rejicienda, dummodo ii veterum gloriam nolint obſcurare, quaſi quotidie cornicum oculos configant.*

ITA eſt comparata hominum natura, ut pro vario naturæ inſtinctu aliis atque aliis rebus moveantur & delectentur: & ut quæque res nobis arridet, ita amor ejus quidam blandus ſenſim in animos influit, ut ad hoc ſe non ad illud adjiciant & adjungant: id quod omnes a natura hauſerunt. Nam & infantulos in ipſis cunis, cum bruto, certo tamen delectu quædam res allicit. Hinc nata varia vitæ ratio, hinc ſtudiorum fluxit varietas. Si hunc laudamus quod ad id ſeſe applicat, immerito eum arguimus qui idem repudiat. Hæc, credo, cauſa eſt cur multis Veterum ſcripta ſitu ac pulvere magis obducta placeant: alii Recentiorum inventis potius moveantur, & priſca, ut ad ſtomachum minus facientia, averſentur. Is tamen eſt rerum progreſſus ut juniorum labor ad ea accedens quæ excogitavit antiquitas, omnia meliora faciat, limet ac perficiat. Ac fruſtra alii poſt alios naſcerentur, niſi eſſet, ut annorum, ita laborum ac operum progreſſio rebus maturitatem allatura. Sua cuique eſt tempeſtivitas, & quod in ipſis fructibus cernitur, quorum prima ex cruditate acerbitas benignioris ſucci, tamquam nectaris, temperatione conditur, idem in hominum operibus cerni debet. Nil eſt in rerum natura quod ſe univerſum profundat, raroque eſt diuturnus ejus rei ſuccus quæ cito ſuam maturitatem eſt aſſecuta. Nil ſimul ortum ac perfectum, & quod anteceſſorum aciem effugit, poſteritatis limam experitur. Ceterum nec eorum placet conſilium qui ſolum vetera ſequuntur, nec eorum qui ad juniorum inventa, relictis priſcis ſe applicaverunt. Minuenda hæc opinio ab æmulatione, neſcio quo animi affectu, & præjudicata opinione profecta: id facile ſe affectationis labe inquinaret. Habet antiquitas in quo laudetur, habent & poſteri. Quamquam noſtra induſtria excellentium virorum,

rorum, qui nos ut annis, ſic auctoritate præceſſerunt, inventis ut adminiculis ſuſtentatur. Horum laboribus tamquam vicariis humeris utimur quibus innixi longinquiora videmus quam illi viderint, tamen id quidquid eſt acceptum ferri debet iis qui nos humeris ſuſtentarunt: niſi operam in inveniendo prius poſuiſſent, noſtra forte frigeret induſtria. Non tamen tantum iis tribuendum qui quidam juniores eo proceſſerint ut nil priſcis invideant. Ac præ ceteris eorum ſupina eſt opinio qui quod ſemel aliis placuerit ita ſanctum tenent, ut eum qui contra ſentiat aut ignorantiæ, aut ſuperbiæ ſuggillent. Ut in moribus ſuſpenſam bene aut male vivendi rationem ex aliorum factis pendere levius eſt, ſic in artibus ita vacillare ut ex aliorum factis pendeas opinione ridiculum eſt: non quid quiſque dicat ſentiatve, ſed quid verum, æſtimetur: quem veritatis cognitio delectat, is debet, *Nullius addictus* &c. alioqui vix hominum ſannam & levitatis ſuſpicionem effugiet. Quod ſi rerum novitate allectus in alicujus auctoritatem juraverit, eam poteſt uſu rerum edoctus, quum ſe imprudens addixerit, non modo deſerere, ſed etiam ſine ſcelere ejurare: is nulla lege tenebitur tamquam militiæ deſertor. *Joannes Fernelius* ſummo vir judicio, de re medica multa præclare ſcripſit: eam domi foriſque aluit gloriam quam pauci aſſequuntur: artem nudam & horridam veſte & lepore donavit: adeo ſemper placuit ut magnæ nobis fuerit admirationi: ſed in paucis cæpit non placere, & maxime in quibus a Veterum ſententia deflexit: ejus præſidium ita munitum viſum eſt, ut ſub eo mereri ac militare animus fuerit. Primum quidem omnia ſeſe mihi probaverunt, ſed quum rem attendi, ab ejus caſtris ſenſim pedem removi, a Veterum partibus ſteti, quod juſta magis cauſa videretur. *Fernelio* me addixeram, ſed amor veritatis adduxit. Non me movet antiquitas aut novitas, ut in illam partem animus meus inclinet: non temporum, ſed judiciorum habenda eſt ratio, hinc enim pendet rerum æſtimatio. Maxime attigi partem eam quæ eſt *de Arthritide* & *de Calculo*, quod in ea parum titubaſſe videatur: & quum alias, tum in arte medica humanæ vitæ præſide, laborandum ne quis ex præjudicata opinione error manet perniciem innumeris creaturus. Veritas licet oppreſſa, vincit tamen, & opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. Dum hanc honeſtam excuſationem prætexo, facile me malevolorum linguæ procacitatem declinaturum credo. Magni referre putavi ſi quid hic quod verum non ſit, ſtatuatur. Qui enim de induſtria in falſo connivet, is aut inertiæ, aut ignorantiæ ſuſpicionem incurrit; & tacite veritati bellum indicit, qui quum poſſit, falſum non oppugnat. At, dices, ſcribentium famæ detrahitur; quid tum? Non eſt tam pertimeſcenda læſa leviter quorumdam famæ ſuſpicio, quam prætermiſſi in veritate confirmanda officii accuſatio. Si quid hic peccatur, id ſe utilitate publica, tamquam firmo tuetur præſidio. Simulatione falſitas corroboratur, & mollibus noſtris ſententiis ſcribentium alitur ignorantia. Si quid in ſalutem ægrorum redundat, magis peccat qui connivet, quam qui ſcripſit: is enim veniam deprecari poteſt. Quum cuique, innata in nos indulgentia, ſua ſcripta placeant, facilis a veritate eſt deflexus. Contra, æquum judicem implo-

rare

rare poteſt, qui a ſe nil humani alienum putat: niſi ſi quem ſua φιλαυτία (a) tranſverſum agat, ut errare ſe non poſſe credat. Et arbitri etiam honorarii partes agit, qui candido animo aliena ſcripta æſtimat, ut ne ſit in alieno opere nimium ingenioſus. Nec placet eorum cenſura qui in præſens de rebus judicium importunum vultum, non ingenuum afferunt; verus æſtimator rationem & judicium, non rugas & ſupercilium afferre debet: ingenuum hominem quærimus, non ambitioſe triſtem, non larvas, non puerile terriculamentum: Siquidem ratione non ſupercilio res æſtimantur. In alieno opere, ſi alias, candor eſt adhibendus, ut omnis opprimatur invidia, quum non verborum acerbitate, ſed rationum vi lenitate quadam temperata in errores inquiratur. Si qua immerito naſcatur invidia, ea homini de utilitate publica laboranti non eſt timenda: invidia enim virtute parta gloria potius cenſenda eſt. Hanc gloriam Apelles propoſita tabula ſe poſſe conſequi putavit: ſutorem pupugit, non quod peritorum judicium reformidaret, ſed ut hominis vulgaris impudentiam coerceret. Qui emendat, nullam ſcriptori facit injuriam, immo providet ne fiat. Emergens veritas falſi radices elidit, nec ſinit ea diutius eminere quæ falſi aliquid prætexerunt. Si *Fernelii* omnino ſcripta non placent, in quo maxime ab Hippocrate, ut a ſcopo, aberrat, non tamen debita laude fraudatur: non hunc dolorem cineribus Fernelianis inuro, nec cum larvis luctor. Quod Platonis ſcripta in omnibus Ariſtoteli non placuerunt, non ideo ſua laus Platoni detracta eſt: ingenii aciem, non malitiam Ariſtoteles probavit, & ea contentione res magis illuſtrantur. Aliena ſcripta expendere & interlinire quum opus eſt, hominis eſt veritatem exquirentis. Omnes, pro ſe quiſque, ſtudere debent, ut diſcuſſa ignorantiæ nube veritas exſiſtat: ac niſi majores noſtri id feciſſent, in inſcientiæ noctem incidiſſemus. Malignus eſt hominum de aliis judicantium animus, ni ſolo veri amore inſtigetur. Miſera eſt eorumdem conditio, ſi diligentia ſimultatem & malevolentiam parit, & negligentia vituperationem. Arduum eſt omnibus facere ſatis. Alii *Fernelii* opera ne pili faciunt, alii mire ſuſpiciunt. Et ut ſpernentium opinio a quodam faſtidio, quo male feriati facile laborant, naſcitur, ita nimis admirantium a præcocis amicitiæ impetu mota, aut admirandi facilitate, tamquam igniculo excitata, ſeſe nimis jactat opinio: ac utrique peccant: illi faſtidiendi laſcivia, hi præpropero amandi æſtu: Nam,

Ab amore præpropero odium differt parum.

Admirationis ſæpe parens eſt ignorantia. Nec paſtor Argonautarum navem, tamquam quid divinum, admiratus fuiſſet, ſi eam alias vidiſſet. Ceterum de me hoc dicam: conſcius ſum mihi quanti *Fernelium* faciam: ſemper putavi cuique licere ſuam ſententiam dicere, bonique conſuli debere, ſi ab animo invidia non ulcerato id ſit profectum: nec a ſcribendo deterrere debuit ejus auctoritas & orationis majeſtas: tantum abeſt ut illuſtrium ſcriptorum ſplendor aciem animi indoctiorum diſtringere debeat,

(a) Amor ſui ipſius.

beat, & altitudo gloriæ aliorum luminibus obſtruere ac officere, quin contra tamquam fax nobis eſt præferenda qua nos illuſtrati aliquid præclari moliamur : & dum hic laboro plus Fernelio ad laudem collatum, quam detractum puto ; forte in hac gravi contentione ipſe vincar : & ideo ſuſcepi ut vincerer. Victus enim non minorem gloriam, quam qui vicerit ſum aſſecuturus : ita vinci viris bonis glorioſum fuit. Non licuit cum eo juſto militiæ ſacramento contendere, pugna tamen non fuit detrectanda: Æquitas cauſæ crimen elevabit. Non ſpes victoriæ quæ homines leves alit, non contradicendi ſtudium, ſed amor veri ad id invitavit. Si indicta cauſa *Fernelium* victum diceremus, noſtra hæc culpa, noſtrum hoc crimen foret. Si noſtræ orationes cum illius argumentis conferuntur, ſingulæ inferiores erunt, in turba forte ſuperiores : ſi non pondere, numero vincemus. Non mea laudo, ſed removeo multorum licitationem qui, quoniam nil ſecum ferunt pretii, ne pili quidem licentur vel optima : & qui ſcribendis libris operam dat in ea eſt ipſe fortuna in qua is qui in ſcenam prodit ſpectante Roſcio. Quidam, quo plus aliis ſapere videantur, ambitioſe triſtes eſſe ſolent : contra quibus natura meliorem indolem indulſit, aliorum labores, ſi populo proſint, laudant. Librorum hereditatem aut amittere, aut alterare deſidiæ eſt & malitiæ : contra heredis boni frugique ſervare legata, ac augere, quum etiam in quiſquiliis aliquid nitidi lateat. Ac horum inique alienos labores obſervantium turba ideo latius manat, quod nulla lex in eos ſcribatur qui iis quæ ignorant contradicunt : fas eſt injurias judicio perſequi, & qui falſo accuſat, quique late intendit, ea mulctatur pœna, qua accuſatus, ſi convinceretur, plecteretur. Sed in calumniatores nil ſtatuitur, quo fit ut audaciſſimo cuique ad ſcripta Doctorum detorquenda aditus pateat : ac in ea incidimus tempora, ut quo quis in alienis cenſuris eſt malitioſior, eo acutior ingenioſiorque habeatur. Utinam mos Ægyptiorum retineretur, ut aliorum inventa communi aſſenſu probata publicis columnis imponerentur : ſi quid imperitum, ſupprimebatur : ſic gliſcenti ac laſcivienti ſciolorum gloriolæ germana virtus probis moribus ac legibus alta ac educata reſiſtebat. Nec omitti debet eorum audacia qui fortiſſimos quoſque aggrediuntur, quo pretium operæ majus feciſſe videantur, & magis, juveniliter tamen, gloriari poſſint. Si vicerint, plus accedet gloriæ, ſi ceciderint, minus dedecoris. Enimvero hac oratione provectiore præluſimus, ut honeſta ratione tacitæ aliorum reprehenſioni occurreretur. Quis enim eum non arguat qui olim *Fernelii* ſcripta non probarit, aut ſi probarit, nunc ſui diſſimilis ac deſultorius eadem repudiarit ? Ipſi nos cauſam noſtram agere voluimus, nec cujuſquam opem implorare qui nos excuſaret aut ficta accuſatione nos deferret. Id ſuſpicione fraudis non careret, & quum velut prævaricatorem nobis apponeremus, id quod acutorum judicum aciem non effugeret. At lectio horum libellorum in quibus ſtilum preſſi, ne e diſputandi genere ſuccincto diſſiliret, omnium fidem faciet. Interea æquum judicem appello, a quo dum lis pendebit vindicias poſtulamus, ut tantiſper rei controverſæ poſſeſſores ſimus, donec lis dirimatur. Nil deterius in poſſeſſione continget. Et ſi adverſa-

rius ſponſione me provocaverit certæ æſtimationis, quam amittam ni mea fiat hereditas, hoc promitto, ſi cauſa cecidero, quum nullo dolo litem intenderim, pœnam quantamvis, lite conteſtata, me daturum: ſin minus licet Sacramento cum eo contendere, ut depoſita velut pecunia ei cedat qui vicerit. Si uterque victus fuerit, cuidam tertio, tamquam ærario cedat. Hoc meo labore fruetur quiſquis eo in nos candore fuerit, quo nos in *Fernelium* fuimus: quamquam non eadem omnino ratio: nam qui hos libellos lecturus eſt, ut æſtimator litis erit: nos qui animadverſione delatoria utimur, non tam æſtimatoris quam cenſoris (ſi modo hoc nomen durius non erit, ſed nominis triſtitiam res ipſa & utilitas, & candor noſter mitigabit) perſonam ſuſtinemus. Vale. Lutetiæ Pariſiorum 3. Idus Novemb. 1591.

In *Ballonii* Librum de Calculo.

THevarte, *veſtri gloriam Collegii*
Ne publicare differas Ballonium:
Nam quæ diſerte diſputat de calculo,
Numeris (ut ajunt) abſoluta ſunt ſuis,
Et ſingulorum comprobanda calculis.

H. VALESIUS.

AD

AD LECTOREM

De cauſa ſuſcepti hujus operis.

NE mirere novis quod de ſcriptoribus unus
Audaci carpam Ferneliana ſtilo.
Quæ nunc ſunt magno Medicorum tuta favore,
Aureolis etiam digna nitere typis.
Scripta olim hæc toti dederat vir maximus orbi,
Et fama dives, dives & ille libris.
Doctorum ingeniis ſeſe bene nata probarunt,
Atque Aſclepiadis jam placuere viris:
Auſpiciis liquidum felicibus aëra ſpirant,
Gratia & auctori ſæpe relata ſuo eſt.
Sed novus exſurgo medicæ tirunculus artis.
Perfricta veterem fronte laceſſo ducem.
Arguo Fernelium: per me detecta pateſcunt
Quæcumque in magno menda latent opere.
Tempus at errores oſtendere debuit index,
(Falſa etenim tempus prodere dicta ſolet.)
Eſſe ut non videatur opus Cenſore ſevero,
Qui dudum cunctis ſcripta probata notet.
Tentantur fruſtra bene nota volumina, fruſtra
Lydius explorat ſcripta probata lapis.
Ferneliana nitent ſucco, multoque lepore,
Antiquos æquant & modo nata libros.
Non ergo Auctoris fœtura eviluit hujus,
Et labor, atque ſtilo tradita ſcripta gravi.
Quod novus eſt, quod eum noſtri videre parentes,
Oſtenſus puero quod mihi forte ſenex:
Quin potius Gallis quod quondam eſt natus in oris,
Commune ambobus contigeritque ſolum:
Multo erit is nobis idcirco gratior auctor,
Sic fuerit cunctis noſtra probata fides.
Nec de tabifico cuiquam livore (veneni
Qui mortale genus lentior inſtar edit)
Sim ſuſpectus ego, quoniam candore probavi
Auctoris libros candidiore novi.
Et quid candidius, genioque quadrantius iſti?
Præventus medicas morte reliquit opes:

Hoc eſt, innumeros libros, animique labores,
Quod verſare manu lecta juventa ſolet.
Poſthuma ſic proles gremiis excepta medentum
Audacter patriis exiit e laribus.
Nacta tamen quoſdam fato meliore patronos,
Et tutelares ſorte beata Deos,
Qui patris exſtincti dum prole ſuperſtite gaudent,
In qua vitalis ſpirat imago patris.
Hanc fovere ſinu, tamquamque aluere parentes,
Pollice tum docto perpoliere rudem.
Sic & amica fides ſuffecta vicaria patri
Externam proles poſthuma ſenſit opem.
Huic ego non gravior, non dicar triſtior hoſtis,
Si rigidus Cenſor vera ſecutus ero.
Non odium facit hoc, non livor peſſima labes,
Hac animum teſtor labe carere meum.
Urget amor veri, cujus validiſſima vis eſt,
Quæ nec amicitiæ debilitatur ope.
Humanum eſt peccare, quibus mos edere multa,
Sæpe ſopore graves ſcripturiendo labant.
Dum verum inquiro, dum tollo nubila falſa,
Dum ſcripta excutio, diſcutioque vigil,
Auctorem juſta non fraudo laude diſertum,
Huic a me meritus ſed tribuetur honos.
Si trutina æquali, juſtave examino lance
Fernelii libros, gratia agenda mihi:
At ſi futilibus contra rationibus utor,
Momenti pereunt quæ levitate ſui:
Me nota deceptum merito cenſoria plectat,
Pro laude invidiam concilietque mihi.
Sannam hominum ſemper tulit, & dicteria linguæ,
Quicumque in ſcriptis Cenſor iniquus erat.

Lutetiæ 22. Septemb. anno D. 1591.

GULIEL-

GULIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI, LIBER

DE ARTHRITIDE,

In quo GALENI *& veterum auctoritas contra* JOANNEM FERNELIUM *defenditur.*

MORBORUM alias difficilis, alias facilis eſt cognitio, alias in utroque ambigit. Et quum veritas partim facile, partim ægre cognoſcatur, cauſa ejus rei non tam a rebus, quam a nobis pendet: nam animus noſter ad ea etiam quæ clara ſunt, eodem modo affectus eſt, quo noctuarum oculi ad lumen diurnum; etſi laboris fuga in has ignorantiæ tenebras nos alioqui rerum a communi ſenſu remotarum capaces adegit. Et quum multi morbi vel natura ſua, vel errore noſtro incogniti adhuc latuerint, Methodicorum & Empiricorum inſtrumenta in multis architectandis in manum ſumimus, hæc ſunt λογισμὸς καὶ ἐπιλογισμὸς (*b*): ille definitur ratione quæ ab evidenti profecta rei obſcuræ fidem facit: hic communi quadam ratione, quæ omnium aſſenſu approbatur. Sic Empiricis evidentia non placent, ſed ratio communis: Dogmaticis contra. Sic dum in rebus abditis de remediis decertatur, quantum detrimenti genus hominum capiat, nemo ambigit. Melius foret homines tanti non emere aut ſuorum Medicorum incuriam, aut ignorantiam: hinc tollitur ea fiducia & alacritas quæ in homine perito elucet, hinc impotentia in medendo, & temeraria audacia: quarum illa ab ipſa timiditate, hæc ab ignorantia proficiſcitur. Quod ſi ars divite quadam facultate prædita foret, vis

Ariſt. 2. Metaphyſ.

Gal. lib. de ſectis com. ad part. 6. 1. progno.

(*b*) Ratiocinatio & Epilogiſmus.

animi in occultorum morborum penetralia invaderet, nec majus negotium quam cogniti morbi faceſſerent. Et hoc dolendum quod aut nil proficitur, aut quod quum deliberationi & conſilio locus ſit, graviter peccatur. Tale peccatum nulla excuſatione aut elevatur aut eluitur: hoc autem Medicum ſollicitare debet, non tam ut proſit, quam ut non obſit: non quin in utroque enitendum ſit, ſed turpius eſt videri nocuiſſe, quam non profuiſſe. Quid agas ſi res latent? Excogitanda remedia, ut in ea rerum difficultate, quia nil dum ſtatuitur, dum læſio doloriſque exacerbatio abeſt, innocens officium appareat. Ac morbi cognitio remedium ſuum inſinuat: immo morbi cognitio & curatio in ſe retro meant ac convertuntur. Non tamen ſi morbus in ſpecie & in idea cognitus eſt, omnino curationem admittit. In cancrum occultum animi acies penetrat, eum proſequitur ac perſequitur, non tamen radicitus exſtinguitur, ni membri reſectionem curationem voces. Morbus lunaticus, febris quartana, peſtis ſub intelligentiam cadunt, non tamen facile curantur: immo arti probro eſt quod ab his ſæpe vincatur. Sit ita apud eos qui ab arte medica tamquam a Deo omnium morborum curationem ſtulti exſpectant: quibus melius eſt ingenium, aut genius, probe norunt quoſdam morbos eſſe incurabiles; hoc tamen artis impotentiam non indicat. Ceterum inter morbos quorum cognitio juxta & curatio ardua eſt, cenſetur arthritis; *hujus*, ait Paullus, *cæca origo eſt*: non tamen ceſſatum oportet donec innotuerit. Operæ pretium eſt eorum audire magnifica verba περὶ ἀδήλου καὶ θείου (*c*), quo ſe explicent & culpa vacent, dum ſuperba nomina pronuntiantes in remediis jejuni & ſteriles frigent: Id quod Hippocrates in Gnidiis medendi magiſtris reprehendit, ut ſæpe unius homunculi periclitatoris opera temeraria plus ægro proſit, quam Medici ampulloſa & ad pompam ſpectans diſputatio. Admirari morbos, non autem curare, hominis eſt ſua arte & ingenio abutentis: dumque divina animi vis voluptaria illecebriſque plena admiratione retinetur, melior pars artis Medicæ inculta jacet; hinc pro ubere fructu nil inde redit niſi caſſum quiddam & inani vocis ſono decoratum.

Hipp. 6. Epid. Cic. in orat. ad Quint. fratr.

Hipp. lib. 1. de victu acut.

Quoniam autem vulgo Arthritis Medicorum vocatur opprobrium, quod incurata aut ignorantiam, aut inertiam indicet, de ea paucis dicemus. Qui enim Arthritin quis profligabit, quum nondum de ejus origine conſtet? immo plenæ ſunt controverſiarum ſcholæ. Arthritis porro dicitur quum articuli aut omnes, aut maxima eorum pars periodice laborat: ſic Arthritis ab articulorum dolore generalius ſumpto diſtinguitur. Id Galenus explicat quum Hippocrates ait in ſqualloribus Arthritides generari, id quod non placet Galeno: neceſſe eſt enim ut humor aliquis doloris ſit cauſa, at in ſquallore aut nullus eſt, aut perexiguus: ſic tunc dolores quidem oriuntur, non Arthritis, ut quæ ab humore ſit. Quod autem aliud ſit dolor, aliud Arthritis, hinc patet. In Oeno legumina comedentibus genuum dolores erant, non Arthritis. Sic concludit Galenus vocari Arthritin, non quum unius articuli dolor eſt, ſed quum multorum, licet

Com. ad aph. 16. l. 3.

Hipp. 2. Epid. part. 13. ſect. 4. lib. 6. Epid.

(*c*) De inconſpicuo & divino.

licet & eo loci deficiat Galenus. Et Savonarola caput ſcripſit de junctu-rarum dolore : in febre laborioſa ſunt ſymptomata Arthritidis, non tamen Arthritis.

De Arthritide quærendum, de cauſa, materia, origine, motu, periodis; an unus humor, an multiplex, quæ ejus indoles, an inflammatio; & remediorum caput attingetur; ſeries quoque diſputationis alia enucleabit. Jam dictum eſt Arthriticis proprium eſſe ut non in una parte dolor concludatur, ſed ut eſt efferus humor in partes irruens, ita modo hic, modo illic dolor moveatur: unde quæritur qui fiat ut qui iſchiade laborat, raro aut numquam aliis articulis doleat, quum tamen iſchias Arthritidis nomine includi videatur. At ut quis Arthritide laborare dicatur, neceſſe eſt ut ad varios articulos malum proſerpat. Sic dolor eſt vagus, periodicus cum tenſione & acerbitate. Cur iſchiadis materia ſeſe alio non confert? hanc enim ab Arthritide Paullus non ſeparat, niſi quod iſchiadis cauſa in ſola coxarum compage inhæreat; quaſi dicat in iſchiade materiem eſſe craſſiorem ac contumaciorem, in Arthritidis ſpeciebus mobiliorem, nec ita frigidam, ut ſua ſponte ac vi ſeſe impellens, ac concitans, concurſu facultatis expultricis modo huc modo illuc irrepat. Quamquam in Iſchiadicis fere fixus ea parte dolor non eſt, ſed occupata ſumma natium parte, tota tibia & pes affluxu ejuſdem materiæ torquetur: ſed id fit tantum ex eventu, & non in vera iſchiade. Alii definiunt Arthritin articuli dolorificum tumorem quem fluxio in eum incumbens excitat; alii inflammationem, ſed male quum ſæpe plus ſit œdematis, quam inflammationis, ni tandem humor ſuppreſſus inflammetur. Marcellus definit inflammationem permanentem affectis nervis dolores graves excitantem: at fit ſæpe ſine inflammatione, nec ſemper eſt dolor permanens, nec in nervis ſemper, nec dolores ubique graves.

Cap. 77. li. 3.

Manard. lib. 8.

Atque ut clarior fluat diſputatio, dicam oſſa tribus modis connecti. Aut invicem coaleſcunt, idque vel alicujus interventu, ut in mollioribus & fungoſis; aut contra, ut in duris & ſiccis, κατὰ τὴν σύμφυσιν (*d*): aut ita committuntur inter ſe ut obſcurum motum habeant, quod fit κατὰ συνάρθρωσιν (*e*), vel manifeſtum, κατὰ διάρθρωσιν (*f*). In prima connexione dolores non moventur: in ſecunda raro, niſi quod tophi & œdemata fiunt, ut in articulatione carpi: tertia Arthritidis ſedes eſt, vel inter membranas, tendines, ligamenta membranoſa (nam poſtea duo eſſe dicentur) quæ a perioſtio oriuntur, & ita ſentiunt, ex quibus articulus firmatur; hinc acerbitas doloris ſi qua ibi materies coercetur. Nam vel ſua acrimonia ferit, ut bilis & ſerum, vel frigore moleſta eſt, ut pituita, vel aſperitate, ut gypſea, vel diſtenſione membranarum, aut ab inflammatione, quod humores aut ſigillatim, aut promiſcue efficiunt ſuis ſignis diſtincti.

Ac primum quæritur an a ſanguine Arthritis, an humor a venis & arteriis,

(*d*) Per coalitum.
(*e*) Per coarticulationem.
(*f*) Per articulationem.

arteriis, an a ſolo capite in nervos refundatur? an in acetabulo materia contineatur, an non? Et Fernelius ab aliis multum diſſentit. Paſſis velis navigandum conſtitueramus, at potius contractis eſt utendum. Negant quidam ſanguinem eſſe cauſam, quod neceſſario ſuppuraretur in articulum illapſus. Contra, non omnis ſanguis influens phlegmonem ſuppurati capacem excitat, niſi in muſculum carnemque inciderit, nec pus fit ni calore partis juvetur: id quod in nervo exſangui frigidoque vix fiet: loci enim natura refrigeſcit, & potius in mucum pituitoſum verteretur, quod φλεγματῦσθαι (*g*) dicunt; unde etiam abſceſſus critici in articulos, licet a loco calido manent, & materiæ ſint calidæ, nonniſi longo tempore ſuppurantur. Itaque Arthritis non proprie phlegmone eſt, ſed ſi materia calet, tumor eſt φλεγμονώδης (*h*).

An vero in acetabulum humor influat, dubitatur. Fernelio in cavitatem humor non deſcendit, nec in ſpatium quod inter oſſium extrema intereſt, ſed putat vincula & membranas quæ extrinſecus oſſium extrema nectunt, & tendines eo directos imbui ſolere: horum duplex ratio. Prior in chiragra tophacea humor lapideſcens aperta cute ex articulis digitorum eruitur, vinculo, quod ſitum in pyxide utrumque os colligat, illæſo. Poſterior, ſi in iſchiade humor in pyxidem conderetur, non tantus dolor foret, quod vinculum expers ſenſus ſit, nec tam late diffuſum, unde Galeno dum fiunt abſceſſus in febre laborioſa, dolorum ſponte natorum ſubjectum eſt totum genus muſculoſum. Et ſi ex motu labor accidit, ut quid peculiare, adeſt articuli caliditas: ut ne ſit mirum in eo motu ad articulum humorem abſcedere, ut qui una cum muſculo concaluerit ac laborarit. Spontaneo labori accidit ut uno modo in articulum humor decumbat quum latiora articuli ſpatia humorem excipiant: nec tamen conſtat an humor dearticulationis locum ſubeat. Eodem & id pertinet, fluxio Arthritin faciens primum loco dearticulationis excipitur, deinde a locis adjacentibus ad cutim uſque: & quoniam articulationes implentur, ligamenta adjacentia tenduntur: nervi & chordæ non inflammantur, ſed dolent articulatione diſtenſa. Nec valet ratio Fernelii de vinculo interno (de externo enim nil dicitur.) Si enim fatetur in acetabulo tophum concreſcere; materia quoque in hoc ſpatium incidet: at vinculum interius non facile afficitur ab humore ut forte, validum, inſenſile: dolor excitatur non ob vinculum hoc ſenſu carens, ſed ob vicinorum tenſionem, & incluſionem materiæ eo loco quo non debet: ſic ratio Fernelii friget. At melius aliquis explicans quid ſit articulum occupari: Articuli nomine non modo caput oſſis quod inſeritur, aut alterius oſſis cotylen audiemus, ſed & ligamenta, tendines, & quicquid ad articuli firmitatem ſtructuramque pertinet. Per Arthritides non modo eæ partes non ſunt immunes, ſed etiam in longius diſſitas partes affectionis labes pervenit: nec tamen patet an cavum oſſis humor ſubeat. Tamen doctrinæ cauſa duo ligamentorum genera ſtatuentur, unum ſenſum habentium, alterum ſenſus expertium:

ad aph. 31. l. 4.

Gal. ad aph. 39. lib. 6.

Gorr. in definit.

(*g*) In pituitam converti.

(*h*) Inflammatorius.

tium : quæ ligamenta a media oſſis parte ducuntur, ea ſenſu vacant ; quæ a perioſtio exquiſite ſentiunt, eaque ut & tendines in Arthritide laborant, ut non ſit mirum ſi tantus ſit dolor : nam inter tendinem & ligamentum quod tendinem integit, materies collecta eſt. Alii ſic dicunt, alia ligamenta oſſea ſunt, alia membranoſa, illa haud ſentiunt, hæc contra.

Nunc materies & locus a quo emanet, explicetur : Fernelio, a capite eſt ſolo, eaque frigida eſt, aut ſerum, non ſanguis, aut bilis, aut ſuccus melancholicus. Si humor frigidus eſt, cur ſluporem non affert potius ? Pituitæ & ſero ejus ineſt ut torporem efficiat, non mordacitatem : ni utrumque ita alienum ſit, ut aut ſalſum, aut acidum fiat. Si frigidus eſt, unde tanta doloris acerbitas ? Et dum quæritur cur hieme & autumno podagrici dolores renoventur ; Galeno, vere qualitate & quantitate humor infeſtat, autumno autem qualitate ſolum. Et dubites an vox μόνον (*i*) ad qualitatem, an ad autumnum referatur, ut ſit hic ſenſus; ſecundum ſolam qualitatem humor morbum facit autumno, vel in ſolo autumno ſecundum qualitatem. Unde ſola qualitas Arthritidis cauſa eſſe poſſit cum pauculo humore, nec ea adeſt quantitas quam Fernelius commentus eſt. Rondeletius male Fernelii verba detorquet : nec enim Fernelio placet per venam, ſpinalem medullam & nervos fluxum fieri, ſed per inanitates ſub cute : nec vult eum mucum qui per palatum deerrat Arthritin committere, ſed per partes corporis externas & extra calvam poſitas credit humorem Arthritidis cauſam decurrere.

Gal. 6. Epid.

Ad aph. 55. lib. 6.

Sed pro Fernelio militant hæc. Si bilis aut quivis humor calidus Arthritin committeret, cur non ſtatim inflammatio ſequeretur ? Impedit articuli frigiditas, inquies. Cur non & membranæ coſtis intextæ ægre concipiunt inflammationem ? Tamen in iis alioqui frigidis facile inflammatio concipitur, ut pleuritidum ilias demonſtrat : facile quoque humor biliosus eryſipelata & herpetes in cute concitat. Favebit & Fernelio locus Hippocratis explicans ſeptem genera fluxionum a capite orientium, & a parte poſtica : *fiunt articulorum ac coxendicum dolores* (ait) *a talibus morbis ſanatis* (id eſt hydrope & ſuffuſionibus aquæ) *quum id quod morbum facit ſanatur, & quod in carne relictum fuerit cui non erit exitus, ſed tuberculum faciens fugit in id quod cedit, ac tum articulorum dolorem excitat.* Niſi forte in Fernelium faciat id quod idem Hippocrates ſtatuit, nempe *duplicem eſſe mucum, unum ab interno capite, eumque aliqua præditum ſalſedine, alterum ſubtus calvariam ad inferiora deſcendentem, eumque inſulſum & dolorem non cientem* ; ſic qui ab externo capite humor eſt, aut Arthritin non movebit, vel ſi manans a capite humor Arthritin facit, is ab interiore parte manabit, quod Fernelio non placet.

Lib. de locis in homine.

Lib. de loc. in homine.

At a pericranio eſt (ait.) Cur non & aliæ partes infirmæ a validis partibus depulſum humorem non excipient ? Sit ita, magna fluxionum pars a capite ſit, quid attinet novos & obſcuros aquæ ductus effingere ? Quum abſcedat humor per venas, arterias, nervos, oſſa, credibilius eſt

(*i*) Solum.

humores per eas partes fluere & refluere, per quas alimentum ad partes defertur, facilitas enim fluxus & refluxus per vaſa fit. Et quum in Arthritide ſubita motio ſit humorum, ea per vaſa fit, non per cæcos ductus. Fernelius ad caput confugit ratus tam ſincerum humorem a venis reliquos humores complexis, ad articulos affligendos ſecerni non poſſe. At facile ſincerus humores id faciet, ſeu in parte congeſtio fiat, ſeu a cerebro humor deſcendat: non quod ſit ea pituita quæ per infundibulum in pulmonem alvumque deerrat, quia in venas & arterias eam reſumi oporteret, ut inde ad nervos traduceretur: Id quod non fit. At probabilis eſt iſta derivatio ſub cute per inania muſculorum ſpatia, ut quaſi inundatio alvei ipſa humorum eluvies in cavitatem articulorum & partes vicinas illabatur. Quod ſi neget ab interno corpore eo rapi humorem, quod & via non ſit facilis, & fiat a maſſa ſanguinis ſecretio, quid dicet de abſceſſibus criticis, materia morbifica in articulos ſepoſita a ſanguinis maſſa ſecreta, aut ab ipſo meſenterio traducta? In maxillas & articulos paſſim fiunt, quum id a ſolo capite non ſit, alioqui omnis febris materiam a capite repeteremus. Quum copioſa mictio Archigenis ſervum ab abſceſſu vindicat, an non illa materia prius in venis contenta erat? Alba, lævis & æqualis hypoſtaſis morbum ſolvens an non a capite eſt? Ejus pars critice excluſa in articulos Arthritin facit. Dum fiunt apoſtemata modo ſincero humore fluente, modo mixto, exanthemata, numquid a venis ea eſt materies eademque in articulos rejecta Arthritin movebit? Et tamen caput culpa caret. Apud Hippocratem, Arthriticus dolor ceſſat, colico exacerbato, & contra, unde eſt? Quia, ait Galenus, humorum in artus currentium impetus ad colon convertitur. Ita ab interno corpore per ductus obvios & obſcuros fluentes humores in articulos repunt, fitque συντιμωρία (k) inter articulos & inteſtina: item dyſenteria ſuppreſſa facit abſceſſum in coſtis, viſceribus & articulis. Num bilioſus abſceſſus in articulis, ſanguineus in coſtis ſit & viſceribus? Id evertit dogma Fernelianum. Nec Hippocrates ſcripſiſſet ab ipſa bile Arthritin fieri, ni ipſe vidiſſet. Et quidam Arthritici deſierunt laborare, deinde obortis eryſipelatis interierunt. An non fuit materia bilioſa quæ Arthritin committebat? Si humor dyſenteriæ in articulum procumbit, ergo a cerebro fruſtra Arthritis repetitur: nam & a ventre in artus, & contra refluere poteſt. Quod autem dubitarit Hippocrates an bilioſis abſceſſus in articulis, ſanguineus in coſtis: ideo fecit, non quod non credat bilem Arthritidis cauſam eſſe poſſe, ſed quod præter rationem videtur ut humor bilioſus ſua ſponte levis inferiora petens in articulos procumbat: aut quia potius alvum irritaret, dyſenteriamque crearet quam per cæcos meatus in articulos ſeſe inſinuaret. Item confert abſceſſum ſanguineum cum bilioſo; in coſtas enim facile ſanguis reperitur ob viciniam hepatis & venæ cavæ, quæ per quamdam ναυτίωσιν (l) eructant bilioſum ſanguinem in partes reſpirationi conſecratas. Et *in Aphoriſ.* quum agitur de Arthritide in ver incidente, in phymatis & articularibus morbis

4. aphor.

Part. 3. ſect. 34. l. 6. Ep.

In Coacis. Notandus locus.

Holl. part. 28. l. 6. com. 1. ſect. 2. & Duret. c. 20.

Aph. 23. lib. 3.

(k) Conſenſus, participatio.

(l) Nauſeam.

morbis vernantibus corpus profundum expurgatur, fitque in extimas partes pravorum humorum traductio: sic non a capite Arthritis pendet. At dicet Fernelius: dysenteriarum & alvinarum fluxionum caput auctor est Hippocrati: sic qui humor in alvum labens dysenteriam parit, nonne alio cursum inflectens Arthritin committet? Sic enim αἱ μεταῤῥύσεις, μεταστάσεις καὶ αἱ νόσων μεταβολαὶ (*m*) fiunt: sic vomitus alvi profluvium compescit. Sed hæc Fernelium exagitabunt. Si in lassitudine spontanea cum membrorum confractione καὶ μετὰ ὀστεοκόπου (*n*), cum articulorum dolore, aut ob diffusum serum per genus nervosum & musculosum, vel ob colliquationem ipsarum carnium si motio præcesserit vehementior, si (inquam) causa augeatur supprimaturque, numquid Arthritin pariet? Et tamen caput accusare ignorantis est. In ulcerosa lassitudine numquid Arthritidis speciem dicas esse? Juveni dolores articulares contigere exanthematis infra modum erumpentibus: an id a capite? unde Hippocrates, *Quibus satis hieme circa lumbos frigiditas & gravitas ex levi causa & alvus suppressa, ventriculo bene agente, his ischias, aut renum dolor, aut stillicidium urinæ forte continget.* Hinc patet ischiadem non tam ab externo quam ab interno corpore oriri. Item Hippocrates, *splenis & viscerum tumores & inflammationes in articulorum dolores desinunt.* Febres quartanæ in speciem Arthritidis aliquando desinunt facto abscessu καταῤῥόπῳ (*o*), alimento ipsius partis corrupto, & articulo effeminato. Tusses laboriosæ contingunt locos læsos, & maxime articulos. In febribus laboriosis tusses siccæ ad articulos decumbunt cum febre si intus relinquantur: hoc fit quia materia tussis aut alio transfertur, aut quum in pulmone moram traxerit (sic enim suppressa virulenta materia tussim facit, cujus perennitatem ad caput male vulgus refert) tandem vi naturæ expulsa in articulos irrumpit, hinc Arthritis: In alio loco apparebit dum docebitur cur gibbosi aut asthmatici fiant dysenterici, aut varicosi: idem de articulis dici potest. Præterea suppressis mensibus dolores & rubores articulorum oriuntur Hippocrati: Et mulieres podagra non laborant ni menses sint suppressi, Arthritin accersent, frustra ad caput & externam fluxionem recurres: id totum ab interno est. Si in partibus externis ulcera fuerint, & tumores in articulis, quum hæc evanuerint, dysenteria oritur: numquid facilis & quasi pervius partium internarum & externarum consensus adest? Item solemnis omnis suppressio Arthritidis auctor esse potest capite illæso, nulla per extima corporis fluxione facta. Addit Hippocrates: *Quibus repente febris expertibus præcordii & cordis dolor, circa crura & infernas partes alvus intumescit, hos liberat venæ sectio & alvi fluxus, his febrire nocet: Longæ enim febres fiunt & tussis & singultus, his ad solutionem tendentibus dolor fortis coxarum & crurum, aut puris sputum, aut oculorum privatio: Dolores ad hypochondria in febre voce intercepta sine sudore soluti, malum; his ad coxendices dolores fiunt.* Patet quod materia dolores articulorum motura sæpe ab hypochondriis est non

Gal. cap. 10. l. 2. de simpl. med.

In Coacis;

Sect. 3. l. 2. Epid.

Sect. 7. lib. 6. Epid.

Ex lib. 2. de art.

Sect. 8. lib. 6. Epid.

De Phaetusa Pytheæ uxore ad finem sectionis.

Aph. 6. l. 5.

(*m*) Transfluxiones, metastases & morborum mutationes.

(*n*) Et cum dolore ossa frangente.

(*o*) Deorsum vergente.

a capite: unde videmus melancholicos & hypochondriacos tot doloribus pungentibus & diſtendentibus affligi, ut articulare quid ſit, an id a capite? Ab interno corpore ea materies prodit aut Arthritin aut quid ſimile creatura. Fernelium convincet hiſtoria cujuſdam qui quotidie genio indulgens vomebat: ſuppreſſa vomitio, frequentes rigores, febris: hanc deſinentem excepit paralyſis partium quæ ſunt ſub capite, inde mors. Inventa eſt bilis ſincera in cavo hepatis libræ pondo membranis inhærens, hujus portio in nervos irrepſerat, unde paralyſis. Sic ſua ſe hiſtoria convincet Fernelius, quod ab interno corpore per cæcos ductus materia in nervorum genus, eaque ſincera poteſt irrepere. Apud eumdem febres multæ in colicos dolores, & hi in paralyſin terminantur. Sic a capite more vulgi hoc repetere ridiculum eſt: licet origo perioſtii in omnem oſſium compagem diffuſi ducatur anatomicorum opinione: hac ratione ductus fingit fluxum ſuperne deorſum, & quod non ita ſincerus humor a vaſis ſit, nec liber eſt exitus ſi ab interno humor repat, qui ſatis patet pituitæ ſeroque ejus per ſubjectas cuti partes & cæcos ductus, videtur aliquid efficere exemplo hydropicorum, quorum tibiæ crudo ſucco ſcatent, ſine dolore tamen. Gorræus putat Fernelium uti hoc argumento ut probet Arthritin a pituita non oriri, & ideo rationum haſtas in Fernelium contorquet, ſed perperam: nec id vult Fernelius contra, omnem ab ipſa pituita & ſero Arthritin repetit. Sed hoc uſus exemplo ſuam opinionem tuetur, partim ut doceat pituitam a capite labentem habere quid proprium & συγγενὲς (*p*) ad Arthritidos generationem, ſeu materiem ſpectes (non enim quævis alia pituita id facit) ſive opportunitatem fluendi ſub cute totius corporis. Si enim ſuccus crudus aliunde manans quam a capite Arthritin committeret, hydropici fierent Arthritici quum ſuppetat materies. Et num humor is per tibias ſparſus ſi in articulum fluat Arthritin faciet. Si idem humor & natura, & conſiſtentia, a cerebro manaret in articulum illapſus auctorne foret Arthritidis? ſi non facit, an quia per venas & arterias fluit? At Fernelius alias vias quam vaſa comminiſcitur. An quia a cerebro humor non eſt, ideo non eſt aptus Arthritidi? Et quia ſincerus non poſſit aliunde manare. Idem loquens de tumoribus ait, tumor eſt indolens ni quum membranas vi divellit & diſtendit. Sic idem humor tumorem facit dolentem & indolentem. Et vero, cur humor a corpore interno cacochymo, a rene purulento, pulmone, in articulos vi naturæ impulſus, idem non pariat quod & humor crudus a capite deerrans? quaſi eam proprietatem & ἰδιοσυγκρασίαν (*q*) qua Arthritin pariat ab uno cerebro ſortiatur? Et ſincerus humor non aliunde defluat? Nunc de ſincero. Mulierum ῥοὶ (*r*) viridis a ſincero eſt (ἄκρατον enim impermixtum ſignificat quum nudus ſimplexque humor apparet) an ideo a cerebro? Nequaquam: a ventre enim ſæpe eſt. Quum quis gonorrhœam contraxit initu impuri ſcorti, malignus & ſincerus humor fluit, & ab interno eſt: Sincerus ergo aliunde quam a capite. Virgines defœdatæ ſuras, articulos dolent,

Fernel. c. 10. l. de feb.

De feb.

Cap. 3. lib. 7. Patho.

(*p*) Congenitum.
(*q*) Idioſyncraſiam.
(*r*) Fluxus.

dolent, an id a capite? ſi humor is in inanitatibus tibiarum dolorem ciens articulos ſubiret, quam immanem Arthritin excitaret? Icterici poſt dolores colicos refuſo in tibias ſero dolores illic ſævos ſentiunt: & tamen a ventre, id eſt, a febre quartana tibiarum articulorumque dolores moventur tenuis ſeri diffuſione, quod divellit membranas: an id a capite? Humor melancholicus varices faciens, in capite defluvium capillorum affert, numquid & ſævam Arthritin pariet? Sed cur hydropicis dolor non adeſt? Multus eſt humor, diſtendit, diſtentio maxime dolorem facit in Arthritide, in qua tamen paucus ſæpe humor diſtendens acerbum dolorem ciet. Hunc nodum ſolvit Hippocrates. Si modicus fluxus fit (reſpectu magni fluxus qui in hydrope fit, unde pars tumet ac detumet) coxendicum & articulorum dolorem quum fluere deſiit, facit. Nam ut modicus, & undique a partibus fortibus depulſus, ad articulos refugit: non ſatis tamen. Si enim paucus humor dolorem facit, cur non & multus, quum idem ſit humor? In cachecticis & hydropicis abundat. Fruſtra affert Fernelius ſuccum crudum cachecticorum & hydropicorum a quo non fiat Arthritis, ut efficiat, ſi dolor ſit, a capite cauſam arceſſendam eſſe. Quatuor in loco adducto requirit Hippocrates ad dolorem articularem, ut ſit humor modicus, ut fluere deſinat, ut a fortioribus repellatur, ut ad articulum confluat: Vis in eo eſt, ut ſit paucus, & a parte forti pellatur.

Gal. ad aph. 49. lib. 6. De loc. in homine.

Seneca cauſas tanti in nervoſis partibus doloris, & cur multus humor obruat non moveat dolorem; explicat lib. 11. Epiſt. 79. Vide ſub finē hujus libri appendicem de dentium & nervorum dolore.

Si multus eſt, partem in æqualem intemperiem adducit, & mole obruens in iſta æqualitate indolentiam facit; unde quibus artus intumuerunt, iis fere vacuitas doloris adeſt. Sed quum paucus in nervos effunditur, quum mole ſua dolorem non inferat, quid qualitas poſſit, apparet. Paucus eſt humor quantitate, ſed magnus viribus: & poſt articulares dolores, & dentium, genæ tument & articuli, & tamen tunc dolor ceſſat. Ceterum quum a parte valide humor regeratur, docet ſuam virulentiam quæ ὀργασμὸς (*s*), & doloris parens eſt, unde ad ἄκοπα & ἀνώδυνα (*t*) confugi ſolet. Et quum dolor minatur, a medicamento abſtinetur, ne concitatus humor in nervos, partes debiliores, deferatur. Et vis eſt magna illius humoris tam ſubito partes peragrantis, quum nil ſæpe tumeat, ſed ſe in corpuſculo nervi agitans, cruciatus infert: immo ſæpe fiunt membranarum ἐπαναςάσεις. Contra in leucophlegmatia & cachexia vacuitas eſt doloris, quum ſit & quantitas ſucci crudi, & ſeri mali proventus, quamquam in fœdo colore gradiendi ſæpe impotentia eſt præ gravi tibiarum dolore, qui dolori articulari ſuppar eſt. Secunda conditio eſt, ut humor fluere deſinat, vel ut jam fluxio conſiſtat, aut dolor non aderit, niſi forte fugax, vel in nervoſo genere ſit, non in venoſo: in venis enim fluxilis eſt, in nervis ſtat. At falſum eſt dolorem non moveri ni ſteterit fluxio: ſed ut dolor perſeveret, humorem inhærere fas eſt. Hippocrates docet morbos venarum fugaces eſſe, nervorum ſtabiliores, contumaciores, & qui etiam ſtatis temporibus memoriam ſui renovant: Hippocrates hic textus: *Qui morbus a venis eſt, levior eſt quam qui a nervis. Diffluit una cum*

In Coacis Hipp. de morbis nervorum repullulantibus.

(*s*) Orgaſmi. (*t*) Laſſitudinem & dolorem tollentia.

cum humore qui venis ineſt, & non quieſcit. Et natura venis in humore eſt in carnibus, Gr. καὶ ἡ φύσις τῇσι φλεψὶν ἐν ὑγρῷ ἐστιν, ἐν τῇσι σαρξίν. Nervi ſicci ſunt & cavitates non habent; ad oſſa conſiſtunt, ab oſſibus nutriuntur, & a carnibus, & calorem inter oſſa & carnem medium habent, & humidiores ſunt & carnoſiores quam oſſa, ſicciores, & magis oſſei quam carnes. Morbus nervorum firmatur, quieſcit in his. Hinc diſces cur partes tumeant ac detumeant ſine dolore articuli. Humor enim in vena continetur non in nervo, aut in hoc non ſedet: quieſcat oportet, ut doleat pars. Explicabo illud, καὶ ἡ φύσις τῇσι φλεψὶν (*u*), &c. confert genus venoſum cum nervoſo: nervoſi nomine audit nervos, membranas, ligamenta, tendines, perioſtiumque: vult genus nervoſum humidius biſariam, tum quod venæ cavæ humores contineant quæ conſiſtentia liquidi ſunt, corpus humectant cui inſunt & illud proluunt, tum quod venæ carnibus inſint quas nutriunt. Sic, natura venis in humore eſt in carnibus, id eſt, proprium eſt venarum, ut humorem contineant & in re humida ſint, id eſt in carne. Nervi duriores, ut cavitatis expertes. Venæ molliores ob cavitatem, & quia a jecore pendeant. Sic res continens humida dicitur mollis & humida tum ratione rei quam continet, tum rei in qua continetur, vel hoc, in humore, id eſt in carnibus, caro enim τὸ ὑγρὸν (*x*) vocatur. Sic vena in humore eſt, id eſt in carnibus, in quibus & ſedem, & firmitatem, & augmentum, & munus habet vena: Nervi ſicci ſunt, quia non in carnibus, & res humidas non continent ut venæ, & a ſiccis oſſibus & membranis oriuntur. Unde ait: Nervi ad oſſa conſiſtunt, & ab iis nutriuntur. Et ſi alii a carnibus nutriuntur, ut qui muſculos contexunt: ergo morbi in nervis firmiores, in venis non item. Sic docet Hippocrates: *Confluunt omnes venæ mutuo, aliæ aliis coincidunt, aliæ per venulas a venulis extentas. Quod ſiccius eſt magis morbos recipit & dolet natura, humidum minus. Morbus in ſicco ſtabilitur; in humido fluit, alias aliam partem tranſmigrat & quieſcit, & citius ſedatur ut in humido non confirmatus*: unde patet diſtinctio inter morbos nervoſi & venoſi generis. Quamquam in Fernelium ex eo loco quis objiciat: In Articulari morbo, humor furibunde & erratico modo in hos & illos articulos involat, ergo eſt in vaſis, non in nervis & extra vaſa.

Ad Arthritidem requiritur ut humor, aut in articulum incidat, aut in partes proxime eum ambientes, eaſque ſenſibiles: quod non animadvertit Fernelius ſine diſtinctione ponens in cachectico non oriri Arthritin quum tamen ſit multus humor crudus: tamen concludit neceſſario a cerebro eum humorem qui peculiari modo Arthritin eſt creaturus. Et virgines decolores patiuntur poſt diuturnam lentam febrem iſtum vulgarem ῥευματισμὸν (*y*) univerſi corporis inflammato ſero a genere venoſo in nervoſum excluſo: nec animadvertit in cachexia etiam dolores articulares oriri poſſe ſi humor in nervos repat, putreat, inflammetur, ſi præſertim articuli * ſit nativa

De loc. in homine.

De loc. in hom. Lib. de loc. in homine. Locus notandus.

* *Huc referre oportet illud Platonis quod fons omnium fluxionum pituita ſalſa & acida. Et niſi pituita has vires nacta ſit, non infert dolorē. Nam inde peti poteſt ratio cur in leucophlegmatia quum crus aut tibia intumeſcat, tamen adſit indolentia. Id quod paullo*

(*u*) Et natura eſt in venis.
(*x*) Liquidum.
(*y*) Rheumatiſmum.

nativa quædam imbecillitas. Nec enim omne excrementum in partem influens dolorem facit: ſed alias quum efferum eſt ſtatim dolorificum eſt, alias nonniſi cum tempore acrimoniam adeptum: ad id facit partis διάθεσις (z). Non quivis humor dolorem dentium facit, nec quovis tempore: non ſimpliciter frigidus, ni inſigni alia qualitate ſit præditus: requiritur & dentis diſpoſitio: unde cui dens vitioſus, aura frigidiuſcula, & quivis fere humor dolorem accerſit. Si non vitioſus, acerrimum eſſe oportet humorem qui dolorem pariat: aut jam diatheſis eſt, aut pravus humor ſua maleſica vi eam inducet. Extracto dente, dicto citius omnia ſymptomata delentur: nil ſalivæ, nil humoris affluit: ſic & diatheſis, & certa humoris requiritur conditio. Multis gingivæ & facies ſine tamen dolore tument, aliis tument cum dolore: idem in hemicraniis contingit, quæ non a quovis vapore irritantur, niſi diatheſis inuſta ſit. Et hanc diatheſin præcipuam cauſam febrium & ſymptomatum certa periodo redeuntium ſtatuit Galenus: & quum inducta eſt, omnis humorum evacuatio eſt fere inutilis. In Arthritide quidam ſtatim dolent, quia humor aut efferus eſt per ſe, aut ſtatim malignitatem acquirit: alii nonniſi ſucceſſu temporis, quum leves dolores prænuntii fuerunt: alii ſtatim, ob ſenſum exactum. Status temporis plurimum facit. Et qui ſunt Arthritici fere tempeſtates præſentiunt dum quid circa nervos moveri incipit, ac quaſi germinari & efflorescere: ſic modo quodam inexplicabili, dolent nervi: eſt latens cauſa inquietudinis in parte nervoſa, dolor dolorem accerſit, humoremque ciet, & humor dolorem geminat, ſic rerum fit adglomeratio & concurſus: ſic non neceſſe a capite id repetere, & ſub cute novos ductus comminiſci. *Sed & qui in parte collectus ob veterem infirmitatem, & qui a proximis vaſis tranſſumitur antecedens eſt doloris cauſa. Ægris arthriticis fere putris & ſeroſus eſt ſanguis, unde fluendi & dolendi facilis occaſio eſt: iis maxime quibus labes nativa contracta eſt, aut adſcitia, fomes & occaſio mali redivivi. Quibus cerebrum ad epilepſiam eſt opportunum, ii repente prehenduntur, quod vix efficiat in ſano cerebro omnium intemperantiarum ilias. Quot videmus cerebro humidiſſimo, & valde excrementoſo præditos nullo articulari affectu tentatos? At quibus imbecillitas eſt neſcio quæ, leviſſima de cauſa ægrotant. Et cauſa in procinctu eſt; cuicumque enim pars morboſa diſpoſitione affecta eſt, in ea nec coctio, nec aliæ functiones naturales adminiſtrantur: multum excrementi congeritur, & quamvis benignum alimentum, ipſum corrumpitur, aut alteratur: & pars in ſinu ſuo fovet dolendi occaſionem quam ſepultam & dormientem αἱ φυσικαὶ (a) & externæ προφάσεις (b) excitant: immo in ipſa parte morbus eſt, & habitus morboſus cernitur. Paroxyſmus autem arthriticus excitatur, non vitio capitis, ſed totius corporis præſertim cacochymi: nam excitantur dolores iis quibus per æſtatem bilioſi humores fuerint coacervati. Partes expellunt viciſſim pravos humores: pravi.

ante expendimus.

Forte eorum demonſtratio peti quoque poteſt ex verbis Macro. cap. 9. lib. 7. ubi quærit cur cerebrum non ſentiat.

Opus naturæ eſt (ait) ut ſenſum vel nimium ſicca, vel nimium humida non cupiant. Id quod in oſſibus & adipe & ſpinali medulla apparet. Ideo fit ut in partibus vel nimis humectatis vel ſiccatis ſenſus non ſit.

** Partis imbecillitatem ad novos arthritidis paroxyſmos agnoſcit Gal. Sic per congeſtionem non per affluxum malum repueraſcit ac repullulat, unde Gal. cap. 8. lib. de ſang. miſſ. Citra plenitudinem inflammatio fit in parte ob partis imbecillitatem. Facile enim pars grava-*

(z) Diſpoſitio.
(a) Cauſæ naturales.
(b) Occaſiones.

vi qualitate infeſtant & quantitate maxime ſi deliquerint in victu hieme: verno enim diuturnæ paſſiones moventur fuſis humoribus & mox a parte robuſtiore depulſis. Secundum qualitatem potius Autumno. Vere appetente repurgato corpore interno expullulant lepræ, vitiligines, arthritides. An id a capite? Corpus & foris & intus plenum eſt & turget; & ut humores habent ſuos motus, ita varios dolores emovent. Et ſi a capite eſt humor, cur non propinquas capiti partes cubitum, manum prehendit? Nec refert objicere ſenes potius eſſe arthriticos quam juvenes, & ideo illorum humores eſſe potius καταῤῥόπους (*c*). Diximus non quemvis humorem crudum doloris auctorem eſſe: pleriſque genua tument & articuli, ſed humor eſt manſuetus. In cachecticis & hydropicis ob caloris penuriam crudus eſt ſanguis, & infra ſanguinem eſt, ſic, ni aliud concurrat, dolorem non excitat: Aliud autem eſt ἄπεπτον (*d*), aliud ὠμόν (*e*). Illud quovis tempore moleſtat: hoc non item, nam vi caloris naturalis mitificatur; τὸ ἄπεπτον non item. In fœdis coloribus, alias nulli ſunt dolores, alias graves. Si quum fœdi colores ſunt, humores quoque ἄπεπτοι (*f*) ſunt, dolor adeſt, immo halitus venenatus eſt, ἐν ὠμότησι (*g*) non item. Vidimus tuſſes quibus juncta erant ſymptomata arthriticis pæne ſimilia. Inter ſpecies pituitæ a capite manantis, quædam eſt ἄπεπτος inſulſa quæ nil dat negotii: alia acris & ſalſa quæ brevi corrumpit & rodit partes in quas, & per quas fluit: alia eſt per ſe ἰνιώδης (*h*), ſed quæ mora fit deterior: hinc tuſſium varietas. Et apud Hippocratem tuſſes ſunt quæ reſolutionem partium afferunt & ſiderationem. Idem de humoribus in articulos repentibus judicandum. Alias humor initio mitis, ſed qualitatem nactus poſtea afficit, ferocitas enim tempore acquiritur, & hæ diſtinctiones ſunt tenendæ.

tur a ſuo excremento, & ab affluxu alieno. Plura eo loci vide tamen Gal. com. in aph. de Eunuchis. Docet imbecillitatem partis non eſſe cauſam redeuntis mali ſi æger in victu non peccet. Tamen ad finem 2. De ſymp. cauſis ait, licet maneat ſola imbecillitas partis, nec ſuperfluitates allabantur, tamen morbum, id eſt febrem recrudeſcere. Aët. tetrab. 3. ſer. 4 cap. 14. 15. 16.

Nunc vera Arthritidis materia explicetur, & quid de ea Fernelius ſenſerit dicatur. *Humor* (ait) *continens Arthritidis cauſa non tam varius eſt atque traditur; nec enim ſanguineus, nec bilioſus eſt, nec melancholicus: ſed omnino vel pituitoſus vel ſeroſus.* Errandi occaſio eſt quod caput humoris fons ab eo credatur, quod nec ita ſincerus ut Arthritin faciat, nec tam facile ab interno corpore emanet. Utraque opinio antiquitati opponitur. Si enim unus ſpecie humor, fruſtra varietas remediorum pro varietate cauſarum quæſita fuiſſet: at alia remedia Arthritin bilioſam, ſanguineam alia, ſeroſam alia reſpiciunt. Sic in commoda ægrorum peccaretur, quod uni enim prodeſſet, alteri officeret: ac magni refert an hic vena ſecanda, an non: ſi omnis ab humore frigido, nocet phlebotomia: ſi a calido, prodeſt; ſic magni intereſt ad ſanitatem veram cauſam inquirere.

Jam exploſa eſt ſententia negantium a ſanguine eſſe, ſuppuratio foret: quum enim in ventrem fluens ſanguis ſuppurari dicatur, non ſtricte ſumitur pro mutatione ad pus, ſed ἀντὶ τῦ διαφθείρεσθαι (*i*) dicitur: Suppuratio

(*c*) Deorſum vergentes.
(*d*) Incoctile.
(*e*) Crudum.
(*f*) Incoctiles.
(*g*) In crudis.
(*h*) Benigna.
(*i*) Pro corrumpi.

puratio enim magnarum inflammationum eſt, ait Galenus. Si ergo ingens non eſt inflammatio, nec pus fit. Minus vero circa articulum mutatio fit, ſed non ad ſuppuratum, contra in carnoſa parte. Immo ob articulorum frigus, humor calidus refrigeſcit ac recrudeſcit, hinc puris prohibitio. Quod autem humor ſumat alterationem, docet rubor & dolor pulſatilis: immo quorumdam opinione Arthritis velut quædam febris articulorum nuncupatur. Si in empyico pus thoracis jam maturam ex pulmone in capacitatem transferatur, ſuam maturitatem mutatione loci amittit, & recrudeſcit, & fit ἡμιπαπὴς (*k*), ut rurſus quindecim dies expectandi ſint donec iterum matureſcat; probabilius eſt ſanguinem refrigerari quum a loco calido in frigidum, ab interno in externum depellitur. Quo pertinet illud Aetii: *Cauſa cur inflammatio podagrica non ſuppuret, primum eſt partium affectarum ſubſtantia, tum natura, tum ægre mutabilis exiſtens. Partes nervoſæ duræ ſunt & tolerandi cura anguntur; item partes carne nudatæ frigidiores ſunt, influentes humores corruptioni minus patent, & remedia adhiberi ſolita ad putrefaciendum ſunt inepta.* Plura illo loco notanda ſunt: hæc miror Fernelium non legiſſe. Quia enim vidit Arthritidis dolores & inflammationes nonniſi intra dies 40. ſedari, humoremque in articulum fluentem pituiteſcere ac refrigerari, pronuntiavit omnem humorem frigidum eſſe. At diſtinguere oportuit: acer enim & ſubtilis, calidus, ſanguineus cauſa antecedens eſſe poteſt, ſed ob loci naturam immutatur: id quod notandum ne temere remedia adhibeantur. Hippocrates ait ſanguinem eſſe frigidum, & ſemen frigidum natura, quia quum utrumque de genere aqueorum ſit & ſpiritu turgeat, calore evaneſcente & ſpiritu refrigeſcit & tactu frigidum percipitur. Maturitas ſi qua adeſt, facile mutatione loci deperditur, aut diminuta retunditur. Immo quod jam coctionem in parte receperat, in alium repulſum locum amittit eam ac recrudeſcit: id quod in ardentibus febribus abſceſſus teſtantur: hi enim nonniſi longo tempore maturantur licet humor origine ſit calidus & bilioſus: id quod & in articulis evenit. Sic Hippocrates quæ circa linguas elevantur concretiones & humiles calculi, & quæ podagricis circa debiles eorum articulos fiunt: nam oſſium natura cauſa eſt ut hæc indurentur & diſtendantur: & quoniam hæ inflammationes non ſunt ſuppurabiles, Fernelio impoſuere. At Galenus rem omnino aperuit, inflammatio partium carnoſarum acutis morbis annumeratur: (Immo Hippocrates ſtatuit terminum dierum quadraginta ut articulorum dolores ceſſent, aut omnino ſe minuant ut loquitur Plinius:) eſt enim mollior ligamentis; & nervi & chordæ tardius inflammantur vulneratæ, tardius conſiſtunt & ſanantur: vix aliquid externi recipiunt quia duræ ſunt; & quum in articulationibus humores ſint per ligamenta eas complexa, evacuatur τὸ ἀτμῶδες (*l*). Quis tamen contra objiciat, facile hic aut ille nervus in Arthritide afficitur, quod non eveniret ſi tam ægre corpora nervoſa humorem admitterent. Et in febribus

Ad aph. 20. *lib.* 6.

Gal. c. 3. *lib.* 2. *loc. aff.*

Locus præclarus lib. 3. *de morb.*

Cap. 12. *ſerm.* 4. *tetra.* 8.

Lib. de cord. 1. *de diæt.*

Sect. 3. *lib.* 2. *Epid.*

Ad aphor. 56. *lib.* 6.

(*k*) Semiputridum. (*l*) Vaporoſum.

tremores & convulſiones contingunt minimo humoris lancinantis appulſu. Si nervorum ea durities, cur tanta ad patiendum aptitudo? Et quum Galenus confert pulmonem cum membranis coſtarum, ait, ratione ſuæ mollitiei pulmonem quemvis humorem admittere, non membranas. Sed hæ bilioſum humorem admittunt; unde pleuritides a bilioſo fere ſanguine. Si ea eſt ratio articulorum quæ & membranarum, in articulis aut non facile dolor excitatur, aut qui affluit humor tenuis eſt & ſubtilis. Si pituita eſt & humor crudus, quum partes frigidæ, denſæ, compactæ, duræ, unde humoris recipiundi & dolendi tanta facilitas? Nam frigiditas & lentor motum in locum διαρθρώσεως (*m*) impediret, unde aut erit ſanguis, aut bilis, aut ſerum, aut a capite humor ferinus: Fernelius dicet quamdam eſſe articulorum imbecillitatem cui nonnulla diſſolutio eſt, unde propenſio ad humorem excipiendum, unde ſenibus facile Arthritis evenit, quod carnibus liquefactis eorum articuli laxiores more antiquorum parietum dehiſcunt, unde & in ſenibus ἀραίωσίς τις (*n*) ab Hippocrate celebratur. Præter articuli imbecillitatem dicet & humori Arthritin committenti orgaſmum eſſe: hic orgaſmus ab ichore eſt facultatem irritante qui craſſiori corpori incluſus hoc alioqui deſes ciet ac impellit.

Ad aphor. 33. lib. 6.

Notandus locus de ſenibus.

Ad rationes quibus Fernelii opinio de humore frigido convellitur accedet veterum auctoritas. Hippocrates morbos συντρόφους (*o*) in ſenectute ait relinquere, Galenus audit hoc de hemicrania & Arthritide bilioſa: ſenectus enim frigida huic cauſæ calidæ medetur. Et quum Galenus non probat hanc Aphoriſmi partem qua Hippocrates in ſquallore Arthritides ait vagari, non negat eas ab humore bilioſo & acri naſci, ſed negat in tanto ſquallore, vix humorem ſuppetere qui in articulum fluat. Atqui tanta ſiccitas & ſquallor erit, ut omnis humor abſumatur? Cum ſquallore ſi calor adſit, humores acuentur & naturam irritantes in articulum depellentur. Eone uſque procedetur ut corpora exareſcant? Do minores humores, ſed qualitate erunt deteriores. Immo in carnibus ichor latebit fuſo ſanguine qui maligni humoris vicem gerens morbos malignos excitabit: nam & in tempore ſicco, ſqualido & calido, cauſi graſſantur quorum ichor eſt parens.

Galen. quum ad aph. 47. lib. 6. ait morbos articulares ſi cum multa caliditate fuerint, poſtulare evacuationem bilis.

Hipp. ſect. 2. lib. 2. Epid.

Sed & quæri poteſt an in ſquallore verus articulorum dolor non orietur, id quod Galeno placet? * Tempus ἀυχμηρὸν (*p*) aut cum calore eſt aut cum frigore: cum calore dicamus eſſe. Aliud eſt ἀυχμὸς (*q*), aliud ξηρότης αὐχμὸς (*r*), exceſſum ſiccitatis ſignificat, ut uſtio ſit humoris, ſquallor fuliginoſaque natura acquiratur. Nomine ξηρότητος (*s*) non tanta ſiccitas audietur quin quamdam mediocritatem tempus ſit habiturum. Sed do, conſtitutio duret ſicca & ſqualida, an tanta erit humorum conſumptio ut non reſtent ad Arthritin concitandam: & Arthritidi obnoxii aut mali paroxyſmum

* *Non omnis dolor articulorum eſt Arthritis; fit enim per ſiccas temporum conſtitutiones dolor in articulo humidi-*

(*m*) Dearticulationis.
(*n*) Quædam rarefactio.
(*o*) Connutritos.
(*p*) Squallidum.
(*q*) Squallor.
(*r*) Exceſſus ſiccitatis.
(*s*) Siccitatis.

roxyſmum omnino evitent, aut eum leviſſimum experiantur? Si auctore Galeno in ſiccioribus ſecundum naturam temperaturis nulla omnino ſit ſuperfluitas manifeſta per nares effluens, aut per ſudores, ſed omnis in tempore calido & ſicco fiat per διαπνοὴν (*t*) evacuatio ſuperfluorum, ut jam jam conſumpto humore corpus exareſcat, nulli credo morbi fient? At quæ contra hanc ſententiam faciant explicabo. Anno 1575. primi tres menſes humidi fuerunt: æſtas & autumnus ita ſicca & ſqualida fuerunt ut omnes pæne lacus & fluvii exaruerint, vina generoſa. Obſervatum eſt numquam fere articulorum dolores acerbiores fuiſſe: & quibus familiaris hic morbus erat, paroxyſmus tam longus Arthritidis fuit, & tanta dolorum longitudo, ut qui olim ſpatio menſtruo ceſſare viſi ſunt, in multo longius tempus provecti ſint. Mirum erat in tanto ſquallore, quum omnes pæne alii ceſſarent morbi; cur tanta articularium affectuum eſſet ſævities: & illo anno jam hos commentarios animo premebamus, ut ad inſtitutum id quod ipſi oculis videbamus, accommodaremus. Iſchiadum magna erat ubertas circa autumnum, & hæ mulieribus erant fere infeſtæ: plerique hemiplegici ac paralytici. An hoc fiebat quum annus ſiccus eſſet, & ideo ſaluber? Apud Hippocratem fit mentio conſtitutionis ſiccæ in qua circa hiemem hemiplegiæ multæ: id fuit, quod caput oppletum fuerat per æſtatem & conſtitutio erat hieme aquilonia quæ caput lædebat. Omnia hic divina dicimus, ſed tum ita divina ut nil ſine ratione fiat. Rationes aliquot proferemus quibus aliqua ex parte exquiramus, qui fiat ut quum omnes per æſtatem ſqualidam bene habeant (αὐχμοὶ (*u*) autem ſunt omnino ſalubriores, quam τὰ ἐπόμβρια (*x*)) ſub finem æſtatis & autumnum ineuntem dolores articulorum ita ſæviant. Si autumnus diſcedens a temperie præcedentis æſtatis frigidus & humidus fuiſſet, facta in contrarium mutatio tantum mali peperiſſet: at id non contigit. Deinde cur præ ceteris genus mulierum? Immo tota hiems & autumnus infeſta fuerunt mulieribus magna cum omnium admiratione. Tertio, cur inter homines in ſiccitatibus laborantes erant calido & ſicco temperamento prædiți, & tamen mulieres, quæ ab eorum temperamento diſſident, laborabant.

Ut primæ quæſtioni fiat ſatis, dicendum, licet ſiccitas per ſe conſiderata humiditate ſit ſalubrior, hoc tamen quibuſdam cancellis coercendum eſt. Exceſſus ſiccitatis forte ipſa humiditate deterior eſt, iis præſertim quibus cutis perſpiratum non habet. Per τὰς αὐχμὰς (*y*) humoris ubertas non adeſt, ſed quod reliquum eſt, licet quantitate paucum, qualitate peſſimum eſt: ſuccreſcit ichor & ſanies, humor fit ſuliginoſus, acer, mordax, & qui in partibus in quas influit ſphacelum facile committit. Horum demonſtratio peti poteſt *ex libris de articulis*, ubi docetur macilentis articulos eſſe mucoſiores liquatis carnibus, quam ſucculentis. Ceterum per ſquallores malus ichor gignitur & dominatur: is eſt qui in venulas arefactas tractus febres ardentes parit. Et diximus jam hemiplegias vagari

tate articulorum nativa conſumta: & qui per famē leguminibus veſcebantur, genuum dolores patiebantur, non erant tamen Arthritici. Ad aph. 2. lib. 2. Hic locus paullo poſt fuſius explic.

Vide com. part. 19. l. 1. de articulis.

(*t*) Tranſpirationem.
(*u*) Squallores.
(*x*) Pluvioſæ tempeſtates.
(*y*) Squallores.

gari hieme quum alioqui ſqualida tempeſtas longa præceſſiſſet. Quoties enim æſtatem calidam & ſqualidam autumnus aquilonius excipit, hemiplegiarum proventus eſt: rarefactum enim corpus Aquilo ſubiens lædit, caputque exprimit: & hi morbi non tam ob copiam humorum eveniunt, quam ob indicibilem nervorum diatheſin. Item per ſquallores neſcio quis ichor fit; omnis autem morbi vis maligna eſt fere a ſero iſto. Si tempore ſqualido ſerum dominatur, & ſi ei tempori tribuendum, ejus tamen copia & ſquallori non adſcribetur, per id enim tempus aquea ſuperfluitas abſumi videtur, ſed forma & vis venenata ipſius ſeri ſquallori tribuetur. Sic a tempore humido & auſtrino copia materiei pendet, a ſquallore, vis, forma, virus: τὸ γὰρ αὐχμηρὸν (z) ſignificat τὴν ὑπερβολήν τινα (a). Diximus autem tres primos menſes pluvios præceſſiſſe, & tempus longum ſqualidum ſecutum: ſquallor & caliditas uſſit humores. Quod autem concurſus temporis pluvii, deinde ſqualidi ſequentis id facit, ex Hippocrate patet: Carbunculi æſtivi in Cranone. Pluebat in ardoribus aqua larga. Contingebat hoc per totum, maxime ab Auſtro. Subnaſcebantur in cute ſanies. Hic mentio fit pluviarum auſtrinarum & ſquallorum. Squallor ſupprimens humores, ichorem parit. Ichor minimus plus poteſt, quam humiditas multa. In ſquallore ſpiritus ſqualent, ſiccantur, caliginoſi fiunt: immo corpora arent & extabeſcunt. Αὐχμὸς (b) enim ἀπὸ τῦ αὕειν (c), non ἀπὸ τῦ αὔειν (d) cum aſpiratione quod ſplendere ſignificat: τὸ δὲ αὕειν ξηραίνειν (e) notat: hinc αὔανσις (f) ſquallor, tabes corporis depaſtione ſacta ſpirituum, humorum, partium ſolidarum. Et apud Hippocratem γλῶσσαι αὖαι ἀπὸ τῦ αὕειν (g): Siccæ linguæ a fuliginoſa exuſtione: & vis ſqualloris explicatur nomine λιγνυώδεως ἐγκαύσεως (h). Et æſtivo tempore ſquallido non ſæviebant Arthritides, ſed ophthalmiæ, faucium dolores, tuſſes ſicciſſimæ: denique ubique vis ichoris apparebat: nec enim tam quantitas, quam qualitas humoris afficiebat: nullus enim tumor, & affectiones omnes ad ignes ſacros accedebant. Autumno appetente quum ſerum eſſet potius καταῤῥοπον (i) Arthridides & iſchiades natæ ſunt. Unde Galenus notat autumno iſchiades vagatas ob malignitatem & frigus: autumno autem ichor & ſanies dominatur. Hippocrates. Et in ſqualloribus ophthalmiæ ſiccæ ſqualidæque populantur. Et quum temporis conſtitutioniſque ſqualidæ meminiſſet, ait in vulgus ſæviiſſe tuſſes ſiccas quæ partium ſiderationem afferrent, ophthalmias ſiccas, anginas ſiccas.

Com. ad part. 60. ſect. 2. lib. 1. Epid.

2. Ep. ſect. 1.

6. Epid. part. 14. ſect. 5.

Ad aph. 22. lib. 3.

Lib. de ſtruct. hom.

Nunc explicemus, cur mulierum genus in ſqualloribus moleſtaretur, quum potius ea conſtitutio ei profutura eſſet. Tale quid obſervat Hippocrates, loquens de puſtularum eruptione in ſqualloribus, ait, *Nulli maſculo tales eruperunt. Nulla autem mulier mortua eſt cui hæc fiebant*: alio loco *ſolæ ſervæ laborarunt*: & alio loco, *Mulieres nequaquam ſimiliter ac viri*

7. ſect. lib. 6. Ep.

Sect. lib. 6. Ep.

Sect. 7. lib. 6. Ep.

(z) Quod ſquallidum eſt.
(a) Exceſſum quendam.
(b) Squallor.
(c) Ab exſiccando.
(d) A ſplendendo.
(e) Exſiccari, ſiccitatem induere.
(f) Exſiccatio.
(g) Linguæ ſiccæ ab exſiccando.
(h) Fuliginoſæ excretionis.
(i) Surſum vergentem.

viri morbis afficiuntur. Mulieres ineunte autumno ac hieme laborabant, quia quum fusus humor cutis astrictione prohiberetur, sanioſus factus moestus fuit: viri calidissimi si articulis dolent ἐν ἀυχμῷ (*k*), non tam Arthritis est quam dolor. Aliud est de mulieribus judicium quando seri suppressio fit. Quidam docet cur siccitas Arthritin committat. Intemperies sicca dolorem facit in articulo exsiccando & effluvium prohibendo, hinc post ad articulos suppressa humiditas amandatur. *Sect. 3. lib. 2. Ep.* *Savon.*

Tertiæ quæstionis examen persequamur. Hæc non videntur cohærere ut inter viros calidissimi eo tempore laborarint, & mulieres; sunt enim contrarii temperamenta. Idem apud Hippocratem observatur in quadam constitutione in qua morbi invadebant juvenes viros & mulierum genus, reliquis ætatibus parcebant. Ingenioſe Galenus rationem reddit, aliud est considerare temperamentum, aliud ætatem. Ratione ætatis juvenes morbis prehendebantur; quum enim ætas esset calidior, morbo congenere corripiebantur. At mulieres temperamenti ratione morbis capiebantur degeneribus alioqui. Id autem fiebat per suppressionem: serum enim non diffiabatur ob cutim astrictam. Propria & per se erat generatio horum morborum in junioribus, in mulieribus per suppressionem. Patet quum mulieres sint frigidæ, squalida tempestate etiam laborarunt, atque inter eas quæ æstuantia præcordia habebant. Sic facilis erat ichoris ob squallorem generatio, at difficilis transpiratio, partim ob nativum temperamentum mulierum, partim διὰ τὸς ἀυχμὸς (*l*). *Sect. 2. lib. 1. Ep.* *Com. ad part. 78 sect. 2. lib. 1. Ep.*

Ac constat ratione, experientia & auctoritate Arthritin, & a sanguine & a sero, & a bile oriri. Id maxime sentit Hippocrates ac præsertim bilioſas esse Arthritides. Quidem duos humores statuit, pituitam & bilem: Illius nomine quivis humor frigidus; istius, calidus auditur. Idem omnes a bile febres esse statuit: nec libri sunt nothi. Et ista Hippocratis opinio ratione firmari potest, ista & illa; coxendicum morbus ex his causis fit in plerisque, si quis diu in sole versetur & coxendices calefiant, & humor qui est in articulis calore siccetur; fit autem morbus a bile & pituita, item a sanguine. Frigus in articulorum doloribus aquam affundit frigidam: dolor enim tollitur tum revocatione caloris, tum inductione torporis: qui dolor si ab humore frigido foret, quid hoc frigus frigore curare? Galenus in coxendicum dolore arteriotomiam in malleolo celebrat, ratus nequaquam malum humore esse frigido, sed a valde calido: quamquam alio loco etiam ischiadem a crudo & frigido succo, tamen non prætermittit phlebotomiam. Et tamen Fernelium secuti ad omnem Arthritidem calidis remediis remur: contra, hoc malum calidis irritatur. Sæpe quidem humor generatione & ortu calidus est, at ob naturam articuli refrigescit: & id forte pelio imposuit: & semper caloris ἐμπύρευμα (*m*) remanet, irritam faciendorum administrationem. Et in cerebrum vapores calidi efferuntur, frigidi concrescunt, & qui in- *Lib. de aff. inter.* *Lib. de sacr. morb.* *Lib. 1. de morbis.* *Lib. de diebus Decretor.* *Aph. 25. lib. 5.*

(*k*) In squallore.
(*l*) Propter squallores.
(*m*) Empy[illegible], ignitio.

de fit humor nec perſpicue calidus nec frigidus, ſed nova qualitas ex utriuſque pugna ac concurſu conſurgit, ut inde humor ſalſus aut nitroſus fiat qui manifeſtis qualitatibus non cedat. Ideo taxat veteres Medicos ut nimis phyſicos Hippocrates qui primas qualitates morbornm cauſas nimis celebrabant. At ſalſum, acre, mordax, & id genus conſideranda ſunt, in quibus temperandis & oppugnandis hoc opus, hic labor eſt. Ideo calorem & frigus imbecilles qualitates Hippocrates ſtatuit contra philoſophorum opinionem: facile enim mutuo ſeſe domant, ideo ſunt imbecilliora: non ſic de amaro & ſalſo. Si in febre ſola caliditas aut ſiccitas ſpectaretur, facile curaretur, ſed ſuccorum qualitates conſiderantur. Et damnat eos Hippocrates qui contenti primis qualitatibus Theſſali methodum ſequuntur. Si Arthritis a frigido foret, facillime calore curaretur: ſed enim ſecundæ ſint qualitates, non mirum ſi vis noſtrum remediorum tanti mali immanitate eludatur. Quod nunc prodeſt, ſtatim nocet. Nec calor nec frigus nec quicquam fere agens manifeſtis qualitatibus proficit: id quod pendet aut a natura humoris, aut partium. Et ſæpe quid remedia ἀνιατικὰ (*n*) conferunt, ſymptomata potius leniendo conferunt, quam cauſam oppugnando. Nec plauſibile quod ſtatuit Fernelius a capite humorem eſſe quod ſit ſincerus. Numquid in auſtri conſtitutione in vaſis ſeroſus humor coercetur, qui ſua qualitate irritatis ab arteriis & venis in nervos repellitur & Arthritin movet? Materiendorum quæ ſerum eſt in nervos pulſa & fuſa, num impotentiam, dolorem, aut ἡμιπληγικόν τι (*o*) inducet. Et tamen ſincerum qui eſt. Si nutriuntur nervi per quas vias occultas ii & oſſa nutriuntur, numquid malignum ſerum poteſt ſubire Arthritin creaturum? Si a membranis, oſſibus, ligamentis ſudor manans arthritidis dolorem minuit, ſerum per eaſdem vias delata cauſa fuit? fere videmus pleroſque corpore ſeroſo humore ſcatente, ſudore copioſo liberatos quum nulla ſpes foret. An id a cerebro fuit? Quum a cerebro eſt, & principium nervorum imbuuntur, alia ratio eſt. Plerique arthritici nec caput, nec follum, nec partes ſuperiores doluerunt, quaſi tam venenatus humor obtus perreptet ad articulos nullo obiter excitato dolore? Contra ſi gravia ſint tormina, & iis ſedatis arthritis oritur, nunc eadem materia, & eodem ingenio prædita, & alio tranſlata, ſi a capite eſt, cur non omnes unde quis ægrotat, ſeu dolor capitis, ſeu auris. Signum ſuperas affecit partes? Ita enim ait Hippocrates. Conſidera oſſibuſdam dentes, & inguinum tumores. Si a capite fluxio nitroſa tuas obiter in metaphreno dolores excitat, ut ſæpe partes tabefaciat tranſit, ut Hippocrates notat, an mante mala cuniculatim per ſumma corporis materia Arthritidis jam in ſecundo? Et a venis ſinceri humores manant, tranſiens, nil mali afferens internis profecti in externa ſæviunt. Et in non a ſolo capite, & nor aduſtione melancholicam naturam adeptus, Hippocrate dominatu quam ſanam partem appetat, eam maxime affligat, cujus ea feritas ut

Lib. de veter. med.

Idem Fernelius opinioni noſtræ patronus eſt. Nam 9. cap. meth. feb. ait, febres continuas in dolores articularios terminari excuſſa materia e genere venoſo in ſumma corporis, id eſt, in habitu. Numquid noſtra hæc eſt opinio, & Fernelius a ſe diſſentit.

(*n*) Lenientia.

(*o*) Quidpiam hemiplegicon.

gat. Quid minima quantitate in mammis facit? Quid in ſuris tibiarum flatulentus ejus ſpiritus? συνολκὰς (*p*) facit non inferiores Arthritide? Cur ſubiens articulationis locum Arthritin non faciat? Itaque nullo humore a capite labente, Arthriticus dolor orietur, aut depulſo a viſceribus tetro humore, aut nitro proprio articulorum. Ulcera tibiarum foventur ſanie perpetuo affluente eaque ſincera, numquid a venis & arteriis eſt? Sic ſinceritas capiti non eſt tribuenda. At dices, tenuis iſte humor affluens per ſe laudabilis eſt, ſed per contagionem ulceris inficitur. Ergo ſi laudabilis intercipi aut ſupprimi poſſet: an nonniſi diſpendio ægrorum id fit; ut ſit probabile propagatione quadam, & continuatione malam qualitatem ratione ulceris acquiri. Nunc redeamus; Imbecillitas partium ſive naturalis, ſeu adſcititia ad Arthritidem facit: in articulo œconomia naturalis afficitur in coctione, expulſione, attractione: fit in parte ipſa generatio perpetua ſucci crudi & mali, unde paroxyſmus arthriticus facile redit, immo ipſius habitus fit quidam morbus. Nec abs re ſucci crudi meminimus quum Galenus dicat Arthritin veram non tam a pituitoſo humore, quam a ſucco crudo oriri. Quum præſens eſt articuli infirmitas, propenſus eſt quis in morbum. Et ſi qua humorum fit a natura defæcatio, ea fæx ſe ad aliam materiam aggregat donec fluxio aut partis imbecillitate, aut dolore, aut fluendi conſuetudine moveatur. Mirus naturæ conatus in excernenda re moleſta. Et dicet *Fernelius*: is humor qui a capite manat non habet eam virulentiam, quam poſtea in articulis acquirit, ideo innocenter pervadit partes cuti ſubjectas. Et ſe tuebitur Galeno qui explicans cur poſt tuſſes ſcorti inflammatio ſequatur ait materiam in pulmone moram facientem ſe ipſa deteriorem factam, unde in ſcorto quid deterius attulit quam in pulmone, aut in capite a quo primum fluxit. Jam confutavimus eas ſub cute vias ut a capite humor fluat, non quod negemus a carnibus, & ab habitu corporis humores in articulos influere: jam meminimus mulierum, in quibus ſuppreſſio menſium Arthritin accerſit illæſo capite, & capite materiam non ſuppeditante: in vinoſis ipſa crapula & cruditas, id mali proritat, nil tamen a capite: mulieres quum habeant fere caput catarrhoſum, dolens, pituitoſum, arthriticæ non fiunt: menſibus ſemel ſuppreſſis metus eſt hujus mali: & ſanguis intus foras prodit contra Fernelium, & articulos occupat: dicet, ideo non fiunt quidem Arthriticæ quod ſanguis fluat: ſed quæ communicatio pituitæ frigidæ, ſecretæ, a capite lambenti cum ipſis menſibus? Contra, & fluere poſſunt commode menſes, & a capite per extima humor fluere poteſt ad Arthritin faciendam. Quot abſceſſus fiunt κατ' ἔκρουν καὶ ἀπόθεσιν (*q*), quot μεταστάσεις (*r*) intus foras? Et jam ante ex eodem *Fernelio* attulimus dolores colicos febribus ſuccedaneos in paralyſin deſiiſſe, & id totum ab interno eſt. Eodem quoque Fernelius errore jacet, quo & dum excogitat novum modum quo ſerum in abdomen ad aſciten refunditur: quaſdam

Notanda de ſucco crudo.

Com. in part. 12. ſect. 1. lib. 1. Epid.

De hydrope in Fernel.

(*p*) Tractiones.
(*q*) Per affluxum & depoſitionem.
(*r*) Metaſtaſes & tranſmigrationes.

dam fiſſuras fingit, quas præterfluens ſerum capacitatem implet. Contra per oſſa abſceſſus fiunt partium parenchymate duriora. Melius Hippocrates de hydrope. *Splen elevatus & impletus diſtribuit per venas corpori, & in omentum maxime, & locos circa ventrem & crura. Alia pars delegat ad aliam, ubi ceteris plus quam oportet affuerit.* Id quod *Fernelius* non animadvertit de aſcite diſputans. In hydrope tamen pulmonis approbare videtur non ſine contradictione. *Serum*, ait, ex *abdominis capacitate cæco ductu in thoracem redundat.* Et tamen idem ridet eos qui cæcos ductus in aſcite generando fingunt. Et male ſe tuetur ea ſententia, quibus hepar aqua plenum eſt εἰς τὸ ἐπίπλοων ῥαγῆ (*s*), iis venter aqua repletur ac moriuntur: putat ex eo loco ruptionem viſceri contingere: at verbum ῥαγῆναι (*t*) potius ſubitam eruptionem ſignificat. Galenus non meminit ruptionis in hepate quam Fernelius fingit: ait quidem aquam non fluere in Epiploon niſi exedatur, quia ſolidum ac firmum eſt, etſi legitur pro ἐπίπλοων τὸ περιτοναῖον (*u*) codicis errore: at non mentio fit rupti hepatis. Immo ne aperte quidem docet erodi rumpive peritonæon aut epiploon ut aqua recipiatur: ſique fieret hepatis fiſſura ruptione, vix ſine cruenta aut dejectione alvi, aut mictu id contingeret. At negat Galenus in ulla ſpecie hydropis cruentum aut dejici, aut meji. Id quod quæſtione dignum eſt, ſed de hoc alias.

Lib. 1. mul.

Opinio auctoris.

Nunc noſtram de Arthritide ſententiam aperiamus. Non placet opinio Fernelii de Arthritide, nec omnino eorum qui caput non accuſant: nec eorum qui ad ſolam partem affectam confugiunt. Aliæ Arthritides per defluxum fiunt, aliæ per congeſtionem: in utriſque ſupponitur articulorum impotentia & diatheſis ἀρθριτικὴ (*x*). Quum fiunt per defluxum, vel ratione cacochymiæ fiunt corporis, vel humoris a capite manantis, quod poſterius ſolum agnovit Fernelius, & male. Cacochymiam voco & cruditatem quum viſcerum impuritas eſt, maſſa ſanguinis vitium contraxit, & corpus ῥευώδης καὶ (*y*) laborans τῷ ῥευματισμῷ (*z*), maxime cum ſucco nitroſo ſcatet. Hippocrates agnovit enim quorumdam corpus ἁλμώδες (*a*). Et in tali facilis eſt dolorum generatio, & arthritidis ſubeunte ſalſo humore locum dearticulationis. Et quod in mulieribus ῥεῦν (*b*) parit, idem διαθέσεις ῥευματικὰς καὶ ῥευματισμοὺς (*c*) gignere poteſt. Et in iis ulcera ſunt ſanatu difficilia, tum ratione ſalſæ pituitæ, & ῥευματισμοῦ (*d*).

2. Ep.

Sect. 1. lib. 2. Epid.

De iis Hippocrates exponens cur ulcera ſint δυσιλκία (*e*), nempe quibus corpus exalbidum & lentiginoſum, id eſt, lentis colorem referens. *Cutis diffringitur ac labia, ab humoribus ex corpore ſalſuginoſo quod ſub cute maxime & a capite contingit, quum a pulmone fuerit concalefactum.* In iis facies ſæpe tumidior, corpus crudo pravoque ſucco ſcatet: qui ſanguis detrahitur

(*s*) Si in omentum diſrumpatur.
(*t*) Diſrumpi.
(*u*) Omentum peritonæum.
(*x*) Arthritica.
(*y*) Fluxile &.
(*z*) Rheumatiſmo.
(*a*) Salſuginoſum.
(*b*) Fluorem.
(*c*) Diſpoſitiones rheumaticas & rheumatiſmos.
(*d*) Rheumatiſmi.
(*e*) Difficilia.

trahitur eſt fere totus putris, & alimenta corrumpuntur: in eorum albo numerabuntur gulæ dediti ac libidinoſi, ſub dio noctem tranſigentes, robur nervorum ſolvitur, & ſuccreſcentis cacochymiæ ſunt argumenta. Et licet libidinoſorum commune flagellum ſit Arthritis, non deſinunt tamen libidinum prurire deſiderio. Hæc autem maxime cauſa eſt: proventus nempe ſeri acris & mordacis. Hoc quum adeſt, & propenſionem ad Arthritin facit præſente nonnulla nervorum articulorumque imbecillitate, & irritando libidinis explendæ affert deſiderium. Hinc Arthritici valde ſunt libidinoſi. Et Aëtius quum theriacalem ſalem inſtituit, dimidiam partem ſatyrii tollit, vitando ne rabioſas & membra exſolventes libidines excitet. Satis enim, ſi in iis dominetur acre iſtud ſerum, ſua ſponte in venerem ruunt. Niſi quis objiciat illud Hippocratis: ad increſcentes & frigidos morbos confert venus.

Antequam de capite fluxionum fonte obiter dicam, propoſitis jam cacochymis, lentiginoſis, cruditate laborantibus, libidinoſis (ut ne omnino a capite arceſſatur malum) dicam unum de morbo ipſius habitus, ut nec accuſetur caput, nec ad internas partes, tamquam principia mali recurratur. Princeps Avicenna explicans illud quod ſcripſit Galenus *in arte parva*, habitudo corporis eſt in iis partibus quæ oculis ſubjiciuntur, vult quoſdam eſſe proprios ipſius habitus morbos. Quum a pede aut inanitate ſub cute dolores implacabiles excitans aura venenata ad caput ſurgit, id nec a viſceribus nec ab interno eſt corpore: unde male epileptici curantur habita tantum ratione interni corporis, potius habitui providendum eſt. Idem in Arthritide: nam peculiari generatione humoris, aut in hac, aut illa parte externa, vitio ipſius habitus morbus orietur: unde quidam crudeliſſimos morbos ſunt experti; quum partes internæ plane ſanæ forent. In arthriticorum externo corpore peculiaris humor generatur, ut in pulmone & jecore. Et apud Hippocratem a carnibus in articulos humor liquatur proprio vitio ipſius carnis. Et hac ratione idem Avicenna ait, id quod nocet cum vapore malæ ſubſtantiæ, in toto corpore eſt, id eſt in habitu. Sic in partibus externis vitium eſt peculiare & catarrhus, & colliquatio. Nec omnino malo eſt quod quis arthriticus fiat tamquam natura a centro corporis ad habitum virus amandante, ut ſub finem hujus libri dicetur ex Hippocrate. Ceterum quum cutis defœdata eſt, & ſanguis tamen in vaſis purus eſt, numquid affectio eſt ipſius habitus? Capillares venæ malo ſero ſcatent. In elephante morbus eſt ipſius habitus in quo prava fit aſſimilatio, & pars ἰδίαν ἰδέαν (*f*) amittit Hippocrati: eſt autem elephas ſymptoma facultatis alteratricis tertiæ concoctionis: nec tam deficit ea facultas, quam prave officium facit, non per ſe, ſed ob pravam qualitatem alimento proprio impreſſam. Ideo qui Medici curantes elephanticos ſanguinem largius demunt, quia ab habitu non demunt, minuunt calidum nativum, & habitus facultatem deteriorem faciunt.

Lib. de loc. in homine.

Ex lib. Hipp. 2. de nat. hum.

Lib. de alimento.

(*f*) Propriam ideam.

In 2. libro prorrh.

faciunt. Apud Hippocratem impetiginem alias ut τὸ ἐξάνθημα (*g*) ſpectat, & cutis, & habitus ſit ſolum depoſitarius, alias ut νοῦσον (*h*) ipſius habitus, quod notandum eſt.

Nunc ad caput ipſum redeamus, & generationem peculiaris pituitæ. Non negamus a capite fluxiones oriri Arthritidis auctores, ſed omnes negamus. Quibus caput humidius, iis proclivis eſt defluxus in partes ſubjectas, hinc morborum proventus. De iis Galenus. *Qui totum cerebrum, aut corpus humidius habent, ii ſalubriter non vivunt, deſtillationibus levi de cauſa capiuntur. Pituita per palatum dilapſa, guttur, fauces, ventriculus laborant: tuſſes, anginæ, diarrhœæ*, &c. Nec quævis pituitoſa fluxio offendit: non quævis pituita dentes rodit: non quivis humor ſternutamentum facit Galeno. Humor qui a capite eſt, Arthritidis auctor eſſe poteſt: ſæpe enim acer eſt, quod docet dentis roſio: quos dentes nec flamma, nec ignis cremat niſi ægre, hi pituita mala cavantur. Et prout ſunt fluxiones, aut in partes internas, aut in externas a capite, ita affectus evariant. Primo Hippocrates ex quorumdam veterum opinione potius quam ſua, fontes humorum (maxime excrementorum) explorans, caput pituitæ fontem ſtatuit: & revera multa a capite excrementa manant. Et forte *Fernelius* ei ſectæ addictus caput Arthritidis auctorem credidit: quod aliquatenus verum conſpicies Arthritides a fluxione oriri ſolitas contemplatus: quamquam & fluxiones, & humorum tranſmiſſiones ab internis fiunt partibus. Ac ante τῆς διαθέσεως (*i*) vim expendimus. Ut enim in aliis cancroſa eſt diſpoſitio, elephantica & chœradica, ita & arthritica eſt, ſive corpus ſpectes, ſive partes. Quibus læſus articulus, iis in Arthritin eſt propenſitas. An humor a capite deſcendit ad malum ſuſcitandum aut alendum? In ulcere chironio eſt perennis affluxus ſeri & corruptio alimenti ob læſam partis οὐσίαν (*k*) (nam malum τῆς ὅλης οὐσίας (*l*) vocatur) & ſerum virulentum progignitur, & nil a capite eſt. Eadem materies num in articulum imbecillum influet? Immo magna articularium dolorum pars fit a generatione ſeri & collectione in ipſa parte, non tam quanto quam quali infeſtantis? Eſt enim inexplicabilis διάθεσις (*m*), & velut febris lenta ipſius articuli, hinc alimenti corruptio, hinc tabes partis. Et circa articulos triſtis ſemper eſt ſenſus, qui ſtata periodo habet ſuas exacerbationes, & in parte materia fovetur. * Nec placet omnino Galenus qui neceſſariam articuli imbecillitatem præſumens, aliunde humorem affluere debere, & in vitæ lege peccari ſtatuit. Hic modus omnis congeſtionis tollitur: id quod miror non vidiſſe Galenum. Imbecilla pars non probe alita a ſuo ipſius læditur excremento. Id Hippocratem vidiſſe ante diximus; mucus in omnibus a natura eſt: quum purus, ſani ſunt articuli: labor & dolor fit quum a carnibus humiditas fluxit vitioſa.

Comm. ad Aph. 2. lib. 6.

4. de morb.

Galen. ad aph. 28. lib. 6.

** Præclara quæſtio, an partis imbecillitas per ſe, ſine humoris affluxu cauſa ſit morbi redeuntis.*

Sed

(*g*) Efflorescentiam.
(*h*) Morbum.
(*i*) Diſpoſitionis.
(*k*) Subſtantiam.
(*l*) Totius ſubſtantiæ.
(*m*) Diatheſis, diſpoſitio.

Sed & de motu humoris Arthritin facientis inquiratur. De natura dictum eſt, & quod remedia calida ac pariter frigida noceant. Cur repetant abunde dictum dum diatheſeos Arthriticæ vim aperuimus. Dubitet quis an hic conatus naturæ non ſit intus foras pellentis ut fit in exanthematis. Cur autem certa periodo repetant, illud in proprietate quadam poſitum eſt: quamquam invitus ad eam occultam proprietatem deſcendo: licet res certo ſciri nequeat, ex effectis æſtimetur. Articulares dolores fere noctu exacerbantur, ut & multi alii morbi, & res non facile ſcitur: de ea re *in aliis noſtris commentariis.* Communem cauſam hujus rei ad receſſum caloris naturalis ad interiora, referunt. Sic enim partes extimæ ſuo velut genio defraudantur, & illuſtratione ſpirituum carent. Solemnis eſt analogia humorum ad partes anni, & ad diei partes ut bilioſi morbi circa meridiem exacerbentur, melancholicus ad veſperam, pituitoſi ad noctem. Quod forte Fernelio ſuaſit ut omnium arthritidum cauſam humorem frigidum ſtatuat. Motus enim humorum ſequitur aut occultas, aut manifeſtas qualitates.

Gal. enim ridet eos qui partis imbecillitatem morborum cauſam dicitant.

Sed & non minus ardua quæſtio cur arthritis fere medendo ingraveſcat: ſi frigidus humor, cur calido non curatur, & contra? Phlogoſes & eryſipelata admotis refrigerantibus temperantur, & perfrigerata calore leniuntur. In arthritide auxilia omnia eluduntur, & hæc vulgo opprobrium vocatur Medicorum. Et quod hic humor ſit indomitus ex eo eſſe poſſit quod quum ſæpe origine ſit calidus, & eventu refrigeratur, tum ratione earum mutationum, tum partium a quibus manat, præter caliditatem & frigiditatem, acquirit virulentiam aut ſalſedinem, aut acrimoniam, aut aliquid mixtum: id quod in coryza apparet: Hujus cauſa frigida eſſe videtur, tamen exulcerat calore quodam interno & ſalſedine nares qua tranſit: ſic aſcititiæ hæ qualitates ex aliis emanantes primis ſunt multo deteriores. Galeni locus jam citatus eſt de Arthritide & Iſchiade: * ſed plenius enucleandus. Irruens humor ſanguineus eſt aliquando, ut plurimum pituitoſus, aut ex pituitoſo bilioſus miſtus, aut ſanguine cum iis miſto: ut vere dicam, crudus eſt humor: eſt hic craſſus ad ſimilitudinem puris craſſioris. Si humoribus ex æquo redundat corpus, a phlebotomia eſt inchoandum. Raro fit iſchias ex ſanguinis copia, cito curatur venis ad talum inciſis. Si crudus humor arthritin committit aut iſchiadem, cur ſecat venam? Si iſchias raro a ſanguine eſt, cur in talo ferietur vena? Immo ita de iſchiade loquitur, ut ſæpe ſola ſanguinis evacuatio iſchiadis auxilium ſit, & ante evacuationem obſunt topica. Et quia non ſunt qualitates quæ ex diametro oppugnent, ideo horum morborum materia non facile vincitur: immo dum primas qualitates oppugnare volumus, novam quamdam inducimus: id materiæ coryzas committentis exemplo docuimus. Sic ſerum iſtud aut materia alia non facile ad æquum adducitur. In multis acquiritur talis materia, viridis, ſeroſa, acris ob dominatum cujuſdam extranei caloris omne alimentum corrumpentis. Revera Arthritin committens humor eſt μυξώδης (*n*) & aſſimilis ſubſtantiæ nervoſæ

Cap. 2. lib. 10.
** Mirũ quod Galenus in iſchiade (licet a pituita, aut a ſucco potius crudo) ſanguinem demat, non autem purget. Immo præſert vomitum purgationi quod ſupra revellat humores. Quaſi purgatio humores deorſum impellat. Comm. in 6. Epidem. Hipp. de loco in homine.*

(*n*) Mucoſus.

voſæ ſi ea liquaretur : & quod dolorem facit, ſæpe eſt ſubſtantiæ nervoſæ aut tendinoſæ alimentum quod viroſi excrementi vicem ſubit, aut ob intemperiem partis, aut ob διάθεσιν (o). Dolores a ſanguine facile mitigantur, item a bile (ſola enim lactis affuſio id facit,) a pituita facile, quum pituita potius ſtuporem afferat. Ita Galenus. Sanguis morbum faciens dolorem exhibet, pituita gravitatem : quæ coryzas, Arthritides, dentium dolores facit, aliud habet ingenium & vim. * Et Platoni pituita ſalſa ac acida omnium affectionum καταῤῥοϊκῶν (q) fons exſiſtit : in tali pituita eſt vis maligna & natura ἑτερογενὴς (r), ideo omnia ſpernit remedia. Ad eam rem accedit ſubſtantiæ nervoſæ ratio : medulla nervorum alius eſt naturæ, quam ipſæ membranæ : ſi qua uni naturæ proſunt, alteri nocent : & magnus remediorum apparatus ſæpe eſt inutilis : & inertium hominum plus ſæpe prodeſt fortuita medicatio, quam ſollertium Medicorum cum ratione juncta curatio. Accedit nervorum ſenſus exactus, ut etiam vel levi de cauſa & dolores, & gravia inſurgant ſymptomata. Itaque conditio humoris non tam habentis qualitates manifeſtas, quam occultas, partis natura, varietas ſubſtantiæ ejuſdem efficiunt ut Arthritis omnem ludat operam. Attendere ad fontes oportet a quibus humor manat, ne temere pars innocens accuſetur. A ſcopo aberratur, & pernicies ægris creatur, ſi male caput fons mali ſtatuitur, dum pilulis, fotu, cataplaſmate hæc immerens pars affligitur ; nativo ſic partis temperamento corrumpendo, mala graviora accerſuntur : ſi enim humorem noxium non continet, medicamentis eliquatur : deficit aliqua imbecillitas, ei conciliatur. Si malum non fovet caput, ſed jecur, aut venter, aut cacochymia corporis, aut partis morbus, vide quam præpoſtere omnia agantur. In quo potius imitandus Hippocrates quam Fernelius. Hippocrates enim eos quibus magna ſunt viſcera, & quibus fuerunt frequentes hæmorrhagiæ dum juvenes forent, in ἀρθριτικόν τι (s) propenſos eſſe ait : a viſceribus & venis origo eſt. Et experientia notat eos quibus prærubra eſt facies, quod ni ſibi caveant, ætate inclinante in Arthritin propendeant. Peccant & ii qui falſo perſuaſi cauſam eſſe humorem frigidum aut frigus ipſum, ad calefacientia impenſe & olea chymica confugiunt ; & læditur nervoſum genus : hinc nervorum contractiones, ſiccationes, contortiones, vitiatæ figuræ, ut artus varii, curvi, vari, inflexi & imbricatim facti evadant. Quæ forte olea medullæ nervorum conferre poſſint, eadem membranis eorum nocent. At prudentis eſt Medici providere ne dum boni officii ſpecie ægrorum calamitatem levare conatur, eos in majores ærumnas conjiciat. Et Fernelius, cujus ſententiam & problemata convellere, aut benignius interpretari animus nobis fuit, errore quodam ſeductus methodum medendi non quadrantem, jactis malis fundamentis, comminiſcitur, & ita in ægrorum

* *Plato ait pituitam ipſam per ſe dolorem non movere (excludit acidã & ſalſam) niſi cum excitat bullas, & ad eumdem ſcopum Gal. ait pituitam ſternutamentum non ciere niſi in flatum vertatur :* φύσαι καὶ πομφολυγὶς (p) *ſunt ſynonyma. Vide aph. 51. lib. 7.*

(o) Diſpoſitionem.
(p) Flatus & bullæ.
(q) Catarrhalium.
(r) Heterogenea.
(s) Malum arthriticum.

ægrorum ſalutem peccat, dum multus eſt in neſcio quibus remediis, tum aſſumptis, tum admotis; de phlebotomia, quæ in hac miſera ægrotantium jactatione eſt velut ſacra anchora, ne verbum quidem. Et tamen nefas eſt hoc genus remedii omittere, quod vulgo tam multis opitulatur.

Reſtat ut tria breviter proponantur antequam operi finis imponatur: primum ut doceamus quam ſæpe inutiliter medicamenta arthriticis exhibeantur: ſecundo, quam utilis ſæpe mortalium generi ſit Arthritis: tertium eſt, ut exponamus locum Hippocratis quo docet commodo ægrotantium fluxiones in partes nobiles, a quibus pelluntur, regeri. Videntur perperam agere qui, quoties quis de articuli dolore queritur, ad purgantia confugiunt: ſi enim dolorem excitat aut ichor, aut flatus, aut quid qualitate potius peccans, cur ei qualitati ſuum contrarium non opponitur? quorſum purgatio? Sæpe ſævus eſt dolor in articulo, aut furis tibiarum nullo tumore conſpicuo, nulla re ſub ſenſum cadente? Subitus iſtius tantulæ rei in articulos motus & σὺν ὀργασμῷ (*t*), numquam vim venenatam arguit concurrente ſenſu exquiſito nervorum, ut facultas expultrix ad ſingula quæque momenta excitetur? Laſſitudinum, doloris ortus id quoque manifeſtat. Oritur (ajunt veteres) laſſitudo ſæpe & ulceris ſenſus, quia in motionibus magnis pinguedinis & teneræ carnis fit colliquatio, cujus pars foras tranſpirat, altera ſupprimitur: id quod ſuppreſſum; ſi acre & mordax, ulceris ſenſum infert. Id quod in paroxyſmis arthritidis evenit: ut occaſio referatur non ad fluxionem, ſed ad ſuppreſſionem tetræ fuliginis ſua qualitate moleſtantis. Et quod motus velut ſeditioſus modo huc modo illuc, id qualitatem demonſtrat infeſtam: exquiſitus ſenſus partis cooperatur. Contra, ubi pars non multum ſentit, in ea facile fit congeſtio abſceſſuum & tumorum frigidorum parens. In ſenibus valde, & qui numquam arthritici facti fuerint, ſi arthritis oritur an non potius ab imbecillitate, caloris nativi inopia, ſpirituum defectu continget? Si ad remedia ſolemnia recurras, liquefacies humores, fruſtraque ægrum ſenem fatigabis. Non omittenda hiſtoria mulieris quæ dolores articulorum immanes eſt experta modo quodam admirabili, atque divina vindicta ortos. Hæc quum conceptum fallere vellet & fœtum elidere τὸ φθόριον (*u*) ſumſit ad provocandum ſanguinem & ſui temerarii conſilii pœnas pependit: fluxus enim ſanguinis eſt conſecutus eroſis potius quam apertis venis. Multo ſanguine per ſinum pudoris profuſo, adeo refrixit omne genus nervoſum, ut in ſummam imbecillitatem adductum ſit; hinc cruciatus articulares, membrorum contractio, ſquallor, macies, mors. Quæ immodica hæmorrhagia convulſionem ab inanitione affert, eadem articulares hos dolores excitare poteſt. Si ita eſt, quis adhibeat hæc remedia ſolemnia arthritica? quis in iis doloribus qui ἐν ἀύχμοῖς (*x*) oriuntur? Nemo. Eſt potius utendum refectione. Ergo ut ſunt variæ

 cauſæ,

(*t*) Cum orgaſmo.
(*u*) Abortivum.
(*x*) In ſqualloribus.

cauſæ, & ideæ arthritidis, ſic conſilium mutandum eſt. Alii omittunt phlebotomiam omnino ut Fernelius: alii audaciſſime detrahunt. Et exemplo unius hominis ſanguine detracto adjuti, in ſanguine fundendo ſunt nimis prodigi. Et quum de iſto morbo, tum cognoſcendo, tum medendo tam ancipites ſint opiniones, mirum ne ſit ſi magno Medicorum dedecore pro derelicto habeatur. Alii acerbitate doloris victi Medicos conſulunt, & prophylactice non utuntur. Alii ne eos quidem adeunt quod jam tritum ſit hic Medicos cæcutire. Non eſt tamen ita deſperatus ſi loco & tempori provideretur. Ceterum minus recte medendi occaſionem rationemque deteximus ab ipſa rei ignoratione ortam. Quum locus & tempora poſtulabunt, legitimam medendi rationem ſuiſque conſtantem legibus & cauſis convenientem deſcribemus: * nec non, ſi Deus nobis otium confirmaverit, ſigna quibus ſingulæ ideæ patebunt, aperiemus. Et hæc ex antiquorum ſcriptis quæ in nonnullis neglecta jacuerunt, quia recentiorum opinio (ut genus mortalium novitatis ſtudio efflagrat) tamquam novus obortus ventus, ea agitaverit, ut illis everſis ſola exſtet ac ſeſe jactet.

* *Ceterum medicamenta data præſertim initio arthritidis, aut quum dolores vigent, dum humores concitant, nec foras excludunt, dolores in habitu corporis promovent. Nam humor movetur, & non promovetur.*

Quod autem utilis ſit nonnullis arthritis, & ratio, & experientia, verum eſſe deprehendit. Quod pueris ſunt exanthemata, juvenibus hæmorrhagiæ, idem ſunt ingraveſcenti ætati Arthritides, & etiam naturis nonnullis: id quod Hippocrates docuit. Quamquam, ut ait Seneca, abominandum genus remedii eſt, ſanitatem morbo debere: ut homo vitandi alicujus morbi cauſa, tam ſævos & tyrannicos Arthritidis dolores experiatur. Ad hanc noſtram ſententiam accedit & Galenus, his verbis. *Sæpe vidimus interire quibus ſucci in dolore articulorum in artus delati, deinde expulſi in partem principem pervenerunt: ut una ſpes foret ſi ipſi humores ad artus revocarentur.* Unde vulgo dicitur longa eſt arthriticorum vita: Natura ſe exonerat in genus muſculoſum & nervoſum. Ergo (dices) bonum eſt refluere ab hoc infirmo genere ad partes robuſtiores? Nam robuſtæ & coquendo, & digerendo facile ſe ab injuria aſſerent: id quod eſt contra communem omnium opinionem. Tamen ita ſentit Hippocrates: *Qui morbi* (ait) *ab imbecillioribus partibus ad fortiores remearint, ii ſolutu ſunt faciliores: Influxus enim facile a robore excludentur.* Galenus legit pro, excludentur, abſumentur. Quidam intelligunt partes fortiores, principes; at melius eſt a præcipuis partibus in minus præcipuas humores repere. Iſte locus Hippocratis eſt παράδοξος (*y*): Galenus tamen approbat. Et quæſtio non eſt hæc inutilis: nam partes principes ſunt fortiores, & ſe a periculo facilius vindicant ſuis uſæ facultatibus; Imbecillis partibus id non eſt a natura conceſſum. Unde videmus ſi quis vapor efferus, aut obſtructio, aut quid alienum appetat cerebrum, ſtatim convelli, credentibus multis convulſionem eſſe ſymptoma morbi & naturæ, ut quæ ſe accingat ad excluſionem rei negotium ei faceſſentis.

Si

(*y*) Paradoxus.

Si in hoc disputationum pelagus orationis nostræ vela pandere vellemus, vix umquam in altum transvecti ad portum remigraremus: itaque solvimus quidem, ut non ita multo post tempore reveheremur. Quoniam autem Arthritis tam sævus est tyrannus, ut mortalium genus ab ista tyrannide liberemus, animus nobis est juxta canones & theoremata præscripta medendi methodum conscribere: sed quoniam incidimus in rerum omnium perturbationem otium exspectare constituimus ad scribendum conveniens.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX

Ad paginam 214. Libri ſuperioris,

De Dolore Dentium & nervorum.

QUÆREBATUR qui fiat ut in dolore dentium, coercito humore in dentis nervo & divellente, tam ſævus oriatur dolor; qui tumente gena aut vicinis partibus, idque aut nullo, aut perexiguo dolore, evaneſcat: idem in tyrannide arthritica contingit. Et vulgus prudentia quadam communi perſuaſus, tumore partis mirum gaudet, ut ſperans levamentum brevi dolenti parti affuturum. Humorem qualitate potius quam quantitate moleſtias inferre dicebamus: immo paucus humor, viribus multus eſſe dicitur. Exagitabatur Fernelius qui male cauſam reddidit cur in leucophlegmatia, in chronicis morbis in quibus tument partes, in cachexia, augeatur moles partium tumefactis carnibus, prolutiſque humore phlegmatico neſcio quo, idque citra dolorem: quum tamen alias tantulo humore tantulam particulam proluente, tantam excitet doloris acerbitatem. Seneca ſummus philoſophus dolorem in anguſto ſtrictoque eſſe dicit. Quo in anguſtiore eſt, eo major eſt: conſiſtit in ſolutione continui: & quum in anguſto eſt, major eſt continui ſolutio, quam quum in lato conſiſtit: extenditur enim; & ab anguſto in longum latumve traducitur: id quod ceteris paribus audiendum eſt. Unde punctura nervi deterior eſt, quam inciſio, aut vulneratio amplior. In punctura enim cogitur materia, coacta divellit ſolvitque continuum & dolorem excitat majorem: unde in dolore articuli major ſæviorque dolor eſt ubi anguſto concluditur humor, quam quum tota pars maxime elevatur ac intumeſcit: id quod pluribus exemplis exploratum apertumque eſſe poteſt. Et quoniam locus iſte de anguſtia loci poteſt in controverſiam venire, habetque aliquid delicatius & lepidiuſculum, textum ipſius Senecæ deſcribemus: vis enim in verbis ipſis erit. Explicat enim eodem filo cur tendinum, nervorum & partium ſimilium dolores diuturniores ſint: immo ſui memoriam renovant ac refricant, maxime vero ubi fiunt τὰ σπάσματα ϗ ἀποσπάσματα (z). Divulſiones enim

*Lib.*II.*Ep.*79.

(z) Avulſiones & divulſiones.

enim fiunt fibris muſculorum diſtentis, & ſtatis temporibus, præſertim ubi magnæ incidunt mutationes, dolores iſti velut redivivi redeunt. Ita Hippocrates τὰ ἀπάσματα μὲν πάντα ὀχληρὰ γίνεται, καὶ πόνους τὸ ἐν ἀρχῇ συντόνους παρίχει, καὶ ἐξ ὑστέρου ἐνίοις ὑπομιμνήσκει, id eſt, omnes quidem avulſiones infeſtæ ſunt, doloreſque inferunt circa initia ſævos, ac memoriam quorumdam de integro refricant ac renovant ſuperſtite partium divulſarum querela, quæ partes a divulſione infirmiores manent & dolent, vel ἀπὸ τοῦ ῥήγματος (*a*) diſruptis fibris per inſignem diſtenſionem, hinc nova divulſionum generatio. Pars enim quælibet avulſa (ἀπάσμα vocatur) præter præteritas avulſionis cauſas ὦσιν appulſionem, vel impulſionem, & ἕλξιν attractionem (quæ ſunt ἀπὸ τῶν ἐνόντων, ab iis quæ inſunt) novam in ſe cauſam continet, nempe collectionem humoris, ichoris, aut flatum ipſum, manente infirma facultate expultrice: & id cauſa eſt, cur periodis certis malum reviviſcat. Ceterum illa tenſio valida vel extrinſecam habet cauſam, vel intrinſecam, & quaſi intercutem: extrinſecam, a tromate, lapſu, caſu, vel ſi quis onus grave levare conetur: intrinſecam autem ab iis quæ inſunt, ab humore pravo, ichore, flatu. Id autem fit κατ' ὦσιν ἢ κατ' ἕλξιν (*b*), appulſu & tractu: ὦσις dicitur impulſus, & κατ' ὦσιν fieri aliquid dicitur motu quodam impulſorio: ὦσις δὲ κίνησίς ἐστι ἀπὸ τοῦ κινοῦντος ὑπὸ τῆς ἁφῆς (*c*). In corpore autem hoc loco fit κατ' ὦσιν (*d*) aliquid, ut quum humor quidam inutilis exſudans in partem aliquam impellitur, & vis facultatis expellentis exſiſtit: ἐν δὲ τῇ ἕλξει (*e*) attractio fit a carnibus & a venis, in qua vis facultatis attractricis ſeſe exerit: quamquam natura αἱ σάρκες ἕλκοι (*f*) dicuntur Hippocrati. Nunc contextum ipſius Senecæ apponamus; *Nemo poteſt valde dolere & diu. Sic amantiſſima noſtri natura diſpoſuit ut dolorem, aut brevem, aut tolerabilem faciat. Maximi dolores conſiſtunt in maxime macris corporis partibus: Nervi, articuli, & quicquid aliud exile eſt, acerrime ſævit quum in arcto vitia conceperit: ſed facile hæ partes obſtupeſcunt, & ipſo dolore ſenſum doloris amittunt: ſeu quia ſpiritus naturali prohibitus curſu, & mutatus in pejus vim ſuam qua viget, perdit: ſeu quia humor corruptus quum deſiit habere quo confluat, ipſe ſe elidit, & his quæ nimis implevit, excutit ſenſum. Dentium, oculorum, auriumque dolor, ideo acutiſſimus, quia inter anguſta corporis naſcitur. Et imperiti minus ferunt dolorem, quia multum illis fuit commercii cum corpore. Et revera ſunt qui alacriter ferunt dolores, alii muliebri animo quati ſe vincique dolore patiuntur.* Ex hoc illuſtri loco duo nobis apparent, prius cur in nervoſa ſubſtantia tam acutus dolor, præſertim quum in anguſto eſt, & a punctura fit: poſterius, quomodo copia humorum ipſa ſeſe obruens ſenſum parti adimere ſoleat. Et ſi forte minus medice hoc Seneca, tamen quia rei ſcitu difficillimæ pro-

In Coacis.

Notandus locus.

Apud Hip. 1. de morbis carnes quidē attrahere dicuntur, ſed venæ, ait Hippoc. magis attrahunt, quam carnes, unde in venis fiunt varices, ἀναδάσεις, ῥαυτιώσεις (g).

(*a*) A diſruptione.
(*b*) Secundum impulſionem & attractionem.
(*c*) Impulſio & motio eſt à movente ex contactu.
(*d*) Secundum impulſionem.
(*e*) In attractione.
(*f*) Carnes attractrices.
(*g*) Divulſiones & materiæ eructationes.

babilem quamdam cauſam exponit, in hunc de articulari dolore locum rejicere voluimus.

Ad eum notabilem Senecæ locum quo explicat qui fiat ut major ſit dolor quum in anguſto eſt, quam quum in lato & amplo, pertinet & locus Alexandri Aphrodiſienſis. Hic quæritur inter ejus problemata qui fiat ut nervi puncti excitent inflammationem, non autem quum præciduntur. Unde Medicis punctio, licet πρὸς τὴν φαντασίαν (*h*) minor appareat & tolerabilior præciſione, eſt tamen ipſa inciſione formidabilior & funeſtior: immo vitandi periculi cauſa quod imminet punctioni nervi, coguntur ſæpe totum nervum incidere. Ita enim virus coercitum in anguſto tantorum malorum, immo ſæpe præproperam mortis cauſam, expandunt & evacuant. Ne multa; ſatius eſt contextum Alexandri exſcribere; ut ad examen paucorum verborum induſtria noſtra dirigatur. *Ideo puncti nervi, non præciſi inflammationem afferunt, quia ſpiritus inæquabili punctionis ſegmento occurrens retorquetur, atque in ſe coactus ſtipatur & recaleſcit. Sed quum omnino præciſus eſt nervus, ſpiritus omnis effluit & abit.* Notandum vero illud quod ſpiritus, aut flatus, aut virus paucum ſed viribus eximium, cogitur, coercetur, ſtipatur ea in parte & refringitur ac retorquetur, quia exitum non habet. Quo forte pertinet definitio τῆς ὀδύνης νυγματώδους, id eſt doloris punctorii qui circa membranas & partes nervoſas maxime conſiſtit, & ad eas partes maxime pertinet, veluti radice ipſius affectus eo loco fixa ubi membrana pungitur, dolore vero circa locum punctum ad magnum ſpatium circulatim ſe fundente. Ceterum verba Aphrodiſæi ſignificantia ſunt, ſed obſcura: ac revera vix explicari poteſt quanta dolorum, ſymptomatumque ſit ſeries & ſequela punctis nervis. Hæc pauca ſufficiant.

Proble. 121. ſect. 2. probl.

(*h*) Ad phantaſiam.

FINIS.

GULIEL-

GULIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

LIBER

DE CALCULO,

In quo Neotericorum opinio defenditur contra
JOANNEM FERNELIUM.

UT cuique ætati ſua eſt ſanitas, ita ſuæ ſunt moleſtiæ, ſuus morbus. Recens natos umbilici inflammatio, dentientes gingivarum pruritus, ſanguinis ex oculorum angulis fluxus & inde alii affligunt morbi: Immo certis temporibus ſui attribuuntur morbi. Nec ſolum ætatum varietate, ſed & hominum conditione, & locorum varietate morbi diſtinguuntur. Etenim quidam certa terrarum parte, membriſque hominum certis, aut etiam fortunis, tamquam malo eligente, gignuntur: unde hi in pueros, illi in adultos, alii in proceres, in ſervitia alii humilemque plebem, in viros alii, in feminas alii, auctoritate Hippocratis ſævire conſueverunt. Unde fœdam mentagram in Italia primum ſenſere proceres veloci tranſitu oſculi, non autem ſervitia, non infima plebs: cujus rei ut cauſa abdita latenſque, ſic hominum captum fugit. Sic ætas, vitæ inſtitutum, fortunæ conditio, nec non ſexus conſideranda veniunt. Sed eſt communis animantium hoſtis qui nullo non tempore in omnes ætates ſævit: id genus eſt febris ſine qua nulli animanti vita abrumpi poteſt: nam & hanc omnium morborum comitem ſtatuit Hippocrates. Ad ejus immanitatem accedit λιθίασις (a), proprie pueris auctoritate Hippocratis attributa: * ſed eam luxus & ignavia in omnem ætatem ſexumque ſparſit: ut

Aëtius.

Plinius.

Lib. de Feb.

* *Galen. ait creari in veſica pueris, la-*

(a) Lithiaſis.

pidem ; sed eam affectionem, non ita esse pueris familiarem ut est epilepsia. Nunc contra observatur. Item ait sola manuum opera curari. part. 26. sect. 5. 6. Epid.

* Problema 42. lib. 10. problemat. Aristot. quærit cur homo inter cetera animantia unus obnoxius sit calculo : videatur locus iste huc pertinens.

† Seneca ait Hipp. scripsisse mulieres nec podagra laborare, nec capillorum defluvio, non quod feminarum mutata sit natura, sed vita. epist. 1. lib. 15. Aphor. 76. lib. 4. Hipp. 1. lib. de morb. mal. Aristot. problem. 42. l. 10. Gal. ad par. 11. lib. 2. prognost.

* ut jam nullus sit morbus cujus vi atque impulsu de valetudinis præsidio sæpius decedatur : nam puerilem edacitatem lithiaseos parentem ceterarum ætatum facile vincit intemperantia : & quam podagram olim Hippocrates † eunuchis & mulieribus peperciſſe narrat, & lithiasin pueris propriam, eam ab invito Hippocrate extorquet lascivia intemperantiaque, eamque cum aliis ætatibus communicat. Ut jam aphorismi veritatem intemperanter acta vita evertat.

Indulgentius cum priscis natura egit, sed eam juvit vitæ ratio moderata : ne quis nunc naturam novercari credat, & non potius ad corruptos mores, id quicquid est, referat ; siquidem bona valetudo ob bonos mores aliquando contingit, quos nec desidia, nec luxuries vitiarit. Porro lithiasis affectio est contra naturam, calculus tamen morbus non est, sed morbi causa : laborat enim vesica tamquam instrumentum. Morbus autem in obstructione aut renis, aut vesicæ consistit, quam natura alii rei, non continendo calculo destinavit. Hoc qui fiat, commentario dignum est : si enim & generationis facilitas, & loci opportunitas, ceteraque innotuerint, præcautionis curationisque leges facilius statuentur. Omnes, pro suo quisque judicio, in varias de calculo distrahuntur opiniones : alii usum lacticiniorum caseique, & rerum similium accusant, alii paludosas aquas : Sit ita hercle. Quibus ista in usu sunt, sæpe calculosi vivunt, non tamen hæ præcipuæ causæ statui debent : fere fit enim ut calculo laborent ii quibus aut potu, aut cibo, seu ad voluptatem, seu ad necessitatem, crassa, paludosa ac glutinosa usurpantur. Hinc in urinis velut capillamenta apparuere multis qui in annonæ caritate fabis & orobo vescerentur : pituita enim aut cogitur, aut ducitur : si cogitur, lapis fit : si ducitur, capillus (unde Græcis τριχίασις (*b*) dicta) & aranearum reticulo aliquid simile. Et mulieribus aliquando purgamenta pelliculosa (Græce καταμήνια ὑμενώδεα) & veluti capillosa exeunt, quum pituita circum locos muliebres restagnat. Inter ceteras, duæ mihi probantur rationes, ob quas morbus hic passim sæviat, ut aut nulli, aut oppido pauci ab arenulis aut calculo immunes evadant : ingluvies, præsertim ciborum varietate expleta : deinde jus ipsum gentilitium, quum calculosa sati stirpe, fere ad λιθίασιν (*c*) propendeant : accedit facilitas generationis aut calculi, aut tophi, præsertim in corporibus densioribus & obstrui facilibus. At temporibus Hippocratis tam moderatus erat victus & cultus, ut non esset aliud vivere quam κατὰ φύσιν, ἢ κατὰ τὸ ἔθος (*d*) vivere. Sed quod ita facile calculus generetur, vel hinc patet, quod nulla non in parte corporis cogi possit : Natura enim in omni coctione & elaboratione, sive ea sit ex primo ejus instituto, seu ex secundo, tendit ad cogendum, & incrassandum. Uterus calculi expers non est, nec pulmo, nec cystis fellis, nec partes sub lingua : quin & ex variis humoribus generatur, ut post docebitur. Ac jubeatur illorum valere opinio anilis nimium quibus placet a sola pituita calculum causas principiumque

(*b*) Urinæ capilliformes.
(*c*) Lithiasin.
(*d*) Secundum naturam & consuetudinem.

cipiumque ducere, excluſis fere aliis humoribus, tamquam cauſa materiali, ut præ ceteris obeſi, ac præpingues lapidoſi vivant: experientia enim idipſum convellit. Sed quod primas ingluvies teneat, varietate ſatiata ac ſaturata, vel id fidem facit, quoniam cruditatis parens exſiſtit: cruditas autem materiem facile ſuppeditat. Varietas autem in diverſis facultatibus & ſubſtantiis ſeſe oſtentans, plurimum dat negotii naturæ, quæ alioqui omnia in unum cogere conatur coquendo, alterando & ſimilia a ſimilibus ſeducendo: quod in primis Hippocrates animadvertit, dum ſuam ptiſanam canonem & regulam ceterorum alimentorum conſtituit. Inter ceteras dotes hanc extulit, quod nullum in alvo tumultum excitet: ὅτε ἄρα- ſον κακὸν ποιέει (*e*): non ſimpliciter ἄραδον (*f*), ſed ἄραδον κακὸν (*g*) dixit, quod nil æque coctioni officiat, ac varietas quæ pluribus cibis ineſt. Et quum de glande mentio fit, ita interpres, glans tumultum affert, tum autem ἄραδος (*h*) fit, quum alimenta varias habent facultates, & dum unum facile, alterum ægre coquitur: unum inflat, pungit alterum. Id quod demonſtratur Athletarum exemplo qui probe nutriuntur ac proficiunt, quibus in arenam deſcenſuris ſolus panis mane, veſperi ſola caro offerebatur: adeo ſimplicis cibi magna eſt opportunitas. Nam quum inflat unus, ſolvit alius, aſtringit alius, chyloſeos officina, quæ in alvo in unum munus incumbit, facile læditur ac labefactatur. Hinc illud Lyrici:

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque ſecum
Afferat; in primis valeas bene. Nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Quamquam ex recentioribus quidam diſſentanea ab iis quæ de victu Athletarum ſimplici dicta ſunt ſcripſit: explicans enim vires τῆς ἕξεως ἀθλητικῆς (*i*), ait Athletas, ut robuſtiores evaderent, ſolitos eſſe quoſvis cibos aſſumere, nullo ordine, nulla lege; quod cum ſuperiore opinione pugnat, niſi fortè quis dicat Athletas aliter in otio ali ſolere, aliter in negotio: quod ex Galeni verbis facile elicitur. Quibus itaque ſanitas ſtudio eſt, ii cibos deligant, varietatemque devitent: quod non ſolum in eſculentis, ſed & in potulentis audiendum: nam & aquarum varietas ut cruditatis parens eſt, ita & calculorum: quod minus verum alicui videatur, quum aqua παχύτητα (*k*) nullam habeat, quæ ad augmentationem facit: tamen aquarum varietatem calculis cauſas principiumque dare Hippocrates ſcripſit: calculis obnoxii ſunt qui utuntur magnorum fluviorum aquis, in quos

1. *Acut.*

Gal. in com.

Gal. in 4. acut. & ad part. 18. lib. 1. acut. Gorræus in defin. medicis. Athletarum dieta.

Horat. in Sat. Ad part. 18. lib. 1. acut. Contra hunc Galeni & Horatii locũ afferri poteſt quod ſcribit Ariſt. lib. de mundo ad Alexand. quod natura contrariis delectari videatur.

Hip. de locis aere.

(*e*) Neque perturbationem malam facit.
(*f*) Perturbationem.
(*g*) Perturbationem malam.
(*h*) Tumultus.
(*i*) Habitus athletici.
(*k*) Craſſitudinem.

alii confluunt. Aqua enim aquæ ſimilis eſſe nequit, ac neceſſe unam præcellere alteri. Sed & quod jure hereditatis ad poſteros morbi perveniant, illud in confeſſo eſt: ac verum non eſſe plerique magno ſuo commodo expeterent: nam ſemini neſcio quæ vis impreſſa eſt, quæ ut valet ad ſpeciem, ita latenter morboſam diatheſin devehit & transfundit, & ut mores ingenerantur a ſtirpe generis & ſeminis, ita eſt ea diatheſis ingenita, atque ea vis ſemini inſita veluti tradux eſt cenſenda: quo fit ut macrocephali macrocephalos procrearint.

Com. ad. aph. 28. lib. 6. & Hipp. lib. de morbo ſacro.

His ita jactis fundamentis, ut in rei arcem invadatur, ſingula rerum capita perſtringenda ſunt: Lapidum materia explicabitur, cauſa efficiens, qui obnoxii, qui non, cur quidam in renibus potius, in veſica alii habeant: & curatio ad eam regulam dirigetur: maxime vero eos calculos hic attingimus quos aut alteruter ren, aut veſica cogit: qui in aliis corporis fodinis concreſcunt, nil ad inſtitutum. Lapidis nomine quidam audiunt id quod in veſica coagmentatur: calculi autem, id quod ex arenulis concreſcens in rene coaleſcit. Quamquam, ut verborum aucupium fugiamus, τὺς λιθιῶντας (*l*) & lapidoſos, & calculoſos vertere poſſumus.

λιθιᾶν & λιθιῶντας (*m*) *veteres iis ſolum accommodarunt quibus in veſica lapis moleſtus eſt: & tametſi in renibus generetur, proprie tamen τὸ λιθιᾶν his non accommodatur. Hollerius cap. de Calculo.*

Calculorum materia nonnullis aliquid purulentum eſſe videtur; obſervatum eſt in quodam pituitam putrem, & pus craſſum falſo calculum retuliſſe. Ac primum videndum an pus, aut purulenta materia generando calculo apta ſit. Atque evenit ſæpe ut pus in veſica manens calculum mentiatur, quum quicquid anguſtos aquæ ductus, quos urina præterfluit, obſtruit, lapidem exprimere poſſit. Quæſtio tamen eſt an vere calculus ſit: quibuſdam non videtur, Galeno contra. Sed illorum rationes exponendæ. Sanguis & ſanies, dum putreſcit, fibras amittit: at ſine fibris coagmentatio non fit: Damarum enim ſanguis non concreſcit quod fibrarum expers, ita pus calculum non facit. Deinde in abſceſſibus renum materia purulenta, ab iis defluens tota, urinæ toti permiſcetur: & ſi ſubſideat, minima agitatio eam deſtruit, dividit ac divellit, ac rurſus urinæ remiſcetur: hinc patet pus nil eſſe corpulentum, ſed divulſum, ut in calculum non abeat. Contra in ſemine & pituita apparet; utrumque, ut fibrarum particeps, cohæret, uniturque, & in urina, aut eminet, aut reſes in fundo manet: ſuam cohærentiam facile ſervat, nec agitatum in minimas partes refringitur: itaque conficiunt ac concludunt pus generando lapidi eſſe ineptum. Victi tamen fractique auctoritate Galeni, dum ſe ſubterfugio proripiunt, a pure rudimentum lapidis ac incruſtationem duci poſſe confitentur, calculum non poſſe. Quantumvis enim obducatur rudimentum lapidis, ſi pus quod oblinit obducitque fibrarum expers eſt, nihilo major lapis erit, quam ſi aqua alluat affundaturque: ſiquidem fibrarum carentia coagmentationi occaſionem præripit: & iis etiam auctoribus pus non cogitur; contra Galeni auctoritas primum nititur, rationibus aliis fulcienda; *in corpore*, ait Galenus, *ex humore purulento, aut cum pituitoſo mixto tophus nonnumquam fit, ut & in articulo-*

Ad particul. 6. ſect. 1. lib. 6. Epid.

(*l*) Calculoſos.

(*m*) Calculos generare & calculoſos.

articulorum morbis contingit: eodem enim modo & in his, & in renibus lapides coguntur.

Sed & minus probabile quod dicunt ex pure calculum non fieri, quod pus vi putredinis fibras cogendis corporibus aptas amiſerit: aliud enim eſt in pus converti, aliud corrumpi. In corruptione partium fit alienatio, quum & materies tota præter naturam fit, & cauſa efficiens. Si partium diremtus ſit, abſunt fibræ, coalituſque occaſio ſublata eſt. Sin pus fiat ex materia limites naturæ non egreſſa, tametſi alimento non ſit, quia & bonitate naturæ, & cauſæ efficientis vi ad æqualitatem mediocritatemque reducitur, longe alia ratio eſt: adeſt lævor, albedo, æqualitaſque, nil diſpar ac diſſimile: in hoc character naturæ exſiſtit: Idem opifex alimenti & puris: ſed illud in naturam vertitur, hoc vi illius expellitur: ſic in pure partium unio & coactio vi naturæ procurata: ejus omnis materia laudabilis erat, ſed forte in locum alienum rejecta, aut ſua ſponte incitata, tantiſper a natura deſcivit. Sed dum bonitatis illæ notæ adſunt, ſatis natura ſuo feciſſe officio videtur. Æqualitas quippe vim caloris ſeſe in omnes materiæ partes inſinuantis ſignificat, lævitas materiæ indolem & bonitatem, vimque partium ſolidarum albedo. Si per putredinem fibræ abſunt, qui fit ut qui in febribus humores, aut in vaſis, aut extra putreſcunt in ſedimentum legitimi puris dotibus ornatum faceſſant? Aut in pus, quod in criticis abſceſſibus cernitur? Quinetiam ex generibus puris aliud omnino contra Naturam videtur, fœtens ac livens, quod in morituris videre eſt: contra vero in iis qui ſanitati proximi ſunt. Immo licet materia diſtracta divulſaque ſit, vi partis ſolidæ elaborata unitur: & τῶν ἑτερογενῶν (*n*) fit ſecretio; & quum in morbis urinæ craſſæ ac grumoſæ extenuari dicuntur, id non eſt aliud quam elaboratas reddi in calore, & conſiſtentia, & contentis laudabiles, quantula ſit hypoſtaſis, dummodo culpa caruerit. Sic abſurdum eſt eam ſoli pituitæ & ſemini adhæſionem unionemque tribuere, puri omni adimere: ſiquidem pus & ſedimen laudabile cohæret. Quid ſi auctore Hippocrate omnia per putredinem craſſeſcant? Et licet id quod in pus verti debet, tenue, ſeroſum ac diſſolutum fuerit, dum cogitur ac mitificatur, fibras lentoremque, coactionis cauſas acquirit: nam & omnis coctio incraſſat. Immo nec omnis pituita coagmentatur, quum & in minimas partes diffringi videamus, & toti urinæ remiſceri. Pus autem ſi a renibus manat, dum viæ anfractu, urinæ liquore dirimitur ac comminuitur, puris formam amittit. Sed male pus unione ac coagmentatione privant, ut in calculum cogi non poſſe conficiant: nam verum pus cogi neceſſe eſt. Empyici grandinoſa ſputa exundunt e pectore, quod pus in grandinem & tophum coeat: in abſceſſibus tempore & loco non curatis pus lapideſcit. Noverint itaque aliud eſſe corrumpi, aliud putreſcere: corruptione unio tollitur, partium diremtio inducitur: per putredinem aut omnino retinetur, aut parum diminuitur, aut elaboratis partibus novarum fibrarum fit inductio: hinc conglu-

Hip.4.Aphor.

Hip. lib. de carnibus.

(*n*) Heterogeneorum, diſſimilium.

Hip. lib. 2. de natur. hum.

conglutinatio & connexio. Sed & Hippocrates a pure calculum esse voluit. *Quibus in lotiis subsident arenosa, iis initio circa venam crassam tubercula exstitere, versaque in pus fuere. Deinde tuberculis haud celeriter ruptis pus in tophum vertitur, qui foras per venam cum lotio exprimitur*: locum hunc forte rejiciet quis, quum nec verus esse videatur, nec idioma Hippocraticum resipiat: accedit quod liber nothus dicatur: tamen Galeno contextus placet alio in loco, & ut doceat a pure calculum esse, id loci citat: quamquam magis placet ab arefacta pituita cogi: In enarranda autem sententia ita scripsit: *Excretiones urinarum ejusmodi arenosarum possunt fieri a causa quam statuit Hippocrates: item & a rene obstructo contra venam magnam, sæpius autem sine tuberculis fiunt, quum succus crassus, vel glutinosus exitum retardans concreverit a calore loci arefactus.* Itaque agnovit arenulas a pure nasci posse, & sententiam incerti auctoris non rejicit.

Comm. ad particul. 6. sect. 1. lib. 6. Epid.
In lib. 2. de nat. hum.

Jam vero materiam lapidis constituit Galenus crassum glutinosumque humorem vias obstruentem: & paullo plenius alio in loco & causam efficientem & materiam exposuit: *Pueri multi, quia admodum sunt voraces, cumulant succum proprie crudum appellatum, a quo facile calculi generantur. Is humor ut materia est, ita & calor efficiens causa est*; ut non placeat opinio ejus qui *secundum de natura humana* scripsit, dum ait pueris lapidem nasci ob vesicæ calorem & totius corporis, viris ob corporis frigiditatem non nasci, sed posterior opinio minus plausibilis.

Comm. in lib. 2. de nat. hum.
Ad par. 13. lib. ejusd.

Notandum enim illud est Gal. ad part. 5. sect. 1. lib. 6. Epid. vesicæ lapis in pueris magis, renum vero affectus in ætate declinante potius contingit. Vide quid nomine affectus renū dicat, nam intelligit de eo affectu, de quo Hipp. in renem dolor gravis. Inter ceteros locos Hipp. ex quibus colligas maxime in puerorum vesica calculos

Quum sit consilium disputandi de causis lapidis, de corporum ad lithiasin idoneorum natura, de ætatibus, series disputationis e superioribus ducta postulat, ut in hunc locum nonnihil inquiratur: dubitare enim quis possit an caliditas vesicæ & totus corporis ad calculum faciat. Quoniam vero duplex calor est, quidam halituosus, multo humore perfusus, ἀτμώδης (*o*), manum minime pungens, an is calor, quo pueri abundant, generando calculo aptus? Nec enim id posse videbitur. Item quæri potest an calor vesicæ peculiariter calculum creabit, quum alias ejusdem partis frigiditas id posse afferatur, ut paullo post dicemus. Tertio an senes quod sint frigidi, calculo non vere obsideantur. Horum explicatio parem utilitatem juxta & voluptatem habitura est: voluptatem, quod rebus iis ad unguem exactis animus explebitur: utilitatem, ut & præcautionis & curationis lex in ægrorum salutem sanciatur. Si, ut fere omnibus placet, calor lapidum parens tenuitate & acrimonia præditus esse debet, immo febrili calori analogus est, unde absolute τὸ θερμὸν (*p*), aut ab efficientia τὸ πῦρ (*q*) dicitur, cur ita in calculosis ad oxypora & ecphractica confugimus? Ita enim causæ efficienti nervos addere est, & graviſſime peccare. Sin calor calculi effector temperatus & halituosus, qualem in *secundo de natura humana* Hippocrates & Galenus constituunt, cur οὐρητικὰ (*r*), temperantia, lenientiaque præscribuntur? Ita fovent calorem naturalem lapidis

(*o*) Vaporosus.
(*p*) Calidum.
(*q*) Ignis.
(*r*) Urinam cientia.

pidis auctorem, materiamque ſua viſcoſitate reddunt mucaginoſam, lentam & viſcidam, atque ita aberraretur: veriſimile itaque coagmentationem a calore potius acri promoveri, non a blando & naturali. Qui enim auctor eſt coactionis, vi & facultate digerendi reſolvendique polleat neceſſe eſt: quod Galenus docet, *lapis propria paſſio puerorum eſt qui ob edacitatem non paucos crudos humores generant: ex quibus pars craſſior cum urinis ad veſicam delabens, lapidis materia fit: accedit & vehementia caliditatis: nam & ſenes acervant crudum non paucum, non ob voracitatem, ſed ob facultatis coquentis imbecillitatem: non validum tamen calorem habent qui craſſam materiam reſolvens lapidem generet.* Utitur verbo ἐξατμίζειν, quod exſiccare ſignificat, arefacere, tenuemque ſubſtantiam e craſſa elicere ut fæx reſideat. Sic & potens calor eſſe debet, & reſolvendi facultate inſignis: quam facultatem calori naturali blando, humiditate multa perfuſo non concedimus: * qui ſi fluens eſt, eſt veluti ἀτμός τις (*s*), ſi fixus partium ſolidarum eſt ἐντελέχειά τις (*t*). Calor hic naturalis ſive fluens, & tamquam ἀποῤῥοια τῆς ὑποκειμένης οὐσίας (*u*), ſive fixus, quamdiu habet in quod agat, & depaſcatur, non ſe ad aliud convertit: ut vix credamus calorem illum blandum in pueris ita poſſe crudos ſuccos reſolvere, ut lapideſcant: arefactio quippe iſta, reſolutio, digeſtio ignei potius caloris munus exſiſtit. Et quoties ἰσχυρὸν θερμὸν (*x*) legitur, de calore acri & febrili audiendum, cui ob eximiam vim, reſolvendi poteſtatem in frigidis morbis Galenus attribuit, immo & coquendi, ſed id καταχρηστικῶς (*y*), quum alio loco dicatur vim habere frigiditatem coquendi, id eſt, mitificandi. Et vero ſi in pueris calor blandus tepenſque ita reſolvat, ut corpus hinc lapideſcat, an tanta in ſenibus frigiditas, ut quum ob vis coquentis languorem cruditas adſit, materies cruda non obſtruat, areſcat & lapideſcat. Nam & calor acriuſculus eſt, nec manente vita tam paucus, ut inefficax ſit: niſi de iis hominibus qui defectæ ſunt ſenectutis, audiamus. Sic & auctor *lib. de nat. humana*, & Galenus in idem conſpirant: ille dum viros a calculo immunes eſſe ait ob frigiditatem, hic, in ſenibus materiam ſuppetere creando calculo, ſed effetum calorem qui reſolvendo non ſit ſatis. Sed tamen ſui diſſimilis eſt Galenus: *Aſthmata*, ait, *in ſenibus ex deſtillatione ortum habent, quum & reſpirandi inſtrumenta habeant proprium ſui algoris principium, & in ipſis multæ ſuperfluitates congeruntur, præterea præſente virium imbecillitate renes obſtruuntur, lapideſque fiunt, quum tenax & craſſa ſuperfluitas in ſimilem callo ſubſtantiam abiverit.* Contextus græcus a Leoniceno male verſus eſt: nec enim legendum: *præſente virium imbecillitate renes obſtruuntur, & lapides fiunt*, quum hæc verba, ᾗ προσέτι τῆς δυνάμεως ἀσθενὲς ὄσης (*z*), ad generationem ſuperfluitatis anhelitus facientis revocentur: Legitur autem abſolute

colligi eſt Hipp. l. 4. de morbis, dum de lacte nutricum agit, & notat quod cavitas ipſius veſicæ ad id faciat, cum retinet fæcem urinæ, & quod dolor ipſe micturientis valeat ad augendum lapidem. Pus enim præ dolore ſe conſtringit & impedit egreſſum pituitæ quæ glutinum eſt lapidis.

* *Com. ad Aph 26. lib. 3.*

Comm. in aph. lib. 4. aphoriſm.

Ad aphor. 31. lib. 3.

(*s*) Vapor quidam.
(*t*) Perfectio quædam.
(*u*) Evaporatio ſubjectæ ſubſtantiæ.
(*x*) Forte calidum.
(*y*) Abuſivè.
(*z*) Convenit facultatis debilis exiſtentis.

nulla facta mentione imbecillitatis : Εμφράττον δὲ πολλάκις οἱ νεφροὶ ὑπὸ τῆς λίθου γεννῶσι ὅταν (*a*) &c. Vitium & error ex male descripta periodo pendet. Quamquam non abs re fuerit si quis dicat præ imbecillitate virium calculorum opportunitatem adesse posse: nam coagmentatio arguit quamdam partis infirmitatem id quod molestum est a se amandare nequeuntis.

Curiosa verborum observatione relicta, rem ipsam perstringamus. Lithiasin proprie pueris attribuit, quod & voracitas, & cruditas, & calor concurrant. Cruditatem juvat cupiditas partium alimentum ab alvo vix dum mitificatum rapientium. Raptus autem fit, quod idem alimentum & auctioni, & nutritioni facere satis debeat. Quum varium sit desiderium, varium partium studium, mirum ne sit si utrique fini abunde non satisfiat. Nutritio fit, quia alimentum substantia est alendo corpori, post multiplicem confectionem, apta; auctio fit, quatenus id quantitate præditum est. Eamdem lithiasin a senibus removet, quod præsente causa materiali, efficiens desit. Alio loco obstructionem renum senibus tribuit, unde congeries viscida σύστασιν παραύλην contrahat, id est, callosam concretionem, ac coagmentationem: concretio vero fit elicita parte tenuiori vi caloris exhalantis. Si in senibus Galeno frigiditas dominatur, ecquæ causa efficiens? Nec est quod quis ad senum latitudinem confugiat: ut dicat frigiditatem in decrepitis & capularibus senibus dominari: quum autem senibus attribuitur quædam callosæ substantiæ coagmentatio, ad viridem senectutem id referendum in qua calor non languet. Immo dum asthmati, stranguriæ & συστάσει παραύλει (*b*) senes objicit de extremo senio intelligit: verba græca sunt, τὰς τελευτὴν ἐχόντας ἡλικίαν audit, id est, senes Hippocrates intelligit qui extremam ætatis partem exigunt: in iis enim suam orationem terminavit, tamquam singulas ætatum partes jam emensus. Si itaque extrema senectus concretionem callosam promovet, cur non antecedentes senii partes? Et absurdum est a senibus & viris lapideam compactionem removere, quum & præsto sit materies, & non sit id frigoris, ut calor acriusculus non supersit qui adjuvante loci angustia (cui primas partes concedimus) ad compingendum temporis tractu sufficiat. Ut quod affatim, celeriterque calor potentior efficaciorque in corpore vegeto facit, idem languidiusculus in corpore fracto & senili longiore tempore promoveat: quod verisimile mihi videtur. Atque eo consilio Hippocrates videtur hoc scripsisse: *Post mictum concretio magis pueris, an quod calidiores*? Cur dubitat, quum calorem coactionis auctorem passim edocuerit? Sed dubitandi occasio fuit forte, quod non videatur probabile calorem puerorum naturalem tot præstantium operum auctorem, tam male de nobis mereri ut tam dirum malum invehat. Malefico enim calori hoc quadrat: qui efficit ut una cum hereditate jus istud ad nepotes transferant: quod satius esset omnino heredes non scribere, & paternæ miseriæ consortes non reddere. Hæc fortè παράφρασα.

6. Epidemiorũ partic. 15. sect. 3.

Nunc

(*a*) Obstruuntur sæpe renes & lapides generant, quando &c.

(*b*) Concretioni callosæ.

Nunc de ſenibus & pueris, id enim locus poſtulat, dicamus. Nondum definiemus quid ſit concretio ante mictum, quid poſt. Lapides in veſica coguntur, in renibus, & in anguſtis ubique locis. Si in loco ampliore, & caloris ubertas, & materiæ copia ſignificatur: nam quum materia effugerit in aliis locis coagmentationem, in veſicam, tum per ſe calidam, tum locorum vicina, illabens, præſentem materiam reperit cujus adhæſu facile adaugetur. Si in loco anguſtiore, obſtructionis modo fiunt: nam materia viſcida, terrena fit, anguſtia remoratur: hinc tempore cogitur lapis. In calidis naturis proprie generatur lapis, tum ratione loci, veſicæ ſcilicet, tum cauſæ efficientis, caloris nempe, temporis, quia brevi fit, effectionis modi, quia tenuior pars elicitur, unde vere concreſcit corpus. In non calidis, aut jam ad frigiditatem vergentibus, quæcumque coactio fit, ea improprie fit, & fit potius ex parte ipſius materiei, quam ulla ratione cauſæ efficientis: id enim quod viſcoſum per ſe & craſſiuſculum eſt, jam fere lapis eſt illud quod vocamus σύστασιν πωρώδη. Nec enim coctionis modo, quæ in incraſſatione cernitur, aut partium tenuium exhalatione ſed obſtructione potius fit. Ita quippe ren impeditur, retenta materia calor non difflatur, indeque congeſtio aliqua, veram concretionem ementiens, tempore procuratur: atque ea congeſtio in renibus fit. An non tam elucet vis caloris in cogendo lapide, ſi locus anguſtus eſt, quam ſi amplus. Anguſtia ſiquidem loci jam ipſius concretionis rudimentum affert, dum anguſtiis viarum humor paullum craſſus inhæreſcit: nec iſta requiritur reſolutio tenuioris ſubſtantiæ vi caloris fieri ſolita, quum languens calor, locus autem arctus exſiſtat. Huc pertinet illud Hippocratis: *a quadrageſimo anno ad ſexageſimum tertium ſtrumæ non fiunt in ſenibus, nec lapis in veſica, niſi prius fuerit.* Non negat fieri poſſe in renibus. Aphrodiſæus vult & ſenes & pueros magis calculis eſſe obnoxios: quod forte minus accurate dictum, & Hippocrati repugnat.

Notandus locus ut ex eo capita curationis eruantur.

Hipp. in coacis.

Aphrodiſ. Problem. 41. lib. 2.

Ne diſtinctiones has effinxiſſe videamur, dum diximus in ſenibus concretionem eſſe impropriam obſtructionis potius vi, in pueris propriam, reſolutione caloris vi facta, vel ut verba Galeni exprimunt, de ſenibus dum loquitur: *Obſtruuntur enim*, ait, *renes, & lapides generant, & calloſa ſubſtantia fit*: Non meminit caloris, at ſolius obſtructionis. Deinde meminit, συστάσεως πωρώδους (*c*), non abſolute dixit, λίθος (*d*), quamquam λίθου nomen uſurpat, proprie tamen non agnoſcit λίθον, ſed σύστασιν πωρώδη: quod abs re dictum non eſt. At dum exprimit veram in pueris concretionem, aliter longe locutus eſt: non meminit obſtructionis, ut in ſenibus; immo rejicit anguſtiam ut cauſam; ſed voracitatis, copiæ humorum, caloris reſolutionis. Sic conſiderantur calor potens (qui ſenibus deeſt), copia materiæ (quæ ſenibus adeſt quidem, ſed ob coctionis imbecillitatem, hæc autem paupertatem caloris denotat) & reſolutio, quæ veram coagmentationem invehit. Atque ita ſecum conciliandus eſt Ga-

Aphor. ultimo lib. 3.

Nota ad part. 15. ſect. 3. lib. 6.

(*c*) Concretionis calloſæ. (*d*) Lapidem.

lenus; quamquam obſtructio ipſa per ſe non ſufficit ad lapidem cogendum: ſed hæc per comparationem audienda ſunt.

Sed nunc quaſi e portu paullum remigrantes, redeamus ad diſputationem de calore, quoniam diximus non abs re Hippocratem dubitaſſe, an poſt mictum pueris concretio fieret, quod calidiores forent: præterea an calor naturalis, an acer & mordax ſit opifex. Ac jam demonſtratum eſt in genere calorem opificem eſſe, ſive in toto corpore fuſus ſit, ſive in parte ipſa (ut quum quibuſdam renes impenſe calidi ſunt) ſive calidorum vicinitate: hæc enim ad id maxime facit, ut placet Hippocrati: *Quibus alvus liquida & ſana eſt, non ardens, ſtomachus veſicæ non coardeſcit; ii facile meiunt, & nil in veſica cogitur. Quibus alvus ardet, idem veſica patitur: nam & os ejus inflammatur. Si id patitur, urinam non dimittit, ſed in ipſa coquit aduritque, tenuiſſimum excernitur, puriſſimum percolatur. Quod craſſum coacervatur, concreſcitque magis ac magis. Dum volvitur ab urina quod craſſum compactum fuerit ad ſe ipſum aptat, augeſcit, & in tophum concreſcit. Quum meiit, ad os veſicæ allabitur, mictionem impedit, dolores infert. Sic pueri trahunt & fricant penem. Et cauſa mictionis videtur eo loco eſſe. Signum eorum eſt, urina ſplendida redditur, quia quod craſſiſſimum & bilioſum iſtic manet ac conglomeratur. Pueris lapis fit ſi lac ſalubre non fuerit, ſed calidum ac bilioſum: nam ventrem calefacit & veſicam.* Tria hic obſervanda. Primum, quomodo partium vicinarum ardor veſicæ communicetur, cogendi lapidis occaſio: ita audiendum id de calore acri. Deinde, quod in veſica primo lapis fiat, quod Neotericis non placet. Tertium, de lacte calculorum in pueris auctore. Addo & urinas ſplendidas: vix enim hoc probabile, ut æſtus adſit tantus & in veſica, & in adjacentibus partibus, & urinæ meiantur ſplendentes. Sed hoc forte fit, quod lentus, frigiduſque humor ſubſideat, a quo ſerum reſudans ut excretioni paratum facile meiitur: quod autem craſſum & bilioſum (id eſt, quod in mole iſta calidum & æſtuans, tamquam ſpiritus agitans & conficiens) remanet. Caloris præterea copia, præſertim ſi præter naturam ſit, ſæpe cruditatem parit, & renes, veſicamque calefaciens, tractum urinæ faciliorem facit: teſtis diabetes ab ardore renum natus. Relictis aliis quæramus, quoniam de ardore mentio fit, an tantus æſtus ad coagmentationem requiratur: nam ſi exceſſus eſt caloris, præter naturam id eſt: coagmentatio vero & a calore, & a frigore per ſe fieri ſolet. Sed quid illud eſt quod illo loci Hippocrates dicat ardere & inflammari os veſicæ, & inteſtina? Benevole Hippocratis verba ſunt excipienda, nec aliorſum detorquenda; juſtitiam ſuam ſignificant, qui, quia aliorum mentem non capiunt, mendacii convincunt. Hippocratis conſilium eſt docere qui fiat ut arenulæ in quibuſdam generentur, in aliis non, quorum utrique utuntur aquis ab Aquilone perflatis, prout alvus bene maleve affecta eſt. Ut enim morbus fiat, non modo materies, ſed & ſubjectum requiritur: & quibus alvus inferior ardet, in iis facilis calculorum proventus eſt: ardoris, inflammationiſque nomine (ne quis hoc exquirat nimis) intelligit calorem multum & ſiccitatem, a quibus adſtrictio alvi magna inſequitur: tale quid vocat κοιλίαν κεκαυμένην, alvum exuſtam.

Hipp. lib. de aëre.

Hinc curationis ratio petetur.

Caliditas venoſi generis ad arenulas in vaſis ipſis gignendas multum facit.

Et ut ingenue fatear credo in rene & veſica fieri quidē coagmentationem: ſed corpuſcula, nempe arenulæ, coagmentanda in venis, præſertim corpus ſqualidius ſit & bilioſius, generantur a craſſiuſcula quadam ſubſtantia quæ in genus venoſum rapitur, immo ſanguinis pars in arenulas verti poteſt.

Unde apud Hipp. menſes arenulenti, & poſt partū in ſecundinis arenulæ vere non ſunt perſpectæ.

Hipp. lib. de humor.

Hip. 5. aphor.

exuſtam ardentemque verto. Alvi ſiquidem adſtrictio in primis ad concretionem lapidum facit. Et quum calor eorum auctor ſit, ubi virtus ejus, major propenſitas ad calculum: licet par in his aut illis materies adſit: adeo magna efficientis cauſæ vis exſiſtit. Immo & bilioſis valde cyſtis fellis lapillis oppleta ſæpe viſa eſt. Acer quippe calor, & mordax exſuccum corpus, qualecumque id ſit, reddit; Si inteſtina & hepar incaluerint, veſicæ id facile communicatur; ſi verum eſt ea maxime affici ſolere quæ ſint propinqua: nam & inflammato recto inteſtino, ſtranguria, & utero ardente, teneſmus prope eſt. Contra ſi alvus profuſior eſt, & generationis occaſio minor eſt, & minores dolores adſunt: non enim urget premitque ſtercus; teſtatur clyſmatum perfuſio, una nephriticorum & calculoſorum medela & levamen. Quibus contra alvus ſicca, febres, capitis dolores, ſtranguriæ, renum ardores familiares ſunt. Itaque ubi major calor, major quoque ad coactionem propenſitas: ut non pigeat repetere illud Hippocratis: *Pueris arenæ cum lotio excernuntur tum ob veſicæ, tum totius corporis caliditatem.* 2. de nat. hum.

Sed jam definiamus an blandus ſolum calor, an ſolum acer, an uterque calculum producat. Si eductio tenuioris partis per digeſtionem in calculo efficiendo quæritur, quid hoc promptius præſtabit, quam calor acer? Ac reſumamus illud: Poſt mictum pueris magis σύναγμα (*e*), an quod calidiores? Explicatio hujus ſententiæ ſummam eorum quæ quæruntur faciet. Et primum de voce συνάγματος (*f*): σύναγμα ἀπὸ τῦ τ γλιχρὸν χυμὸν συνάγεσθαι (*g*) ducetur: & duplex eſt, unum πρὸ οὐρήσεως (*h*), alterum μετ' οὔρησιν (*i*): loco nominis τ οὐρήσεως (*k*) legitur apud Hippocratem τὸ οὖρημα (*l*); ſed male legitur pro τὸ οὖρα (*m*): aliud vero eſt οὖρον (*n*), aliud οὔρησις (*o*). Sed cur de pueris loquens ſubdit, ἆρα ὅτι θερμότερα, id eſt, an quod calidiores? Duas forte ob cauſas notam dubitationis adſcripſit, partim quia adjecerat vocem μᾶλλον (*p*), quod æque veriſimile foret, ut facilis adhæſio concretioque in juvenibus fieret: Immo magis, quia multo abundant calore, eoque acri: is autem calculorum effector eſt: & quod *in aphoriſmis* pueri calidiſſimi dicuntur, id nonniſi cum diſtinctione audiendum: quæ quum trita ſit, omitti debet: quamquam abſolute οἱ θερμοὶ (*q*) dicuntur calore acri abundantes. Secunda ratio eſt, ſi in pueris multa cruditas eſt calculi auctor, non eſt credibile multum eſſe in iis caloris: pugnant enim hæc, calorem abundare, & multum ſucci crudi ſuperfluere. Sed hoc verum ex parte caloris: quippe ſi multa ingluvies, vix calor mitificando ac coquendo omnino eſt. Sic nimirum hieme multum eſt ſedimenti, quod eſt reſiduum alimenti coctionem effu- Lib. 1.

(*e*) Coacervatio, coneretio.
(*f*) Concretionis.
(*g*) Collectio ab eo quod viſcoſus ſuccus coacervetur.
(*h*) Ante mictionem.
(*i*) Poſt mictionem.
(*k*) Mictionis.
(*l*) Mictio.
(*m*) Urinæ.
(*n*) Urina.
(*o*) Mictio.
(*p*) Magis.
(*q*) Calidi.

Com. ad particul. ult. progn.

gientis; & tamen caloris ubertas adeſt. Sed ſatis natura ſuo functa videtur officio, ſi modo impreſſa ſua vi in ſedimentum, notas & characterem bonitatis induxerit. Niſi enim virtus alimenti hieme caperetur, calor & coqueret omnino, & nihil reſidui relinqueret. Et Hippocrates quærit, an quod pueri calidiores? Ac ſi quæreret, num alia coagmentationis cauſa eſt quam calor? Si enim calor ita potens eſt in pueris, is coqueret, ad æqualitatem reduceret, & tandem expelleret: itaque in veſica craſſior pars non retineretur, lapidis parens. Et ita alia cauſa ſtatuenda, nempe ingluvies. Et quod notandum, non videtur omnino dubitare dum ait, an quod calidiores? numquid τῦ σωάγματος (*r*) calor auctor ſit, (ſiquidem & ſi cruditas cauſa eſt materialis, efficiendi vim habet calor) ſed an poſt mictum, id eſt, ſecretam a renibus in capacitatem veſicæ urinam, in pueris coalitus fiat, quod in eis plus caloris inſit; duplicemque habet intellectum iſta periodus. Prior eſt, an in pueris concreſcat lapis potius quam in aliis ætatibus quod ſint calidiores: quod placet Galeno. Poſterior, an in pueris potius fiat concretio poſt mictum, quam ante mictum, quod ſint calidiores. Conſtat enim in puerorum veſica cogi lapidem, præeunte aliquo rudimento, ob viſcoſum excrementum, quod renes præterlapſum fuerat, exſiſtente & natura valida, & patentibus viis: remanet autem in veſica potius, quia grave, & corpus veſicæ flaccidum, & uligine multa obſitum; præterea excernitur tenuior pars: ſic facile adhæſus fit. At in virorum renibus is adhæſus potius contingit. Diximus autem ante mictum cogi quid, non eſſe aliud quam fieri antequam urina a renibus delapſa ſit: poſt mictum autem, id eſt, poſt effuſam a renibus in veſicam urinam. Quamquam quidam putant poſt mictum σωάγμα (*s*) fieri, id eſt, poſt excretam a veſica urinam, ut craſſior pars, & hypoſtaſis remaneat legitima calculorum, & prompta materies. Sic poſt mictum, actum meiendi ſignificaret. Quod ſi verum erit, quis ſenſus foret? quid dignum Hippocrate? Sit ita, in pueris concretio fiat poſt mictionem ipſam, quia excreta parte tenuiori fæx remanet, quid ſignificaret illud, *Ante mictum*, ut vult Galenus *in comm. in viris fit concretio?* nam opponit τὸ μετ' οὔρησιν, τῷ πρὸ οὐρήσιως (*t*). Nec enim credibile in viris fieri concretionem, remanente potius urina in veſica: in pueris autem, excreta ab eadem veſica urina: nam contineatur necne urina in veſica, non ideo in renibus cogitur lapis. Placet autem Galeno, in viris concretionem lapidis renum eſſe propriam, & ad viros illud τὸ πρὸ οὐρήσεως (*u*) pertinere. Sed hæ convinci rejicive poſſunt argutiæ. Dicat enim quis: Hippocrates vult poſt mictum coactionem fieri, quod quum urina effluxerit, fæx facile lapideſcat: quid attinet ad ſententiam Hippocratis ſi inferamus, in aliis ætatibus fieri ante mictum concretionem; quod in pueris poſt mictum fiat? Nec enim Hippocrates virorum meminit, quod ei curæ non ſit ſive in renibus lapis fiat, ſive non, πρὸ οὐρήσεως, ſive non: tantum

In com. illius particulæ.

(*r*) Collectionis.
(*s*) Collectionem.
(*t*) Poſt mictionem, ante mictionem.
(*u*) Ante mictionem.

tantum de pueris ſollicitus eſſe videtur. Sed Galenus *in comment.* Arnal. Villanovanus ac plerique alii ex hac Hippocratis ſententia, conſecutione quadam, colligunt in viris lithiaſin renum propriam eſſe, idque ante mictum, in pueris, ipſius veſicæ, idque poſt mictum.

Ac conjectura noſtra non parum probabilis videtur, nimirum quod Hippocrates quæſierit an quod calidiores? quum videret colluviem magnam humorum eſſe in pueris, ut hæc per ſe calculorum parens foret: vel quod, ſi calor primarius auctor coagmentationis eſſet, idem quoque de aliis ætatibus, præſertim de juvenibus & florentibus ætate, judicium eſſet: maxime vero de juvenibus. In his enim calidum abſolute dicitur, & calore naturali calidius: itaque major coalitus occaſio. An vero ita certo ſtatuendus ſit primarius lithiaſeos opifex calor, verbo uno explicemus. Quicquid ejuſmodi eſt ut in materiam æqualitatem aliquam inducat, quæ ad coagmentationem (quam lævitas quædam præcedit & adjuvat) conducere queat, præterea quod a materia partes tenues elicere ac educere poteſt, id generando calculo accommodatum eſt, at calor etiam mediocris eſſe poteſt, ut ea ratione generator calculorum cenſeatur. Huic rei auctoritas primum Galeni ſuffragatur: *urinarum craſſitudo creandorum calculorum prima ac potiſſima cauſa eſt. Caliditas etiam mediocris ad ſpiſſandam materiam ſufficit: nam & in ſponte aquis calidis, etſi moderatis tepidiores ſint, tophi concreſcunt.* Ideo Hippocrates dubitavit an compactionis cauſa calor eſſet qui in pueris uberrimus eſt. Sed ut concedamus calorem vim efficiendi habere, tamen copia materiei in veſica reſidis videretur ipſa ſufficere, ut in ſeſe coiret ac cogeretur ſua viſcoſitate, nullo calore concurrente: frigus enim, ut & calor cogit. Sic a ſua frigiditate occaſionem coagmentandi ſponte materies mendicaret. Et niſi nos aliter doceret Galenus, exiſtimaremus illud μετ' οὔρησιν audiendum eſſe, poſt effluxum urinæ a veſica. Nam quum retinetur adhuc in veſica urina, potius a liquore urinæ craſſa diluitur materia quam cogitur: Et virorum renibus ſi adeſt etiam urina, arenulas diluit atque educit: niſi dicas παραφραστικῶς τὸ μετ' οὔρησιν (x) ſignificare propriam in veſica lithiaſin, τὸ δὲ πρὸ οὐρήσεως, lithiaſin in renibus.

Sed itane facile cogitur lapis? Non placet quibuſdam. Credunt a mediocri calore diutius aſſari, coquique materiam ut compingatur, a validiori brevius, ut idem fiat. Sed tribus modis fit. Uno per obſtructionem potius, ut quum calloſa ſubſtantia in ſenibus fit, ut Galeno placuit: patet enim cur in iis excrementa ſcateant: nec paupertas ea eſt caloris quam ante diximus Galenum male comminiſci. Secundo, per coctionem: ac tunc multus analogus calor requiritur: exſuccus humor redditur, aſſatur, ac tunc propria eſt lithiaſis: ſic quibus alvus æſtuat, in iis lapidum proventus exſiſtit. Tertius modus ex proxime dictis cernitur, quum demonſtratum ſit in pueris materiam crudam calculi cauſam eſſe, ac ſi materia ipſa in ſe conglobata, ac coiens, minimo calore requiſito, indureſcat: magna generationis facilitas, quum materia præſto fuerit: immo minimo fere

Galen. in com. illius particulæ.

Comm. ad part. 15. ſect. 3. l. 6. Epid.

Ante adduximus opinionem auctoris libelli de renum affectibus. Ea vero eſt. Materia craſſa fere ex ſe calculus eſt, etiamſi tepidiuſculus calor concurrat. Non ſic de tenui. Itaque cum puerorū corpus colluvie humorum abundet, ſuo ipſa materia nutu fere coagmentatur. Eſt enim craſſa. Idem dici poteſt de ſenibus, de quibus jam ante, ut loci concilientur.

(x) Paraphraſticè poſt mictionem.

Ad part. 15. ſect. 3. lib. 6. Epid. fere tempore coagmentatio fit: quod Galeni auctoritas corroborat: *Craſſities*, ait, *urinarum in unum coiens, idque in veſica* (de hoc enim loco loquitur) *quum ſemel aliquando non apto tempore excreta, intus diutius remanſerit, concreſcendi initium capit, & principio facto facile quicquid craſſi in veſicam fluxerit priori agglutinatur, ut ſponte natis aquis cernitur, & in vaſis, in quibus aqua quotidie caleſit.* Quo ex loco facilitas generationis & incrementi facile apparet. Sic non videtur requiri calor tantus qui requiri ſolet ad lithiaſin, non diatheſis a parentibus ducta, verum ignorantiæ eorum aſylum, qui cauſas rerum longius accerſunt. Quis enim dubitat uſu caſei primo quoque tempore non gigni poſſe lapidem? Sputorum craſſitudo prompte adveniens id declarat.

Redeamus ad noſtrum calorem. Is, ſi naturalis, coquit, unit, ad æqualitatem ducit, incraſſat: coctio incraſſando fit, craſſities æqualitatem inducit, partibus ſeparatis: & licet in ultima coctione aliquid coctione ſeipſo tenuius reddatur, æqualius tamen eſt, & unitum magis: & in hoc vera craſſitiei ratio cernitur. Si calor naturalis id facit, maxime calculum cogit, hac præſertim vi, quia adæquat, & incraſſat: quod & placet Galeno. Craſſam materiam in pueris tenuiorem eſſe, quod magis ab inſito calido elaborata ſit, rationi quadrat: nam quæcumque a calore coquendo mutantur, ea lentorem induunt, licet initio non habuerint. Niſi objiciatur aliud Galeni dictum, quum docet cur in rene pueri lapidem non habeant. *Pueri*, ait, *in rene calculos non generant, nam humorum craſſitudo funditur liquaturque, quod facultates validas habeant: Et quum pueris multus calor ſit inſitus, & actiones firmæ, materia attenuata ad renes fertur, facileque in veſicam percolatur.* Hinc collige calorem naturalem fundere, liquare nedum cogere ac conglutinare. Et *in eodem comment.* agnovit coagmentationem materiæ in puerorum corpore redundantis a frigiditate veſicæ fieri. Si itaque frigiditas cogit, compingit eam materiam quam calor fudit, ſi contra calor liquat, cur coactionis auctor cenſetur? Pugnant enim hæc inter ſe. Sed ad unguem non ſunt exquirenda Galeni verba. Nam quod ad facultatis robur in pueris confugit, & calorem fundere aſſerit, id eo fecit conſilio ut evertat eorum opinionem qui cauſam generationis lapidum in pueris meatuum anguſtiam aſſeverabant: hæc ſi cauſa eſſet, non in veſica, ſed in rene potius lapis cogeretur; immo ab aliis ætatibus concretionis cauſam meatuum anguſtiam removet, cruditatemque & imbecillitatem cauſatur: in pueris autem quum non ſit ea imbecillitas, mirum ne ſit cur in rene lapis non fiat. Immo quod ad veſicam uſque pellatur materies, id vim naturæ arguit, & ad compingendam eam materiam facit ipſius veſicæ frigiditas. Ac primo per comparationem cum viris facultates in pueris potentes dicuntur: nec omnino calor fundere ac attenuare cenſendus eſt: nam ſi digeſtionis modo agit, liquat, fundit, attenuat: ſi coctionis modo, craſſefacit. Sic alias intelliges calorem æqualitatem & craſſitiem inducere, utpote dum coquit: alias fundere ac liquare, dum per comparationem cum aliis ætatibus (in quibus nec tantæ vires, nec calor tantus) digerendi partes tenet: & ſi veſicæ frigiditas coagmentationem juvare dicatur quod non excludit caloris munia coquendo ac incraſſando. Nam ex eventu frigiditas

2. de temperamentis.

cogit,

cogit, præſertim ſi adſit magna capacitas, in qua materia diu ſit reſes quod Galeno videtur (nec enim ea poteſt eſſe in corpore frigiditas, quæ aliquid cogere ac coagmentare poſſit.) Calor per ſe agit, dum ὁμογενῆ (y) congregat. Et licet materia ſit attenuata, ut ei per renes aditus pateat, non hinc efficias tamen quin diutius circum eam materiam verſando eam compingat: nec in lapidem converteret, ſi ea ad nutritionem abuti poſſet: quum verò ſit excrementum, dum diutius ſubigitur, lapideſcit. Ex quibus efficitur, calorem naturalem, blandum, ac halituoſum concretionis auctorem eſſe: quod ratione confirmatum eſt: experientia vero eſt de aquis, in quibus tepidiuſculis lapides generantur. Quod verba Galeni confirmant, *ſi ex ſola pituita craſſa & viſcida ſubſidentia facta ſit, color cinereus erit, aliorum tophorum colori ſimilis qui in aquis ſponte calidis, multis in regionibus, lapidibus adnaſci adcreſcereque ſolent.* Nec eſt quod quis dicat eos tophos generari in aquis calidiſſimis: quum meminerit Galenus conceptis verbis, aquarum quæ moderatis tepidiores ſunt. Quod de induſtria factum, ne credas exceſſum caloris requiri.

Ad part. 6. ſect. 1. lib. 6. Epid.

Hujus rei demonſtratio manifeſtius apparet ex 1. Cap. lib. de renum affectibus, ſive nothus ſit liber, ſive non, ſed locus commemorabilis eſt. 6. Epid.

Atque ut noſtra terminetur oratio, nec eorum omnino placet opinio, qui calorem acrem calculorum parentem agnoſcunt, nec qui ſolum calorem naturalem conſtituunt: * alias enim calor acer auctor eſt, ut in iis quos θερμοκοιλίους (z) vocat Hippocrates: alias blandus, iſque longiore tempore id facit, & coquendi modo, quum potius digerendo acer mordaxque agat: alias materia ipſa multitudine ſua, & lentore, parum habita caloris ratione, primas partes tenet: nam pauco præſente calore, ut ſenibus evenit, materies iſta calloſa fit, immo per ſe veluti tophoſum eſt quid: ſiquidem eſt ſedimentum multum, eſt & glutinum, nempe pituita; quod placet Hippocrati. Hoc autem glutinum eas habet vires, ut pauco etiamnum calore præſente materiam divulſam compingat: paucus autem calor longiore tempore id facit, quod breviore multus. Hinc patet errandi occaſionem hac maxime ex opinione fluxiſſe, quod crediderint calorem acrem calculos generare, unde renum regioni refrigerantia ſæpe adhibentur. Quin etiam multis denſa eſt caro lumborum, & calor paucus diffla-tione prohibitus vires in renibus acquirit, numquid tunc refrigerantium uſus conferet? Item in pituitoſis obeſiſque quum lapides fiunt, (quod non tam ſæpe fit quam in bilioſis, licet Arnaldus Villanovanus aliter ſenſerit) non credibile iſtius acris caloris proventum eſſe. Sed numquid etiam febrilis calor calculos promoveat? In apoplexia & tetano calor febrilis coquit, digerit, evacuat, frigus cogit, immo æqualitatem quamdam inducit: & coryzæ cum febre non diutius ſunt, quia ait Galenus, πυρετὸς ἐπιγενόμενος ταῖς κορύζαις βεβαιοτέραν αὐτῶν ποιεῖ τὴν πέψιν (a): ſic calor febrilis diſſipat, non cogit ac compingit: quod tamen verum non eſt. Nam ſi coquit, ex eventu tenuiorem partem eliciens, concretionis occaſionem prætexit. Ita cenſuit Galenus citra calorem non poſſe corpus ullum in

* *Lib. de alimentorum facultatibus dum loquitur de pane lauto. Gal. calorem acrem renum maxime auctorem calculi facit. Hipp. 4. de morbis. Medendi ratio hinc peteretur. Part. 10. ſect. 3. lib. 6. Epid.*

Gal. cap. ult. lib. 9. meth.

(y) Homogenea.
(z) Ventre calidos.
(a) Febris ſuperveniens gravedini validiorem facit concoctionem.

halitum digeri, manente ſubſtantia compacta, nec tamen vi caloris corpus omne digeri poſſe, ſed quod eam propenſionem habet, ut eſt corpus humidum. Quod ſi non multum contumax materia, eam hercules attenuabit, ac digeret, alioqui hoc intendet ut tenuiorem educat partem: ſi id ſit, craſſamentum quod remanet lapidem ponit. Præterea aliud eſt materiam in venoſo aut nervoſo genere contineri, aliud in capacitate aliqua & anguſtiis. Nam priore modo, ut in apoplexia, quia coactus humor non eſt, digeri non poteſt, ut nulla fæx commemorabilis remaneat. Si poſteriore modo, id eſt, ſi in vacuo continetur, & in ventre; dum conglobatur, & in ſeſe undique coit, facile concreſcit: id declarant in arthriticis tophi: nam quamdiu humor in venis eſt, vagatur, quum vaſis elapſus eſt, in acetabulum concreſcit ac lapideſcit.

Arguitur Fernelius. Gal. c. 5. l. 1. loc. aff. diſputans de his aff. qui his aut illis part. contingunt, ait ſuffuſione ſolis oculis contingere. Et lapidem ſolis renibus ac veſicæ. Quamquam ex quorumdam opinione narrat quibuſdam in ſolo inteſtino calculum concreviſſe. Auctor libri de renum affectib. explicans cauſam lapidis efficientem ſcribit craſſam materiam ſufficere ad coagmentationem ſui, etiamſi moderatus ſit & tepidus calor, ſi tenuis materia eſt, calor vehementior requiritur, ſive ſit naturalis, ſi-

Reliqua jam perſequamur, an videlicet omne rudimentum calculi a renibus & in renibus eſt, quinam magis obnoxii calculo, & cur potius ren in viris calculo obſideatur, in pueris veſica. Ac in rene tantum non cogi lapidem teſtatur experientia, quum nulla non in corporis parte fere generentur: nam & in corde & in cyſti, & in hepate, & in pulmone deprehenſus eſt aliquando. In ea vero maxime parte cogi poteſt, ubi capacitas eſt aliqua, quum hæc ad coagmentationem magni ſit momenti, Galeno auctore. Sed an rudimentum omne in renibus, ejus præſertim lapidis, qui a veſica tandem detrahitur, inquiramus. Qui hanc opinionem induxit primus fuit Fernelius: etſi is agnovit in cyſti fellis, in venis, immo & in pleriſque aliis partibus calculum cogi, cur a renibus primum coagmentationis initium repetivit? Ea de re dicet, nullus Veterum ſtatuit, quod nullus credidiſſet futuros olim qui adeo præjudicatæ ſuæ ſententiæ inniterentur, ut contra omnem rationem primo ac per ſe lapidem in veſica cogi poſſe inficiarentur; quod ſi præſenſiſſent firmis id, ut cetera ſolent, rationibus ſtabiliviſſent. Ac probarunt quidem, ſive materiam ſpectes, ſive locum, ſive efficientem cauſam in veſica generari poſſe, aut cogi potius; ſed an rudimentum a veſica eſſet, an a rene non ſtatuerunt. Quis putaſſet fore quoſdam qui in veſica primo confici lapidem negarent? Si in aliis partibus fit primo, cur non in veſica? Cur rudimentum a rene mendicatur? Immo probabilius eſt in veſica fieri: nam eſt excrementorum ſentina, mucoſa materia in eam influit idonea calculi materia, ea frigidior eſt ſæpe caloris vim effugiens. Quis dubitat eam non facile in calculum obdureſcere? Primum itaque materies in veſica adeſt & quum mucoſa ſit, in loco capaci omnium facillime induratur, & ex minimo principio per acceſſionem novæ materiei in molem accreſcit: Locus præterea calidus, calidis partibus circumdatus, ratione ſuæ ſubſtantiæ, id eſt corporis veſicæ, frigidus. At ad veram coagmentationem, ut ad duritiem in lateribus, caloris & frigoris conſpirationem omnino conferre, veterum auctoritas probavit: unde lapidum ſubſtantia (ait Galenus) conſtans eſt ac ſtabilis propter frigus & ſiccitatem: ſic & materiæ ipſius frigiditas, & aliquantula veſicæ ipſius ob naturam ſpermaticam frigoris vis * plurimum ad lapidem confert. De renibus autem dubitatur, quum in renum calidiſſimis tantum cogi lapides pleriſque probetur. Præterea ſi in veſica.

veſica facile fit tenuioris ſubſtantiæ diſſipatio, ſi excretio fit liquidioris partis, & fæx remanet, cur non primo quoque tempore rudimentum lapidis adeſſe neceſſe eſt? Quamquam ante docuimus ex veterum opinione in rene potius cogi calculum per modum digeſtionis, in veſica vero per modum coctionis, quaſi in renum calculo vis potius efficientis cauſæ; in veſicæ lapide vis materialis reluceat. Coctionem voco elaborationem & incraſſationem; ut quum diutius urina retinetur, & natura non oriatur. At dicet, fæx illa reſidens a liquore facile diluitur, diſtringitur, & per os veſicæ, quod amplum Galeno, excluditur: ita coctionis occaſio abeſt. Si hoc verum cur in aquis, quas αὐτοφυεῖς (*b*) dicimus, lapides concreſcunt; cur materiam eorum aqua non diluit? Si arenula a rene deturbata augetur, & id quod apponitur vere eſt lapis, ſi omnes conditiones lapidis ſpectes, immo quid eſt durius quam quod in rene & a rene eſt, cur non primo & per ſe in veſica cogetur? Eadem enim ratio principii & incrementi videtur. Siquidem ſi materia & calor in veſica ſufficit ad augendum, arenulaſque in ingentem lapidem compingendas, cur non & ad generandum abunde erit? In articulis pituita lapideſcit, nullo a renibus principio repetito; & in veſica idem non fiet, quum & materiæ, & loci, & cauſæ efficientis opportunitas adſit? urinæ grumoſæ, paucæ, confuſæ, in veſica retentæ, exiguum quoddam rudimentum non dabunt, & ab hoc auctius non erit quoddam corpus lapidoſum? Niſi dicat, ſi ita grumoſæ, craſſæ, non tranſmittent renes, in iis reſidebunt, ſtranguriam parient, lapidem producent, maxime in renibus puerorum, in quibus omnia non patent, ut in viris. Huic ſententiæ Galeni conſentit quidem, dum ait: Non abs re craſſæ urinæ & paucæ vix renes tranſibunt; tamen ita explicari poteſt. Jam demonſtratum eſt puerorum actiones & facultates validas eſſe, calorem validum qui humores fundat ac tenuet, ſic meabilem per renes faciat, exitus celeritatem afferat, ſi verum id eſt, credibilius in pueris facile permeare urinas illas quam in aliis. Præterea docuimus ante Galenum, non iis aſſentiri qui anguſtiam meatuum concretionis in renibus & puerorum, & adultiorum cauſam conſtituunt: itaque quantumvis craſſæ, permeabunt tamen. Quod attinet ad illud craſſamentum quod quis cauſam coactionis in renibus puerorum afferat, Galenus illud corpori veſicæ frigido attribuit: itaque ne is rei veritate motus fateretur colluviem iſtam in renibus remanere anguſtiam ratione ætatis habentibus, duo aſſerit, & vi caloris craſſitiem tolli humoribus attenuatis, & nullam anguſtiam eſſe quæ hoc efficiat. Quod an verum ſit videto.

Sed ne, indicta cauſa, Fernelium virum alioqui arte medendi clariſſimum condemnemus, ejus verba in medium adducta ad unguem exquiremus. *Cauſam calculi*, ait ille, *tradunt omnes craſſum ac frigidum ſuccum, qui cum urina per venas in veſicæ capacitatem inſluit, in qua tamquam fæx ſubſidens loci calore arefactus ſenſim lapideſcit. At vero quid limum iſtum, (niſi forte anguſta veſicæ cervix) tamdiu poſſit remorari non video, quum & ſanguinis grumus, & pus, & alia multa craſſiora facile illinc profluant cum urina.*

ve non: nam calor partes materiæ tenues diſcutit, & ſi tunc validior fuerit calculum fingit. Cap. ult. l. 9. Method. Tamen auct. lib. de renum aff. ait in viventibus a ſolo calore eſſe concretionem. Nec enim tantum frigus eſſe poteſt, dum vita fruimur, ut à frigore concretio fiat. Quod verum eſt ſi quis exiſtimet frigus vim cauſæ efficientis habere per ſe. Nam calor vere eſt opifex, & frigus ex eventu. Ad part. 15. ſect. 3. lib. 6. Epid.

Ad aph. 69. lib. 4.

(*b*) Sponte naſcentes, minerales.

urina. Contra vero comperi omne calculum in veſica concluſum, quoddam rudimentum e renibus traxiſſe, e quibus per nephriticos dolores excidens, ſi grandiuſculus, in veſica plerumque perſiſtit, illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, dum confectus lapis fiat. Et quicumque lapide veſicæ laborarunt, ii prius nephriticos dolores experti ſunt: & quoſcumque calculos obtrivi, in eorum medio nucleus repertus eſt, verum rudimentum e renibus exturbatum. Sed hæc leviora ſunt quæ a tanto Philoſopho profecta dicantur, quæque veterem de calculo in veſica primum coacto opinionem labefactent. Sed alia his opponenda ſunt, ut facta utrimque contentione veritas eluceat. Tria ejus ſunt argumenta: ut primum rudimentum a rene eſſe conficiat, nullumque lapidem primum in veſica concreſcere concludat. Primum eſt: Nil videtur remorari craſſum frigidumque ſuccum calculi parentem, ut in veſica prima concretio fiat: prima itaque concretio a rene eſt: quod autem non moretur materia in veſica, ſed facile tranſeat, hac conjectura probat, minimo negotio grumus & pus a veſica effluit, idem quoque illi viſcido craſſoque humori contingit: egregium vero argumentum. Pus & grumus a veſica excernitur facile, ergo humor ille glutinoſus; ſi itaque lapis cogatur ibi, rudimentum oportet a rene mendicari. Si enim tam facilis a veſica exitus, cur nucleus a rene deturbatus per dolores nephriticos (quo tempore facultates omnes in unum nituntur) in veſica moratur? Nam & cervix veſicæ patet, te auctore, & maxime in pueris, & non minus natura nititur excutere arenulas, quam pus & grumum ſanguinis: ſic ſuo ſe confodit gladio Fernelius. Secunda ejus ratio hæc eſt: Ideo non moratur humor in veſica, quia eum, ut & alia craſſa probabile ſit excerni. Eodem modo nec humor in renibus retinebitur, & non cogetur. Immo quum renum lapis potius per adhæſum arenularum fiat, quæ non tam contumaces ſunt ad deturbandum, quam grandinoſum corpuſculum quod in veſica lapidis initium eſt, cur non quotidie exeunt a renibus arenæ, quum ab iis pus & grumus quotidie excernatur? Non enim potior eſt ratio cur humor viſcoſus moram non trahat in veſica, is autem in renibus ſubſiſtat & lapideſcat: aut ſi in veſica non ſit probabile humorem morari, quod grumus & pus excernatur, ſi verum quoque eſt a renibus multo ſæpius, & per renes pus, & grumoſa corpora effluere, cur non pari modo facile arenæ deſcendent, & ſic calculi occaſio tollatur? Tertia ratio differetur.

Ac quod capilli, carunculæ, grumi, pus a renibus, etiam facile excernantur, vel *quartus aphor. lib.* plenus eſt: teſtatur eorum hiſtoria qui fabis & orobo diu uſi eſſent: teſtantur & carunculæ, quum hypoſtaſes orobo ſimiles videntur: quod & in febribus evenit, in quibus craſſus ſanguis in hepate aut renibus exuritur. Sic grumus, pus, & corpora aduſta a renibus deturbantur: ergo ſi calculus in iis cogitur, eodem modo aliunde repetendum lapidis rudimentum, quo & in veſica: idem enim de renibus & veſica judicium eſt: niſi dicat arenulas a rene non ita ſæpe deſcendere, quod adſit glutinum quoddam quo conjunctio fit. Cur non idem glutinum in veſica erit? Immo in ea magis cernitur, quod in ea undique excrementa confluant. Renes corporis colluviem recipiunt,

ſed

ſed utrorumque veſica, immo & ſuum habet proprium excrementum glutinoſum & tenax. Et quum ſpermatica ſit pars & frigida, dum nititur in ſuam naturam id quo voluptuatur convertere, id quod retinetur lentum & viſcidum redditur. Si ventriculus generis ſimilitudine veſicæ analogus etiam ex laudabili cibo videtur minimum ob errorem pituitam multam acervare, veſica ex iis quæ a natura ut aliena pelluntur, excrementum non cumulabit? At anguſtia renum id præſtabit, dicet. Si verum id eſſet, tam craſſa & glutinoſa a renibus, & per renes non delaberentur, quæ paullo ante expoſuimus. Si præterea quia pus & grumus a veſica facile pellitur, fæx quoque pelletur, tolleturque occaſio generandi per ſe lapidis, eodem modo convinceretur de pulmone, quod in eo lapilli grandinis inſtar non cogi queant: & tamen id in pulmone fieri fatetur. Pulmo facile pus & grumos ſanguinis extundit, ſequitur ut grandinis materiam non retineat. Sed ita reſpondendum Fernelio. Et pus, & grumus, & carnes, & ſimilia a veſica excludi poſſunt, & tamen alias glutinoſus humor expellitur, alias non: prout enim veſica affecta eſt, ita excluſionis major minorve eſt facilitas. Sic etiam aliquando & pus, & grumus, & ſimilia ſubſiſtunt, aliquando expelluntur. Unde Galenus docet ſæpe ſupprimi urinam a grumo ſanguinis a rene manantis & in veſica concreſcentis, & a carunculis, undelibet adventarint. Eodem modo non eſt neceſſe limum iſtum aut ſupprimi aut expelli, quovis modo affectum ſit os veſicæ. Accedit, quod fieri poſſit ut puri & grumo facilis exitus ſit, non propterea tamen fæci limo reſidi in veſica: etſi enim omnia hæc præter naturam ſint, aliter tamen atque aliter affecta ſunt, quoniam pus & grumus majores ſæpe moleſtias infert quam pituita, niſi ea forte a natura valde aliena fuerit, ideo natura magis de illis expellendis, quam de hoc cogitat. Sic grumus ut moleſtus pellitur, aliud excrementum remoratur. Immo pus craſſius ipſa pituita, ut irritans facultatem, ocyus exigitur foras. Unde minima particula humoris acriuſculi in veſicam illapſa ſtranguria ſtatim excitatur, quum alioqui ingens pituitæ acervus in veſica impune maneat. Itaque natura ad id quod irritat excutiendum incitatur, atque eo magis ſi id quod in ea parte redundat qualitate aliqua præditum ſit, quæ ſit velut calcar & ſtimulus; at humore mucoſo veſica ipſa voluptuatur.

Cap. 1. lib. 2. loc. aff.

Quod attinet ad nephriticos dolores, quos ait neceſſario præceſſiſſe lithiaſin veſicæ (quamquam λιθιάσεως (c) nomen proprie ad calculum in veſica refertur) ſi revera ita eſſet, magnam vim haberet ad confirmandam opinionem de neceſſaria nuclei cujuſdam deturbatione e renibus in veſicam. Sed quot pueris lapis extractus eſt, qui nil umquam in renibus ſe ſenſiſſe narrarint (nam de iis ſermo eſt quorum infantia pro excuſatione afferri non poteſt) quum tamen ſigna aliquot ipſi & incipientis lapidis, & jam grandeſcentis demonſtrarint? Et ut pleriſque in veſica repertus lapis, quibus ſani renes mortuis deprehenſi ſunt, ita in renibus lapidicina reperta eſt, quum in veſica nil lapidoſum eſſet: quamquam

(c) Lapidoſæ concretionis.

hæc omnino non convincunt: tamen ſi omne rudimentum eſſet a rene, vix laboraret quis lapide in veſica, quin renes lapidoſi forent. Et quod aſſeverat omni lapidoſo nephritin præceſſiſſe, id fidem majoris experientiæ requirit. Ac de viris, quibus renes facile calculo obſidentur, conſtat magnam eſſe eorum ad nephriticos dolores propenſionem: de pueris autem non ita certum eſſe poteſt. Necdum obſervatum eſſe comperimus an pueri nephritica paſſi ſint, quod tamen verum eſſet, ſi illud argumentum Fernelii conſtare oportet, quum lithiaſis propria puerorum affectio ſit. An vero poſſent effugere dolorem nephriticum ſi deturbatur a rene rudimentum? Itaque negare oportet Fernelio iſtam experientiam de nephriticis doloribus. Quod enim idem de pueris conficere poſſet, ac de viris, illud falſum eſt, quum jam ſit probatum viris potius in rene cogi lapidem.

Examen vero illud de corpuſculo illo nucleum referente, quod in lapidis medio reperitur, in hunc uſque locum diſtulimus. *Quotquot lapides obtrivimus*, ait, *in eorum medio nucleum reperimus.* Sed hoc an verum ſit, dubium eſſe poteſt: in quibus a rene principium eſt, veriſimile id quidem, utpote in viris: eſt enim in medio aliquid cineritium, alius coloris quam id quod adhæſu ſuo lapidem auxit: ſic ſuperficies non a rene, medium non a veſica eſſe videtur, ſed contra. At non ubique iſta coloris varietas cernitur, ut illud argumentum, quamvis e medio ſumptum ſit, jejunius eſſe cenſeatur. Immo etiam in vetulis lapides vidimus, quorum involucrum grandinoſum erat, albicans, durum, lapidoſum: aliquando colore fuſcum, an non hæc a rene ſunt? Nequaquam. Immo etiam, Fernelio teſte, illud quod accreſcit a veſica eſt: & tamen eſt veluti grando, fuſcum eſt & cineritium colore, durum. Si tale quid apponitur, & a veſica eſt, nonne idem poteſt nondum exſiſtentis lapidis principium eſſe, & a veſica eſſe? Quibus enim corpus bilioſum eſt, & æſtuans, iis in veſica cogitur lapis ardore veſicæ & totius corporis, ut ante ex Hippocrate dictum eſt, & idem Galenus verum eſſe aſſeverat. Reſpondeat Fernelius iis: Si crementi lapidis cauſa in veſica eſt, cur non & principii? Si urinæ craſſæ ſunt, & ſemel non apto tempore redduntur, coactio fit in veſica, ait Galenus. Sed & id unum Fernelii errorem detegit: In lapide quod ſubrubrum, a rene demiſſum quid indicat: erroneum illud plane: nam in febribus, præſertim quum multa eſt colluvies & cruditas, & natura poſt mitificationem excretionem molitur, in urina eſt confuſio, & fæx non aſſimilis ſanguini aut fæci ſanguinis: numquid remoratum in veſica coagmentationis principium erit, præſertim ſi calor adſit, & illud quod in medio erit rubicundum apparebit? Ita hercle. Sic falſo color iſte rei mediæ convincit primam in rene conglutinationem factam eſſe. Satius eſt itaque ſtatuere colorem calculi, quæcumque ejus pars accipiatur, non indicare locum in quo, aut a quo, ſed materiam ipſam: nam & in rene albicans materia concreſcit, veterem colorem aſſervans, & in veſica rubeus, & fæci ſanguinis haud abſimilis. Quamquam non negamus & arenulas a renibus eſſe, & ruborem iſtum aliquando ab iiſdem dependere.

2. de nat. hum.

Notandus locus.

Aliquis

Aliquis præterea quærat, ſi per ſe & primo lapidem veſica cogit, an neceſſarius arenularum concurſus? & ſi ita eſt, an a rene ſunt, an etiam a veſica eſſe poſſunt? Putat quidam non oriri lapidem ſine arenulis, contra arenulas eſſe poſſe, nullo aut lapide præeunte, aut ſequente. Quamquam Galenus ait, *ut ramentum ulceris ſignum eſt, ita & fabuloſæ urinæ lapidis ſunt argumentum. Et quibus multæ excernuntur arenæ, iis coagmentationis occaſio tollitur.* Revera arenularum creatio renibus tribuenda eſt, ſi Galeno creditur. Auctor *lib. 2. de nat. hum.* arenularum generationem ad calorem magnæ venæ retulit: quod quamquam obſcure dictum κατὰ τὸν συνεκδοχὸν (*d*) renum regio intelligitur, politico loquendi modo, nam quibus magna vena ardet, iis lumborum æſtus eſt, quod vulgus renes ardere dicit. Tamen ſi ad veſicam uſque urina, fæci ſanguinis hypoſtaſin ſimilem habens, defluet, quid erit abſurdum ſi dicamus particulas iſtas hypoſtaſeos ſubrubræ in arenulas converti poſſe? Nam & grandinoſa corpuſcula in veſica cogi poſſunt; & ſi eorum materia rubet, ſubrubra ſunt: hoc autem arenulentum eſt. Diximus ſiquidem colorem non locum in quo & a quo, ſed materiam cogi aptam indicare. Sed diſtinctionis gratia, arenuloſas urinas, renales dicamus, & proprias eorum quibus lumbi & venæ ardent, fabuloſas autem, veſicæ proprias: utpote quum craſſæ, fæculentæ, hypoſtaſin ſubrubram habentes urinæ in veſicæ fundo diu delituerint.

Sed omnium difficillimum eſt ad explicandum, cur in viro ren potius calculo occupetur, dolorque eum nephriticus vexet, puer autem calculo in veſica potius laboret. Aniles & futiles ea de re ſunt quorumdam neotericorum opiniones: ſtatuunt enim anguſtiam meatuum, cauſam calculi in virorum renibus, quæ quum in pueris tanta non ſit, quæ materia in illorum renibus reſiſtit ac moratur, eadem in horum veſicam delabitur: Galenus ad imbecillitatem confugit, quam in viris majorem eſſe credit quam in pueris: ideoque natura non ſatis poteſt ad deturbandum ad veſicam uſque materiam: at non eſt veriſimile hoc; in viris enim & adultis, quos τοὺς τελείους (*e*) vocat Galenus, vix ſit credibile adeo imbecillem eſſe naturam, ut perducere ad veſicam uſque non poſſit materiam, quæ alioqui in veſica puerorum coagmentatur. Cur id potius in pueris fiat, quum inſtrumentorum mollities ſit, congeries multa humorum & cruditas, quam vix natura eo provehat? Si id poteſt, cur non foras cum urina ſedimentum pellit, quum amplam eſſe veſicæ cervicem Galenus fateatur? Immo ſi puerorum diſpoſitiones idem Galenus vult celerrime alterari ob corporis humiditatem, & nativæ potentiæ infirmitatem, fictitia eſſe videtur opinio de robore actionum in pueris, & earum imbecillitate in viris, καὶ τοῖς τελείοις (*f*). Sit ita, coquendi facultas vigeat, quia calor multus, expellendi tamen vis, quam ſiccitas quædam juvat, deficit, aut potius multo inferior eſt priore; at deducere ad veſicam uſque in pueris, quod alioqui

Cap. 5. lib. 1. loc. aff.

Part. 18.

In hanc ſententiam Auctor l. de renum affect. ſcribit, ſi ægre ſolvitur quod in renis cavitatem ſubit, ad id quoque aliud ex cava vena immiſſum colligitur & adhæreſcit. Et veriſimile eſt primas arenulas in magnis iſtis venis generari, aut a bile aſſata aut ab alio humore in arenulam converti promto. Unde bilioſis & quibus calor ſiccus & ſqualens, nec non æſtuant venæ, urinæ ſunt arenulentæ: & vitri parietes ſabulo velut ſunt incruſtati.

(*d*) Per ſynecdochen.
(*e*) Perfectos.
(*f*) Et perfectis.

alioqui ob infirmitatem in viris remoratur circum renum cavitates, facultatis expellentis ἐνέργειαν (g) significat. Niſi forte dixerimus, ut dictum Galeni fuſius explicetur, depulſionem hanc non tam opus eſſe facultatis expellentis, quam caloris naturalis vegetioris. Is enim fundit atque liquat, & humor diffuſus eo uſque pellitur, donec ſentiat appulſum corporis frigidiuſculi, hoc autem veſica eſt. At in perfectis jam viris is calor non eſt, unde non diffunditur humor, nec ad veſicam pervenit: immo in pueris materia mollior eſt, in viris ſqualet & aret. Niſi forte etiam Galenum ſuo ſe marte oppugnare dicamus; adduximus enim ante locum quo Galenus cenſet calorem nativum glutinoſam materiam cogere ac condenſare, & ad æqualitatem reducere; idque maxime quia tenuiores elicit partes. Si id verum in pueris coget aut in renibus, aut in longinquioribus partibus, non autem liquabit atque diſſolvet.

Quicquid tamen ſit, placet Galeno pueris in veſica lapidem cogi, in renibus virorum calculum: ita enim πρὸ οὐρήσεως καὶ μετ' οὔρησιν (h) interpretatur: quod pluribus non perſequendum. Et ex verbis Galeni colligimus, ſi lac ad lapidem non faceret, ſi tam craſſæ in pueris urinæ non forent, ſi tanta non eſſet edacitas, conſtante facultatum robore, & vegeto nativo calore, cervice patente, nullus calculorum in pueris eſſet proventus, in eoque vis apparet, quod natura non ceſſat pellere, donec ad veſicam perveniatur: victa tamen materiei mole, craſſitie, edacitatis incommodis, adjuvante veſicæ frigore, facilis in ea conglomeratio fit. Quod ad calorem ſpectat, idem ſi fuſionis ac diſſolutionis cauſa per ſe eſſe poteſt, coagmentationis occaſio ex eventu ſtatuetur.

Cap. 5. lib. 1. de alimen. facul.

Quod autem unam ex cauſis facilis coagmentationis meatuum anguſtiam Galenus ante negaverit, id ſicce pertranſeundum non eſt, conceptis tamen verbis id ſtatuit: & longe aliter alias docuit, ait enim: *Quum crudus humor lentorem ſumſit, & quibuſdam tranſitus per renes anguſti ſunt, ibi quod craſſum eſt, & maxime lentum, diutius moratur,* πῶρον (i) *promte gignit, cujuſmodi in vaſis in quibus aqua fit & accreſcit. Confert & ad id maxime renum temperamentum, quum etiam calor acris fuerit, atque veluti igneus.* Cur ergo anguſtiam iſtam rejicit? Non ea eſt mens auctoris, ut neget omnino anguſtiam meatuum ad concretionem facere, ſed evertit eorum opinionem qui ideo crederent potius in renibus virorum cogi calculum, quam in puerorum, quod illorum renes anguſtiores eſſent, quam horum. Sunt quoque & ſatis in pueris pleriſque renum anguſti meatus. Accedit & illud: Inter homines ii calculoſi fiunt qui abundant calore acri, qui bilioſi, qui θερμοκοίλιοι (k), quod calor majorem alimenti partem corrumpat, utpote febrilis, & cruditas quæ hinc naſcitur, (quamquam non tam in iis humores dicuntur ὠμοὶ (l) quam ἄπεπτοι; ὠμότης (m) autem καὶ τὸ ἄπεπτον (n) diſtinguitur): at in talibus corporibus venæ patent; Et

(g) Energiam.
(h) Ante mictionem & poſt mictionem.
(i) Callum.
(k) Ventre calidi.
(l) Crudi.
(m) Incoctiles: cruditas.
(n) Et incoctile.

Et de iis Hippocrates: *Qui ventre calido ſunt, carnes habent frigidas, & graciles ſunt: iſti venoſi & iracundiores.* Niſi forte dicas venoſos non tam appellari, quod venæ amplæ ſint, ſed quod turgeant conſpicuæque ſint ob pravi ſanguinis abundantiam: utraque interpretatio cum Galeno conſentit. Præter hos obeſi & præpingues, quibus vaſa anguſta ſunt, calculoſi quoque fiunt. Sed priores calculos magis in renibus acervant, obeſi autem calloſas potius concretiones habent. Itaque quum Galenus negavit anguſtiam vaſorum cauſam eſſe concretionis in renibus virorum, ad infirmitatem recurrit: verba ejus ſunt: *In adultis caſeo frequentius utentibus lapides in renibus crebro generari conſpicimus.* Cauſam autem paullo ante efficientem aut adjuvantem infirmitatem poſuerat. Sed paullum imminutus Galenus videtur in reddenda ratione cur in renibus virorum calculus concreſcat, in puerorum veſica vero lapis: immo demonſtrationem horum pollicetur cumulatiſſimam, ſed dives promiſſum inane tantum fit. Nam cauſari imbecillitatem in viris, & cruditatem (idque dubitando tantum) coagmentationis potius in renibus quam in veſica, jejunius hoc eſt, & tanto demonſtratore indignum. Ego vero potius crederem acrimoniam caloris renum in viris, præſertim ſi cruditas & anguſtia nonnulla concurrat, legitimam concretionis cauſam. Nam quum arefactione, aſſatione, & digeſtione rei tenuioris compactio fiat ex materia cruda & craſſa, cauſa efficiens potentiſſima calor eſt acer, mordax, attenuans & digerens: & quia in adultis magis viget ac dominatur, qua parte plus ejus eſt, in ea cogitur ac compingitur materies: maxime vero ſi ignava ſit vita, & cruditatum cumulus. In pueris halituoſus eſt calor & blandus: materia fuſa a calore blando elabitur; ſic nulla coagmentatio fieret. Sed tum cruditas ob ingluviem, inordinatos motus & diætam, unde urinarum eſt craſſamentum, nullo modo ab opere ceſſans natura ad veſicam uſque excrementa depellit. Et hæc ſuopte pondere ac nutu conglomerata ac conglobata principium dant concretioni: calor enim naturalis coquendo & agendo in opus ſemper incumbit. Itaque quod facit acrimonia caloris in virorum lumbis, materia aliqua præſente, idem facit occaſio multæ materiæ in puerorum veſica. Hinc renales calculi ſunt friabiles, veſicæ lapis & quicquid in ea concreſcit, indiſſolubile & minime friabile exſiſtit & apparet; & virorum concretiones maxima ex parte ſunt parvæ & exiles, & nonniſi diuturno fiunt tempore; puerorum vero ingentes ſunt & brevi fiunt. Unde exciſa puerorum veſica, grandiores viſuntur lapides, & ſæpe duo treſve ſunt detracti. Sic calor acer & mordax in viris anticipat elapſum materiei in veſicam, & ante cogit quam natura depoſuerit: contra in pueris eouſque procedit, donec ad veſicam veniatur. Et ad coagmentationem in veſica facit frigiditas ipſius materiei, & ipſius veſicæ, utpote partis ſpermaticæ: Et quum pueri ſubligaculis careant, fundus veſicæ facile refrigeratur. Nil enim æque partes ſpermaticas & membranoſas afficit quam frigus ipſum: immo frigore corpus illarum fit βληχρὸν καὶ σφακελῶδες (o).

Gal. 2. de temp. Hipp. part. 25. ſect. 4. lib. 6. Ep.

(o) Pigrum, debile & ſphacelodes.

Atque ut tandem commentandi finis fiat, in viris, potius habeatur ratio cauſæ efficientis, in pueris materialis, licet in utriſque utraque cauſa cernatur, ſed ſecundum magis & minus. Accedit quod uſu vini quo utuntur viri, ut calidioris & tenuioris, multa in renes convehantur, unde facile calculoſi fiunt, præſertim ſi eſculentis ad id accommodatis utantur. Gentilitiam & hereditariam diatheſin quæ in multis latet, omittimus, quod nemo ſit qui id non credat, & tantam vim ejus eſſe, ut eam vix effugere queat qui patre lapidoſo, aut arthritico, aut lunatico ſit ſatus.

At in viris acrimonia caloris renum & materiæ quidam ſqualor cernitur ut cauſa ipſius concretionis in renum corpore: at in pueris materia non eſt ita ſqualida, ideo diluitur ac diffunditur ad veſicam uſque; in viris contra: nam vivere noſtrum ſicceſſere eſt: & major pars corporum curis, vino, venere, ætatis & annorum curſu ſqualet: & pro calore blando, halituoſo ac amico naturæ, alius contra naturam excitatur. Quod autem in calculoſis nephriticis dominetur calor contra naturam, patet, quia perpetuo fere ſunt ſitibundi ac nauſeabundi: unde apparuit ſæpe & conſtitit certis ſignis venas eorum quibus calor acer eſt ac mordax, aut quibus multa bilis in gibbo hepatis congeritur, arenulas multas continere: declarant urinæ eorum; immo in mulieribus obſervatæ ſunt arenulæ in ſecundinis poſt partum, quod ob calorem loci & moram contigiſſe certum eſt. Sic illæ arenulæ a genere venoſo poſſunt impune per renes transire ad veſicam, & ibi adhæſu pituitæ coagmentari: & quum rudimentum eſt in veſica, facile lapis augetur, præſertim ſi veſica ſcateat crudo ſucco. Accedit quod ubi mictio impeditur, tenuiore filo ac velut gracileſcente urina excernitur, ſic remanet id quod craſſius eſt. Item qui habent lapidem in veſica, micturiunt, ſæpe mejunt non affatim, nec educitur cum reliqua urina id quod craſſius eſt. Idem contingit iis quibus in urethra caruncula eſt, congeritur enim pituita multa, quod tantum elapſum eſt quod tenuius erat.

CANONES THERAPEUTICI.

Vulgo calculoſis ob renū calorem quē ſupponimus magnum, foris refrigerantia præſcribimus, & male. Nam Ariſt. ideo ait naturam renibus foris adipem mul-

His ita explicatis quæ ad diagnoſin pertinent, nonnulla attingere conſilium eſt, quæ ad morbi ejuſdem therapiam conferre videbimus. Paullo longiores & accuratiores fuimus, quod magni referat & ad diagnoſin & therapiam ſcire quis locus ſit in quo primo generetur lapis, quis non, quæ cauſa efficiens, an plus materiei tribuendum, an calori opifici, quæ corpora lithiaſi apta, quæ tempora generationis & incrementi calculorum. Hæc niſi ad unguem teneantur, circumforaneorum, & circulatorum exemplo miſeros mortales curatione noſtra tumultuaria ac temeraria obruemus ac opprimemus: nam audito difficultatis meiendi nomine aut calculo quiſque ad curationem hujus affectionis ſe natum ac inſtitutum putat. Operæ pretium eſt audire infinitas diureticorum formulas quas magnifacit mulierculārum garrulitas. Sed ſi corpora valde bilioſa, ſi corpus valde excrementis

mentis ſcateat, ſi confirmatus lapis ecquid erit pretii? Immo innumera ſequentur incommoda: induratur lapis, ſanguis liquatur, devehuntur excrementa, febris accerſitur. At non eodem modo in ſenibus, pueris & grandioribus fit lapis, ut ante dictum eſt, non ubique arefactio, & aſſatio, quo fit ut idem remedium uſui eſſe nequeat: idea remediorum ſtatuenda eſt. Errat qui credit nil intereſſe, ſive hic, ſive illic fiat lapis, quove modo, quo in corpore. Si enim in ea parte non cogitur lapis, cur topicis, & aſſumptis ei providetur? Si omnis & in rene & a rene lapis, huic primo occurrendum. Et quis adeo hebes qui in pueris ad renes recurrat, & non potius veſicæ rationem habeat, totiuſque corporis? Sic præjudicatæ quorumdam opinioni temere non aſſentiendum. Non ſunt nova dogmata inducenda, niſi quæ validis rationibus ſtabiliantur.

tum affinxiſſe, ut renes eſſent calidiores deſtituti carne lumborum, quia tegi deberent. Calidos autem renes eſſe oportet, ut & attrahant & ſecernant. Vide in noſtris comm. maxime in hiſtoria Hamelii calculoſi. 6. Epidem.

In calculo tria hæc ſpectantur, γένεσις, διαμονὴ, καὶ ἔξοδος (p): id eſt, generatio, manſio & exitus: in quibus locus eſt aut curationi aut præcautioni. Quum lapis perfectus eſt, fruſtra deturbare aut comminuere, diſſolvereque conamur: immo dum id fit, fuſa liquataque nova materia, & ad renes devecta, cumulatur aliquid quod ad veterem concretionem adhæreſcat. Si in præcautionem incumbimus, blanda & lenientia uſurpanda, niſi quid excitemus, aut dolores qui mille ſunt, accerſamus, aut præſentes augeamus. Si in curationem, Hippocrates præſcripſit vehementiora, ut elleborum: nec ſi præſcripſerit, tamen eodem jure veratrum uſurpandum eſt. Sæpe enim non ad verba Hippocratis, ſed ad mentem attendere oportet: ut quum pueris mulierem, capram & elaterium conveniens remedium eſſe ait, non adeo ſui obliviſcitur Hippocrates, ut elaterio lactentes pueros exagitandos eſſe cenſeat. Galenus rem totam diſtinctione temperavit: nam dum præceptum hoc ad affectus renum retulit, quum malum inveteratum eſt, & velut vectibus extrudendum, tum veratro locus eſt, id eſt, valido medicamento. Immo duo ſunt momenta curationis morborum renum, craſſorum humorum extenuatio, & corporum in renibus contentorum, & ſolidorum vicinorum mollities & laxitas. Porrò non per omnia tempora lapidis dolor eſt, ſed dum generatur, & excutitur a rene. Illic dolor gravis eſt, hic acutus, utrumque verbo quodam communi complectitur Hippocrates: *In renem dolor gravis.* Nam nomine τῦ βαρέως aut ἡ βαρείης ὀδυνῆς & ὀξείαν ὀδυνίην καὶ κυρίως λεγομένην βαρείαν (q) comprehendit. In eodem rene & dolor gravis eſt, id eſt, ſenſum gravitatis inferens, & acutus: gravis, quum ejus caro afficitur aut obſtructione, aut inflammatione: obſtructione, ut quum infoſſus eſt illi calculus. *Si*, ait Galenus, *carnoſa renum pars inflammatur, dolor gravis eſt, ac ſi ponderis adeſſet ſenſus*: quod mihi mirum videtur. Nam non videtur inflammari ren, quin tunica afficiatur: ſi tunica patitur, acutus erit

Par. 6. ſect. 1. lib. 6. Ep. Cap. 4. lib. 2. loc. aff. Aph. 3. lib. 6. aphor. Cap. 2. lib. 6. de loc. aff. Ad aph. 7. lib. 6.

(p) Generatio, manſio & exitus.

(q) Gravis aut gravis doloris, acutum dolorem & propriè appellatum gravem.

Ibidem.

etiamnum dolor, eodem Galeno teſte: tum enim acutus eſt, aut quum arteriæ, aut oſcula vaſorum, aut venter renis, aut tunica patitur. Idem cenſet de affecto hepate contra multorum opinionem: credunt enim ſenſum tantum adeſſe gravitatis, quum hepar laborat. At aberrant plane.

Aliter ſe habent lapides in biliosis, ſiccis & ſobriis, aliter in gulosis, vino & abdomini deditis. Illi arenulas potius cogunt, hi corpus quoddam ex pituita nullo indiſſolubilius. Et credo quod qui cruſtis panis utuntur, arenulis poſſunt eſſe obnoxii.

Expendamus eorum errorem qui quovis tempore calculoſis diuretica præſcribunt, attenuantia, incidentia, ſanguinemque fundentia, idque omnibus corporibus, omni ætati, nulla cum rerum diſtinctione. Atque ex profeſſo *in lib. ſanit. tuendæ*, convellit eorum opinionem qui promiſcue calida & acria calculoſis offerunt. At primum demonſtrat nil eorum quæ valde calefaciunt, calculoſis prodeſſe. Producit hiſtoriam hominis bilioſi calculo impediti: huic quum calida diu Medici calculo providentes præſcripſiſſent, tandem eum in maraſmum conjecere: & contingit ut præ ſiccitate motus digitorum impediretur, adeo ut oſſa ipſa cavum ſonarent: quod quum eveniſſet, alii paralyticum eum eſſe crediderunt. In craſſis ac pinguibus attenuat quidem Galenus; ſi aliter affectum corpus, aliter quoque ſe gerit: nam ſæpe una indicatio ſumitur a corpore ſqualido & ſicco, altera a calculo, aut callo. Calculus ſæpe attenuari, & incidi requirit: Corpus autem ſive totum ſpectetur, ſive corpus renis intemperiem patientis, contraria remedia poſtulat. Ex ſuperioribus autem patet τὰς θερμοκοιλίους (*r*), ſi quid deliquerint, inter ceteros calculis obnoxios eſſe: immo & in rene maxime cogi a calore igneo & adurente. Quam ergo utilitatem afferent τὰ διυρητικὰ (*s*); Itaque & affectui & corpori ſtudere oportet. Affectui, non præſcribendo ea quæ viſcoſum ſuccum generant, ut ſunt carnes volatilium domi enutritorum: contra valent hordeata, volatilia, piſces ſaxatiles: omni a lacte temperandum, præter quam ab aſinino. Et victus ratio ambiget inter impinguantem, & extenuantem: quod Galeni conſilium optimum judicamus. Capita hæc attigiſſe ſufficiat.

Cap. 6. lib. 6. ſanit. tuend.

Cap. 11. lib. 6. ſan tuend. Aliter qui committitur error eſt, quia plerique defraudant ſuum genium, & alterum paſtum omittunt. At contra alimenti benignitas oppugnat iſtum

Sed & explicemus cur Galenus diſtinguens medicamenta arthritica & diuretica, dicat nil eorum quæ vehementer calefaciunt calculis conferre: parum ſibi conſtare videtur: nam diuretica eſſe vult ea quæ & calorem habent plurimum, & acrimoniam, ut ſmyrnium, petroſelinum, daucum, ſeſeli, phu, aſarum, acorum, quibus omnibus magna eſt acrimonia: hoc enim omni diuretico ineſſe Galenus ſtatuit, ut fundat & ſecernat, quod abſque immenſo calore non fit. Ideo hæc thoraci inimica ſunt, quæ tali vi prædita ſunt, quod craſſiorem reddendo materiam, eam contumaciorem efficiunt. Fres itaque ob cauſas ea non conferunt, primum, quia calidiora & ſanguinem fundunt; ſecundo, quia idem & in renibus præſtabunt, quod & in pulmonibus, hoc eſt, dum ſerum ſecernent, id quod remanet contumacius reddent: unde paullo ante calculoſos uſu calidorum & acrium interdixerat: tertio ſi Galenus, conferens medicamenta men-

(*r*) Ventre calidos. (*s*) Diuretica.

menſes moventia cum iis quæ lac provocant, cenſet acriora eſſe debere & calidiora quæ menſes cient, quod non attrahat uterus, ſed ad eum ſanguis mittatur, contra ad mammas & ducatur ſanguis, & ab iis trahatur, ideoque minus calidis utendum eſſe, quorſum ad renes aut purgandos, aut curandos adeo calida præſcribimus, quum ſua ipſi natura attrahant valide? At hæc plenius explicanda ſunt. Quum enim intellecta fuerint, vetus ea conſuetudo concurrendi ad diuretica facile exſoleſcet. Aliud eſt abſolute aliquid diureticum eſſe, aliud habere vim movendæ urinæ, aut deterendi lapidis, aut materiei incidendæ. De his ita Galenus: *Quum plurimum urinam educere nitimur, acrioribus & calefacientibus magis quam quæ ſunt* ἐκφρακτικὰ (*u*) *utendum eſt*: nimirum fundentibus & liquantibus, & ſecernentibus. An propterea vult hæc calculoſis conferre? Nequaquam; ſed ex hypotheſi ita loquitur: ſi urinam movere conſilium eſt: propterea eadem interdicit aſthmaticis. Item alio loco dum confert acria tenuis ſubſtantiæ cum iis quæ ſunt craſſioris, quorum vis pernicioſa, ait, acria tenuis ſubſtantiæ vim habent movendi urinam, ſudores provocandi, expuitioni conferunt. Non tamen eorum uſus confert, ſed vires explicat: quum alias eorum uſu interdixerit in aſthmaticis. Aliud vero eſt urinam provocare velle, aliud expurgare, aliud calculum frangere, & materiam tenuare: quod & Galenus explicat. Nam ut ait quæ renes expurgant, ea incidunt, verum larga humiditate non egent. Quæ calloſas concretiones incidunt, tametſi incidere dicantur, minimum caloris habere debent. Caliditas enim callum exſiccando contrahit, non incidit, nec dividit: unde quæ non ſiccant, & modice excalefaciunt, lac generant: quæ plus calefaciunt, non tamen valenter ſiccant, menſes cient: utraque urinas provocant: Item quæ calefaciunt & exſiccant, & quæ ſunt ejuſmodi διερητικὰ (*x*) dicuntur, non quia ſola moveant urinas, ſed quia ſolas moveant urinas, non autem lac & menſes, quod notandum. Paullo poſt enim diuretica quæ calefaciunt & ſiccant pulmonum morbis & calculis renum non conferre ſcripſit, quod nec calculoſi, nec aſthmatici ſiccitatem iſtam poſtulent. Itaque quum movere urinas conſilium eſt, aliquando diuretica uſurpare oportet: Item quum incidere aut tenuare opus eſt, aliquando τὰ οὐρητικὰ (*y*), non διουρητικὰ uſurpanda ſunt, quum leniendo, humectandoque & compagem calculorum diſſolvere conſilium eſt, & nullum tumultum, fuſionemque humorum afferre: hujus generis ſunt ſemina frigida, malva & biſmalva: ea uſui maxime eſſe debent in renibus a calculo occupatis. De calculorum generatione dictum ſatis. Hæc eo animo dicta ſunt, ut calculoſorum calamitatem convenienter medendo elevaremus: Videndum enim ne periclitatorum more iis vitam dediſſe credamus, quibus minime ademerimus. Et quo morbus hic frequentior eſt, eo ſi quid in curatione peccatur, ut hercle peccatur, dolendum magis, deteſtandaque hominum ignorantia: fit

ſuum ſqualorem qui in nobis τῆς λιθιάσεως (*t*) *occaſio eſt.*

Cap. 13. lib. 5. ſimp.

Quæ vim humectandi & refrigerandi habent, quia ſqualori, ſiccitati, & adуſtioni repugnant, magnas habent ad curationé & præcautionem in calculoſis opportunitates. Immo aquæ potio calculum expellit renes corroborando & facultatem expultricem firmando, necnon calorem renum lapidis creatorem temperando. Hæc ex Aphrod. probl. 108. l. 2.

Cap. 22. l. 5. ſimp.

Cap. 13. l. 5. ſimp.

Cap. 19. l. 4. ſimp.

Cap. 22. lib. 5.

Cap. 22. lib. 5.

(*t*) Lithiaſeos.
(*u*) Deobſtruentia.
(*x*) Diuretica.
(*y*) Urinam moventia.

fit enim ſæpe ut circumforaneorum remedia uſurpantes arenulas multas foras expellamus, vana ſpe miſeros ægros producentes, dum interea contumacius id quod reſtat reddentes, grande creamus periculum. Care emittur tantula excretio arenularum, quam natura per ſe moliretur: & quæ plus habet calamitatis in receſſu, quam voluptatis in fronte. Silvam remediorum alio loco exponemus.

FINIS.

GULIEL-

GULIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

LIBER

DE URINARUM HYPOSTASI.

In quo continetur GALENI *defensio adversus* FERNELIUM: *Quod Urinarum* ὑπόστασις (*a*) *puri proportione respondeat.*

PRÆFATIO.

NIL æque usu tritum est ac urinas Medico inspiciendas proponere: atque huic profano muneri ariobolare pretium statutum est, & juniorum Medicorum ædes ægrotantium lotiis veluti inaugurantur: nam & ab iis frequentibus quorumdam domus celebrior esse cœpit, & hinc prima domus initia vulgo duci creduntur: & quotus quisque pictor est, qui si in tabula Medicum exprimere velit, in ejus manu urinarum vas non depingat? Sed quod magis mirum, jampridem imperita mulierum garrulitas hujus Artis gnara esse creditur: & inspecto in urina corpusculo, signa coctionis apparere pronuntiat: immo si apicula vas quo urina continetur circumvolarit, aliquid inde præsagit: eo denique processit audacia, ut ea in re mulieres voce & judicio Medicis præire velint. Ad eam insaniam accedunt inconsulti Pharmacopæi, quibus si decoctum hordei pro urina proponitur, dii boni, quanto cum fastu de morbo effutiunt? At id multis fraudi esse solet: in hac quippe sollertia dolus latet magnus. Et quod dolendum magis, quidam Medici otio & litteris abutentes, in vili hoc negotio magni conjectores & augures haberi volunt. Nec enim ex urinis inspectis minorem sollertiam sese posse consequi credunt, quam si exta ipsa inspicerent. At ab inspiciendis extis manavit σπλαγχνοσκόπων (*b*) extispiscumque

Olim Medici ægros non adibant, nec visitabant, sed domi consulebantur.

(*a*) Subsidentia.

(*b*) Viscera inspicientium.

que divinatrix turba. Et dum levi glorioſæ vento illi impelluntur, Artem dedecorant. Relinquendus hic fucus ſeplaſiariis ac periclitantibus, nec ſacrum Artis miniſterium dolo malo contaminandum: idipſum eſt teruncio æternam infantiam mercari: eſt & animas negotiari famam novitate aucupando. Melius vero eſſet nonnulla apud vulgus ignorantiæ ſuſpicione, ſi ejus expectationi non fiat ſatis, expreſſam veritatis imaginem proſequi, quam tantum dedecori pretio exiguo paciſci. Eos appello quos conſcientiæ ſtimulus ſollicitat, dum perfricta fronte in ſuis ſellis, tamquam in Apollinis tripode, ex urinis omnium morborum ſcientiam eliciunt. Sic mulierculæ a narrantis Medici ore pendent, & confictis nugis pellectæ magnum ὑρομάντιν (c) *ubique prædicant. Longe vero aliter res habet ac vulgo creditur. Nec hæc ſcribantur, ut urinarum inſpectionem negligendam putemus, nemo enim ſanæ mentis id faciat, ſed ut eos accuſem qui fucum faciunt & nil non ex inſpectis urinis ſcire profitentur. Majorem forte horum opinione ad cognoſcendos morbos opportunitatem urinarum inſpectio affert, nec non etiam minorem, quam quis putet. Multa ei tribuo, multa quoque detraho: hic maxime prudentiam ac interiorem quamdam judicandi legem nobis inſitam deſidero. Et ut omnium morborum cognitionem ab iis peti poſſe, ſummæ eſt arrogantiæ profiteri, ita nullorum ſummæ ignorantiæ eſt. Quod ſi nulli animadvertiſſent, non ita* ὑρομάντικην (d) *profitendo quamplurimos ſuæ ignorantiæ arrogantiæve teſtes domeſtico præconio collegiſſent. Utriſque ut via obſtruatur, de urinis tractare conſilium fuit. Res hæc a multis trita eſt, ſed de ea diverſum eſt hominum judicium. Eodem tamen omnes ſpectant. Commune eſt iter quo Athenas itur, non deſunt tamen aliæ viæ non ita communes quibus eodem iri ſolet, & id quidem commode. Inquiſitione rei animus noſter alitur ac delectatur. Immo ſi tota vita nil aliud agas, quam ut commenteris, tamen ipſa tractatio ex ſe aliquid gignit, quod cum deſidioſa delectatione inquiras. Hæc dicta voluimus, ut relicto omni fuco, veritatis arcem inexpugnabilem invadere poſſimus.*

(c) Urinarum divinatorem. (d) Urinæ divinationem.

LIBER

LIBER

DE URINARUM HYPOSTASI.

CONSTITUTUM eſt hoc loco de urinarum ſedimento diſputare: & id maxime quod pertinet ad ejus ſubſtantiam & qualitates, ut ea inquiratur proportio quæ inter ſedimentum & pus exſiſtit, ſi qua exſiſtit: non enim hic urina agitur, nec aliud eorum quæ in ea continentur. Si de iis tamen mentio injicitur aliqua, id non eſt ex profeſſo, ſed quod pertinet ad inſtitutum. Ac urina quidem non agitur, quod nemo ignoret ejus inſpectionem ad diagnoſin morborum & prognoſin pertinere: quamquam non placet eorum opinio qui omnium corporis affectuum in ſpecie & idea notitiam ab ea, tamquam ab oraculo Delphico, repetunt: minus vero aliorum qui eam inſpectionem omnino condemnant. In illis aut turpe lucri deſiderium notandum, aut inanis eruditionis oſtentatio: in his mera infantia & ignorantia. Accedunt & ii qui in utroque ambigunt: nam dum vacillant, moxque illud probant, moxque rejiciunt, non poſſunt urbanius ex confeſſione propriæ inſcitiæ labi. Sed ὑρομάντεις καὶ ὑροπότας (*e*) non dicam ὑροφάγους (*f*), fucum populo venditare ſinamus: quod verum expreſſum ac ſolidum retineamus. Porro novum quid de urina afferre velle aut levitatis aut perturbati animi ſignum eſt. Ex Veterum vero ſententiis rhapſodon quamdam componere, faſtidium pareret. At nec levitatis crimen ſubeundum, nec faſtidium afferendum: nam una cum ſatietate ſæpe rerum deperit memoria. Tamen ſi quid de urina dicatur, id obiter fiet, ut ne plus opere ἐν τῷ παρέργῳ, quam ἐν τῷ ἔργῳ (*g*) impendatur. Hoc crimen incurrunt qui orationi modum ſtatuere nequeunt, nec ſcopum quem colliment, habent: in his, ut in herbis in ſumma ubertate luxuries eſt, eaque ſtilo depaſcenda. Quod hic agitur eſt ejuſmodi, ut quæramus an quod placuit Galeno, hypoſtaſis puri proportione reſpondeat, an nulla ſit analogia, quod tuetur Fernelius. Hunc credo non contradicendi ſtudio laboraſſe (nec enim eo ſe ſcelere contaminare voluiſſet) ſed ut ſemper ille magna & ardua moliebatur, ita ſibi jure licere putavit ſuam ea de re ſententiam aperire. Porro rerum ſeries in alias quaſdam partes traxit, ut ea delibaremus quorum explicatio ad id quod quærimus ita facit, ut ſine iis id quod enitimur ut abortivum quid foret. Dum

 enim

(*e*) Urinarum divinatores & potores.
(*f*) Voratores.
(*g*) In eo quod eſt parergum, quam in opere.

enim de analogia puris & hypoſtaſeos quærimus, de urina ipſa dicendum
Aphrodiſ. probl. 19. lib. 2. fuit, de ejus partibus, cujus ſit actionis, quæ hypoſtaſeon ſpecies, an materia earum ſit quid de materia morbifica defectum, an ſint alimenti reliquiæ, & cujus; an a prima coctione, an excrementum partium ſolidarum, ut tandem eliciamus ex his, an hypoſtaſis puri ſit analoga.

Hipp. 6. Epid. In corpore noſtro ſpectantur partes, ſpectantur & excrementa. Partes quæ corpus conſtituunt, nam & humores, & ſpiritus impetum facientes, licet partes dicantur, proprie tamen non ſunt. Excrementa aut ſunt alimenti reliquiæ, aut aliquid in parte præter naturam contentum, aut agnatum: In ſanis excrementa conſiderantur ut alimenti pars ſuperflua: alimenti quidem vel quod nutriturum eſt, vel actu nutrit. In ægris ut portio affectarum partium, vel peccantium humorum: ac tunc vim ſigni demonſtrantis obtinent. Alimentorum defectæ reliquiæ naturales ſunt, tum quod eas natura intendat, ſuumque eis characterem imprimat, tum quod uſum in corpore aliquem habeant. Natura quidem intendit, quod nullum adeo ſimplex ſit alimentum, in quo partium varietas non ſit, & aliquid alendo non utile. Dum ſedulo elaborat natura, ſecernit, & eodem ex alimento caloris vi elicit quod in penu ſuum recondat, & varietati partium alendarum accommodet. Et quæ in principio erat diſſimilitudo, ea tandem aboletur: nam nulla fit exacte coctio, in qua partium non fiat & ſeparatio, & unio. Interim tamen excrementum quod ſupereſt aliquid affine habet & proportione reſpondens ei a quo defectum eſt. Sic & ea ſimilitudine quam habet cum re a qua deciſum eſt, & charactere quem natura impreſſit, naturale eſſe dicitur: immo & idem alimentum dicitur, & excre-
Com. ad aph. 39. lib. 5. mentum, *hoc enim commune eſt omni parti*, inquit Galenus, *quæ utilem ſuccum generat & conficit, ut ille humor ſit quædam ſuperfluitas partis eum generantis. Non quod pars ea norit cui conficiat & ſtudeat*, nec enim *hanc habet prudentiam, ſed qui eam partem condidit eum habet ſenſum*; hinc ſemen & ſanguis menſtruus benigna excrementa dicuntur: hinc chylus ventriculi excrementum materies ſanguini ſubjicitur: hic porro & alimento eſt, & ceteris partibus. At ſerum urinæ materia eſt, & has dotes habet: nam & ab alimento deciſum eſt quid, & uſum aliquem in corpore habet. Sic in gremio naturæ retinetur, & ab ea ad tempus aliquod regitur, unde urina definitur ſerum ſanguinis, & ejus vehiculum: dum ſerum dicitur, ejus natura explicatur. Nam ut in lacte, dum concreſcit, ita & in ſanguine ſerum a craſſiore, terrenaque magis ſubſtantia ſecernitur: dum vero vehiculum dicitur, & a Galeno ὄχημα τῆς τροφῆς (*h*) (nam ſanguis κατ' ἐξοχὴν (*i*) dicitur τροφὴ (*k*) Galeno hoc propterea fit quia permiſcetur ſanguini: permixtum autem facit ut ſanguis fibrarum ope jam concretus diluatur, & hoc tamquam vehiculo deducatur. Nec tantum ſerum ſanguinis in genere dicitur, ſed & aliorum humorum. Quamquam meo judicio, ſi humores extra venas ſunt & ἄκρατοι (*l*) non ſunt,

Galenus Creatorem rerum aliquem agnoſcit.

(*h*) Vehiculum alimenti.
(*i*) Per excellentiam.
(*k*) Alimentum.
(*l*) Meraci.

ſunt, id eſt ſuo naturali ſero deſtituti, ſerum illud quod eos humores diluit proxima urinæ materia non eſt: ſed maxime illud quod in venis eſt, & vehit revehitque ſanguinem: quamquam hoc & quæſtione dignum eſt. Nam ſive humor continctur in venis, ſive extra venas, tamen ſerum ejus, ſive tranſſumatur, ſive prono alveo per vaſa, utpote per arterias & venas fluat, urinæ materia eſſe poteſt. Hinc multa mictio iis eſſe ſolet, quibus caput calefit, & pituita a calore liquatur. Et quum ea fit eliquatio (quæ non σύντηξις (*m*) ſed διάχυσις (*n*) proprie dicitur) diffuſæ pituitæ ſerum vaſa ſubire, & ea perfluere oportet. Revera aliorum humorum ſerum proprie ὀρρὸς (*o*) & ſi a natura deſciverit ἰχὼρ (*p*) dicetur: unde αἷμα ἰχωροειδὲς (*q*) quum dicitur, non abſolute ſignificatur ſanguis aqueus & tenuis, ſed qui venenata aliqua qualitate præditus eſt. Et citat Platonem qui vocat ἰχῶρα (*r*) ſanguinis τὸν ὀρρὸν, id eſt ſerum ſanguinis, quod collatum cum aliorum humorum ſero benignum eſt & manſuetum: quo pertinet illud Hippocratis: *quum corpus ſanum eſt, ventres flatu pleni ſunt, quum ægrum, ichore.* Ignorant interpretes quam vocem Latinam τῷ ἰχῶρι (*s*) apponere poſſint: tamen exiſtimant τὸν ἰχῶρα in corpore aquoſam humiditatem dici poſſe, extra corpus, ut in ulceribus, ſaniem. Serum autem humorum naturale, & id præcipue quod ſanguini vehiculo eſt, proprie ὀρρὸς dici poteſt, & ὑρὸς: ſerum lactis Nicandro ὑρὸς dicitur: Et quia ſanguinis ſerum lactis ſero reſpondet, τῷ ὑρῷ nomine donari poteſt. Sic ὑρὸς dicetur in venis fluens, poſtquam autem ſecretum erit ſerum vi renum, & ad veſicam allapſum, οὖρον ἢ οὖρημα (*t*) dicetur. De iis nos ita ſentimus; Doctioribus ſuum eſto judicium.

Hipp. lib. 2. de morbis. Et lib. de morbo ſacro. Partic. 38. ſect. 1. lib. 6. Epid.

In Timæo.

Hipp. lib. de arte.

Sed quoniam de ſero diximus, quod excrementum eſſe docuimus duabus dotibus præditum, partim quod ſanguini vehiculo eſſet, partim materia urinæ, liceat & de eo unum quærere. An illud ſerum neceſſarium ſit? An natura eo modo ſerum facere intendit, quo & bilem utramque, & ſanguinem? An in alimento etiam ſicco ſerum eſt, ut ſanguis & bilis: An quia natura illud generat per ſe, & tametſi potulentis quis non utatur (ut quidam diutiſſime in morbis aut ſanitate ab iis abſtinent) illud producere non deſinit, vulgo egere dicimur ſicco & humido: ſicco ad partium ſolidarum inſtaurationem: humido, partim aëre, partim potu, ad ſpiritus & humorum continuo effluentium reparationem. Nulla fit mentio de ſero, quod renum velut nutrimentum eſt, & humorum vehiculum; unde apud Medicos humorem ἄκρητον eſſe, ſignificat ſuo ſero ſpoliatum. Quod peſſimum eſt ut ſignum, & ut cauſa: ut ſignum, quod incendium vimque caloris abſumentis deſignet; ut cauſa, quod magnas inferat naturæ moleſtias. Nam omnis humor meracus, id eſt ſuo ſero privatus, partibus quibus inhæret, & per quas traducitur magnam noxam affert:

Com. ad aph. 6. lib. 6. lib. 2. Epid. paſſim in Prorret.

(*m*) Colliquatio.
(*n*) Diffuſio.
(*o*) Serum.
(*p*) Ichor, ſanies.
(*q*) Sanguis ichoroides.
(*r*) Ichorem.
(*s*) Ichori.
(*t*) Urina.

affert: ratio, experientia & veterum auctoritas id confirmat. Sic non abs re quæritur an ille ὀρρὸς incluſus eſt in cibis ipſis immo in ſimplicibus: an natura per ſe id agit & producit ad eos quos explicuimus uſus. Si bili naturali ſuum adeſt ſerum, ſi pituitæ ſuum, ſi ſanguini ſuum, hoc non tam a re liquida quæ ſumitur videtur eſſe, quam a vi quadam latente quam in ſinu & penu ſuo habet natura; dum nativo quodam humido omnia perfundit, hinc bilioſis, & πικροχόλοις (*u*) ſæpe humores ſunt ſinceri: ſuo nativo ſero & humido deſtituti, quo ſi perfunderentur, manſuetiores eſſent. Hac ratione Hippocrates annotat quædam eſſe χολώδεα ἀγαθὰ (*x*), quædam βλαβερὰ vel ἀνάμορα (*y*), id eſt, excretiones ſunt quædam bonæ bilis, quædam malæ. Mala bilis dicitur ab eodem quæ ſuum nativum ſerum non habet, unde magnas affert moleſtias, quia ſerum abeſt & ob colliquationem & ardorem: ſic indicat talis bilis ardorem & phlegmonem, & dum excernitur parum juvat, nam ardorem non exſtinguit, & tranſeundo inquietudinem affert: hæc Galenus. Contra aliquis credere poſſit ſerum naturale a potulentis eſſe: nam in cibo & potu quatuor humores continentur & quædam alimenta ſerum generant, ut horarii fructus quos Hippocrates σιτίον ἀδρενὲς (*z*) vocat, & brevioris vitæ eſſe ait, id eſt auctore Galeno parum nutrire, & celeriter ſecedere: ac tales fructus retenti in ſerum facile vertuntur. At quis objiciat, aqua (cujus tamen communis uſus eſt) non nutrit; an ſerum nativum generabit? Vinum ex Galeno dicitur cito & ἀθρόως (*a*) nutrire, id eſt, totum ex ſe præbere corpori alimentum: ſic a vino nil ſupereſt, ergo nec ſerum, nec urina. Si nil ſupereſt, nil excerni poterit, ſi nil excernitur, cur eorum quæ cito & confertim nutriunt celeris excretio eſt? Horum explicatio petenda ex aphoriſmis dum Galenus recurrit ad ſignificationes τῆς ὑποχωρήσεως καὶ διαχωρήσεως (*b*). Contra tamen ea quæ de vino adducta ſunt, quod totum in ſubſtantiam noſtram cedat, aliam Galeni opinionem aliquis afferre poſſit. *Totum quod bibimus* (ait) *urinam fieri vel declarat copia ejus quod mejitur. Sæpe enim quantum potavit quis, totum id paullo minus mejit, tamquam quod bibitur totum ad renes feratur*; hoc dicit ut evertat opinionem Lyci qui credebat urinam eſſe excrementum nutritionis renum. *Si hoc verum eſſet*, ait Galenus, *quomodo renes, qui corpora ſunt parva, tantum a nutritione ſua relinquerent excrementi? aliquando enim urinæ tres congii viſuntur*: non quod exiſtimet plane tantumdem urinæ excerni, quantum potus ſumtum eſt: ſiquidem hoc veritate careret. Nam alio loco temperans eam opinionem ita ſcribit, *Multis eorum qui immodice bibunt, & cito pertranſit quod biberunt, & mejitur intra breve tempus, paullo minus totum, in iis enim tum qualitatis convenientia, tum humoris tenuitate, tum vaſorum laxitate, tum facultatis trahentis robore celeritas digeſtionis perficitur.* Hinc patet non id totum quod bibitur urinam fieri niſi ex conditione

Par. 14. lib. 3. acuto.

Sect. 5. lib. 6. Epid.

Ad aph. 19. lib.

Cap. ult. lib. 2. de nat. facul.

Ad finem lib. 3. de nat. facul.

(*u*) Amaro-bilioſis.
(*x*) Bilioſa bona.
(*y*) Mala, noxia, maleſica.
(*z*) Alimentum debile, infirmum.
(*a*) Cumulatim.
(*b*) Dejectionis & ſecretionis.

conditione aliqua: alioqui potulenta non nutrirent: ſed ea magis minuſve nutriunt pro ratione & qualitatum & ſubſtantiæ. Reliquas quæſtionis partes omittemus: tantum hoc ſcire oportet ſerum ſanguinis, & ab alimento ſicco eſſe, & a potulentis: ſuperfluum ſerum, & copia moleſtans a copia potus, aut liquidiori alimento, aut horariorum uſu. Quod attinet ad ſerum quoddam radicale, ut ita dicam, humorum, & in vaſis, & extra contentorum, illud primo quidem ab alimento eſt tum humido, tum ſicco, deinde a natura ipſa eſt. Hanc enim diximus in ſuo penu reconditum habere humidum, quod κατ' ἐξοχὴν ὑγρὸν (*c*) dici poteſt, quo proluit & perfundit humores: & tale ſerum non amittitur niſi aut aduſtione ſumma, aut conſimili aliqua cauſa.

Quæſtionem hanc prætermittere poteramus, ut minus ad inſtitutum pertinentem: ſed quia ex hac elicere aliquid oportet quod e re ſit; de ea curſim dicendum fuit. Nunc ad hypoſtaſin veniamus, ut tandem eam quæramus analogiam quæ hypoſtaſi cum pure eſt. Ac de ea analogia, nemo apte dixerit niſi ejus materiam, generationem & vim hypoſtaſeos explicarit. Hypoſtaſeos nomen large ſumitur pro humorum ſtatu, conſiſtentia, ſive concretione: ut dum loquitur de nudatione cartilaginis aurium ait, ſi ſubſidentias purulentas, & bilioſas habuerit, (græce τὰς ὑποστάσιας πυώδεας καὶ χολώδεας;) id moleſtum eſt; hypoſtaſis purulenta dicitur, dum craſſior humorum pars purulenta remanſerit; & Theophraſtus dum diſputat de ſanguinis ſero cujus pars ſudoribus, pars urinæ materiam præbet ita ſcripſit, τὸ τοιοῦτο ἐν μὲν τῇ ὑποστάσει τῇ κατὰ τὴν κύστιν ὑγρὸν, ἐν δὲ τῇ σαρκὶ ἱδρὼς καλεῖται (*d*): ubi nomen preſſius ſumptum hic portionem urinæ craſſiorem ſecretam & ſubſidentem ſignat. Portionem eſſe vel hoc declarat, quod a renibus per emulgentes venas trahatur, & ſimul cum reliqua urina excernatur: ac omnis urina eam (licet aliquando tam tenuem, & obſcuram ut non appareat) vel confuſam, vel ſecretam continere dicitur. Præterea hypoſtaſis, ut & reliqua urina mutationem concoctionemque aliquam in renibus & veſica recipit: quæ utraque opinio cujuſdam eſt Neoterici, viri ſane eximii, ſed parum meo judicio plauſibilis: nec enim in omni urina ſedimentum eſt aut confuſum, aut ſecretum: quod innumeri loci, & rationes *in libris de criſibus* adductæ conficiunt, dum Galenus in perfecte cocta urina, & in bilioſis ſufficere ut ſignum abſolutæ coctionis, ſublimamentum, Græcis ἐναιώρημα: ſic excluſa eſt hypoſtaſis, niſi enæorematis, & hypoſtaſeos communem materiam dicas. Poſterior opinio hæc eſt, quod urina in renibus, & veſica mutetur & coquatur. At coqui minus eſt probabile; mutationem lenem accipere verum eſt quatenus urina index eſt eorum quæ in venis fiunt; ſignificandi vim & ex colore, & conſiſtentia & contentis non a renibus habet & veſica, ſed a venis ipſis: immo mutatio quæ ab his partibus accipitur, judicium interturbat: non quod in renibus non fiat ſecretio ſeu a ſanguine, &

Particul. 58. lib. 2. de articul.

(*c*) Per excellentiam humidum, liquidum.

(*d*) Tale quid in hypoſtaſi ſecundum veſicam urina vocatur, in carne ſudor.

quod nondum ſatis defæcatus ſanguis ad renes affluat, alioqui malum eſſet ut ſignum: aut enim in ſanis facultatis ſecretricis infirmitatem ſignificaret; aut in ægris morbi longitudinem. Ita enim Galenus ſtatuit, quum ſanguinis ſerum pariter cum urina excernitur, hæc ſubrubra fit. Indicat autem exſuperantiam ſanguinis non exquiſite confecti, & quia integerrimi humoris exſuperantia eſt, ideo ſine periculo eſt: quia humidioris & ſerioſioris eget coctione. Hinc morbi longitudo ſignificatur. Sed quid illud quod dicemus ſerum ſanguinis urinam ſubrubram facere? Numquid omnis urina ſerum ſanguinis eſt, ideoque omnis urina ſubrubra futura eſt? Sciendum urinam ſerum eſſe ſanguinis omnes humores complectentis, aut quid miſtum ex omnium humorum ſero, non autem eſſe ſimpliciter ſanguinis ſerum. Ita enim diximus ante quoddam ſerum commune omnium humorum, & ſanguinis eos complexi, aliud humorum ſingulorum proprium. Et id ſerum commune in ſecunda coctione fit, ut paullo poſt dicemus. Cur ergo potius a bile coloratur? Nam urina naturalis modice pallida eſt, græcis ὠχρὰ dicitur, alii croceum vertunt, & male: & is color adeſt ex coctione humoris qui flavæ bilis parum recipit: & ea bilis ſi modum excedat, aut ſincera ſit urinæ permixta, ruſa urina fit. Quidam ſubtilius eum colorem pallidum ex eo eſſe non credit, quod bilis urinæ remiſceatur, quod Galeno placet, ſed ex vi coctionis, ubi ſemper relinquitur aliqua pars ſanguinis quæ ei miſcetur. Et quia bilis eſt pars ſanguinis ſpumans, fervens & tenuis, inflammans ipſum ſerum in coctione, ideo quum fit coctio ſanguinis, ſemper bilis admiſcetur ſanguini, & in ipſo eſt, quæ eſt pars inconcocta. Licet ſeparata ſint omnia, tamen quia ibi eſt pars ſanguinis ſubtilis, licet pars minima, ideo quod facit minimum eſt, & tamen tingit. Sic concludit in urina nec eſſe ſanguinem, nec bilem, nec humorem melancholicum, ſed puram meramque aquoſitatem, & color ſimilis paleæ hordei apparet, quia tantummodo tingitur ab ipſa bile, & color inde manat qui ὑπόπυῤῥος (*e*) dicitur. Ac paullo ante polliciti ſumus demonſtraturos nos a qua coctione ſerum eſſet: nam & hoc dubium eſſe poteſt. Et quum definierimus cujus coctionis ſerum excrementum ſit, jam via ad hypoſtaſeos materiam, & originem præmunita erit. Triplex vulgo ſtatuitur coctio, una in ventriculo, hujus finis eſt chyloſis: ſecunda in hepate, cujus finis eſt hæmatoſis; tertia in toto corporis habitu; & perfecta aſſimilatio ejus finis eſt. Chyloſis enim & hæmatoſis publici muneris rationem quamdam obtinent. Primæ coctionis excrementum eſt fæx alvo ſuccedens: ſecundæ bilis utraque & ſerum: tertiæ halitus materia & fuliginis: quidam male ſudorum materiam dicunt. Nam ſerum generaliter ſumptum & ſudorum, & halitus, & urinæ materia eſt. Sed hic diſtinctione opus eſt. Galenus com. ad apho. 15. lib. 3. *alimenti partem unam ſeroſam eſſe dixit quæ ipſi diſtributionis gratia admiſcetur: alteram fuliginoſam. Hæc naturæ gratiam ſubterfugit*, ait, *quum nec poſſit aſſimilari, nec agglutinari.* Serum quatenus in venis contentum potius eſt urinæ materia, quatenus in habitu corporis & in minimis venis, ſudoris

Com ad part. 27. lib. 2. prog.

Gal. com. ad part. 30. lib. 2. prog.

Locus eſt commem. apud Gal. comm. ad aph. 15. lib. 3. Alimenti pars una ſeroſa eſt, quæ ipſi gratia diſtributionis admiſcetur, ita enim Hip. lib. de alimen.

(*e*) Subrufus.

ſudoris & halitus: unde qui multum ſudant, parum mejunt. Et Diocles volebat omnem ſudoris excretionem e natura non eſſe, quod caloris infirmitas ſignificaretur. Si enim calor eſſet multus & vegetus, non in ſudorem, manifeſtam excretionem, ſed in halitum alimenti reliquias & ſerum digereret. Attamen & utilitate quæ inſequitur, & quatenus vis in expellendo ſudore apparet, qui aut non provocaretur, aut imminute provocaretur (unde ἐφίδρωσις (*f*), & ſudor κεγχρειώδης, καὶ μετὰ σαλαγμῶν, καὶ ἀτμίζων (*g*) in malis ponitur) naturalis quidam ſudor conſtituitur. Nunc ad rem. Serum itaque ſecundæ coctionis excrementum eſt, ut utraque bilis. Sed quidam ſecundam coctionem dividunt, ut prima quædam in hepate fiat, & ſecunda: prima in concavo, cujus excrementum eſt bilis ad lienem tendens: ſecunda in convexo, cujus excrementum eſt ea aquoſa ſubſtantia, quæ vi renum prolectatur. Sed ſi omnis coctio a fine definienda eſt; quum triplex tantum finis ſtatuatur, ei fini reſponſura eſt coctio. Triplicem autem finem eſſe jam ante explicatum eſt. Jam vero ſi ſerum ſecundæ coctionis eſt, ejus quoque partes ad eam pertinebunt. Et ſi qua eſt hypoſtaſis, aut aliud contentum, ſive illud confuſum ſit cum urina, ſive ſeparatum, ut quibuſdam placuit, ea a ſecunda coctione pendebit.

De hypoſtaſi multæ circumferuntur opiniones, nec dum de ea re conſtat. Nam primum aliud eſt hypoſtaſis in ægris, aliud in ſanis. Alimentum illud quod naturæ refugit concoctionem, materia hypoſtaſeos ſtatuitur: & id quidem inter ſanguinem & pus medium quid eſt: nam non eſt plane commutatum, ut ſanguis, nec eſt cauſæ præter naturam particeps ut pus. Cauſa autem præter naturam in pure eſt materies ipſa, aut calor: utrumque autem videtur eſſe: nam & putredo aliqua eſt humoris, & calor alienus adeſt, non tamen vincit. Si enim vinceret, aut ſi inſignis humoris eſſet putredo, pus non fieret laudabile, nec notas proprias haberet. Unde Galenus concludit eum ſanguinem qui probe ſit in pus mutatus, primo non putruiſſe, ſed potius concoctum eſſe: aut ſi quid putredinis fuerit, illud exiguum eſſe. Hinc Diſtinctiones manaverunt τὲ πεπασμῦ καὶ πέψεως (*h*): Et quamquam ἡ πεπασμὸν καὶ πέπανσιν τῇ πέψει (*i*) Ariſtoteles tamquam generi ſpeciem ſubjiciat, tamen aliud ab alio ad evitandam rerum perturbationem Medici diſtinctum eſſe voluerunt. De his plenius paullo poſt dicemus. Ideo Galenus hypoſtaſin voluit eſſe portionem crudi ſucci aut alimenti ſubterfugientis concoctionem: non abs re dicit, alimenti fugientis coctionem, ſive crudi ſucci: nec enim meminit humoris in morbis putrentis. Actuarius ejus tantum coctionis eſſe putat, quæ in extremis venis perficitur, aut ſolidarum partium excrementum. Alii cibi portionem crudam, quæ interdum e ventriculo in venas cum ſero provehitur. Alii hypoſtaſin cum urina ubique & ortum & generationem habere credunt: horum probabilior ratio videtur. Etſi enim ſerum

Ad Part. ultim. lib. 1. progn.

Ibid. & ad Aph. 47. lib. 2. Aph. Lib. 4. meteo.

(*f*) Sudatiuncula.
(*g*) Miliaris, & guttatim & evaporans.
(*h*) Maturationis & coctionis.
(*i*) Maturationem coctioni.

rum ſecundæ coctionis ſit, nondum tamen urina eſt, necdum partes, ut hypoſtaſis & enæorema, expreſſæ ſunt, ſed adumbratæ tantum. Urinæ ſignorum vim habent, eaque demonſtrant quæ fiunt in jecore & venis, ab iis enim manant. Signa porro ſalubria ſunt, inſalubria, aut neutra. Urinæ non ex colore tantum, liquore & conſiſtentia indicandi vim habent, ſed ex contentis maxime. Flava urina, in mediocritate ſubſtantiæ poſita, potui proportione reſpondens, ſignum ſalubre eſt. Nec id tantum poteſt, quum immediate ſerum ab hepate ad renes prolectatur, aut cito pervadit primam regionem rei aſſumtæ tenuitate, ſed quum moram aliquam in venis traxit; rapit enim, ut ita dicam, vim illam ſignificandi ſerum, de ſtatu earum partium in quibus generationem habuit, moram traxit, quas pervaſit, & a quibus defluxit. Primum generali quodam modo in ſanis coctionis vim declarat, ejus præſertim alimenti quod in ſecunda coctione conficitur: quamquam & de aliis indicium dat, quum actiones poſteriores priorem non emendent. In ægris partim alimenti, partim morbifici humoris coctionem, mitificationemque ſeu maturationem indicat. Aliud enim in ſanis ſpectatur, in ægris aliud. In ſanis bene coloratæ urinæ, ſubſtantia mediocres, & etiam ſine ullis contentis aperte laudantur: nam coctionis perfectio bonitaſque indicatur. At in ægris tales urinæ non vacant ſuſpicione: non eſt enim id tale quale excerni debet. Morbo jam eunte ad criſin, & præcedentibus ſignis coctionis jam commendantur. Nam ſi febris eſt ſimplex, non cum humorum putredine juncta, oportet in urinis ipſius incendii notas adeſſe, alioqui legitimæ non ſunt. Si humorum putredo eſt, notæ putredinis apparere debent, alioqui cruditatis ſumma eſſe omnia dicentur. Unde Galenus: *Excrementa quidem inferioris alvi affectiones indicant, venoſi generis urinæ: inſtrumentorum quibus cauſis reſpiramus, ſputa.* Et alio loco, *facultatis in ventre exiſtentis indicia ſumuntur ex dejectionibus, facultatis in jecore ex urinis. In iis enim indicia clara ſunt, partim exquiſitioris, partim paucioris, partim irritæ in totum coctionis.* Et vero ſi urinæ appareant in morbo bene coloratæ, & ea quæ apparere debent non adſint, tametſi videantur bonæ, tales tamen non ſunt, quales eſſe debent: & ſignum ambiguum ſunt: nam nec mortem omnino ſignificant, nec ſalutem præſentem, ſed futuram. Unde in hiſtoria de Clazomenio Hippocrates narrat aliquid ad diſputationem de urinarum ſedimento valde pertinens: explicat enim quomodo hypoſtaſeos abſentia longitudinem morbi ſignificarit, tametſi urinæ laudabiles viderentur: *urinæ erant perpetuo tenues, ceterum boni coloris, multa habebant enæoremata. Die* 16. *minxit paullo craſſius, habebat aliquid ſedimenti*, &c. In Com. Galenus addit: *Planum eſt tenues, ſed boni coloris urinas ob coloris bonitatem ſalutem polliceri: quatenus erant tenues, catenus tempus requirebant coctioni. Die* 17. *parotides apparuiſſe dicit. Quod ſi urinæ fuiſſent craſſæ, die vigeſimo omnino ad ſanitatem rediiſſet.* Et *com. ad part.* 71. *lib.* 3. *prorrh. Aquoſæ urinæ abſque enæoremate albo incoctum morbum ſignificant. Quæ vero ſubſtantiam ſecundum naturam habent, atque præter id enæorema album habent, coctum morbum abſque etiam ſedimento indicant.* Sic multa indicantur generaliter ab urinis & in ægris & in ſanis. Quo etiam pertinet illud Galeni

Comm. ad part. 26. *lib.* 2. *progn.*

Hiſt. 10. *ſect.* 3. *l.* 1.

Ad part. 37. *lib.* 2. *progn.*

dum

dum explicat indicia & affectuum totius corporis, & partium quarumdam quæ ſumuntur ab urina. *Quum valemus, excrementa totius corporis repurgantur per urinam: quæ vero ſunt in ventre, una cum fæcibus expurgantur. Quum præter naturam habemus, cum urina quædam etiam indicia morborum in renibus & veſica apparent, cum ſtercore vero totius corporis. Ac fœtida & bilioſa ſæpe redditur urina ob veſicam & renes, non raro propter totum corpus, id eſt, coctricem humorum facultatem, quæ velut focum ardentem & fontem obtinet jecur*: ubi interpretis lapſus eſt, legit enim, Perfectricem humorum facultatem, pro, coctricem: occaſio erroris fuit, quod legerit ποιητικὴν (*k*), non πεπτικὴν (*l*). Et Galenus dum explicat illud γλῶσσα ὕδρον σημαίνει (*m*), primum nomine ὕδρ τὸν ὀρρὸν (*n*) ſignificari ait, deinde ſubjicit: *Lingua & urina ſuccorum affectiones declarat*: nam ut ante dictum eſt, cuique humori ſuum eſt ſerum, & illud quod linguam tingit, non eſt is humor qui continetur in vaſis, nec enim ad linguam uſque venit, ſed ſeri pars tenuior in vaporem converſus: & quia humorum extra vaſa contentorum pars communicatur generi venoſo (unde perturbatio ſequitur) ideo lingua ſignificat dominatum & humorum contentorum intra vaſa, & in meſenterio, ſed id ſecundum magis & minus. Quod & Galenus explicat quum rationem reddit cur cardialgia adſit a ſuppreſſione hæmorhoidon, ut & mulieribus a ſuppreſſo menſtruo: *Copia*, ait, *in venis acervata, tenue quoddam ſerum in ventrem confluens cordis morſus parit, nimirum dum in os alvi aſcendit, nam facultate ſentiendi potiſſimum præditum eſt. Alia humoris portio ad locum inferiorem tendens lumborum dolores accerſit.* Ex ſuperioribus jam patet indicia ſumi ab urinis, & rerum univerſalium, & particularium: nam & totius corporis & partium quarumdam affectiones ab urinis indicantur. Quod Galenus confirmat: *In Aphoriſmis*, ait, *Hippocrates de urinis tractat, quatenus referunt vitia quædam renum & veſicæ. In prognoſticis, quatenus ad morbos acutos referuntur, & eorum ſunt indices.*

Part. 14. ſect. 5. lib. 6. Epid.

Ad part. 38. ſect. 3. lib. 1. prorrh.

Cap. 7. lib. 1. de Criſibus.

Sed his relictis propius ad ſcopum accedamus: forte enim ἐν τῷ παρέργῳ (*o*) nimii fuimus; veram hypoſtaſeos naturam explicemus. Definitio ejus ex Galeno producta eſt, & variæ de ea opiniones. Si dum ſanguis coquitur, in urina multum eſt ſedimenti; & quo coctio illa procedit magis, eo minus eſt ſedimenti, illud reliquum quod ſubſidet in urina, a prima & ſecunda coctione ſupereſt: necdum enim ad tertiam ventum eſt. At, inquiunt, nec a ventriculo eſt, nec a ſecunda coctione: non a ſecunda coctione, quia id quod reſiduum eſt rubeſceret. Sanguis rubet, & quæ in urinis continentur rubent maxima ex parte, & nonniſi longa mora albedo acquiritur. Galenus dum rationem reddit cur ſanguis in venis non albeſcat, quum ſemen album ſit, ſcribit: ſi tamdiu in venis ſanguis retineretur, quamdiu in vaſis quibus varie pertexuntur teſticuli,

(*k*) Perfectricem.
(*l*) Coctricem.
(*m*) Lingua lotium ſignificat.
(*n*) Urinæ ſerum.
(*o*) In eo quod parergum eſt.

eum alborem contraheret. Si itaque ſanguis præterfluit venas, & ſerum ejus, materiam hypoſtaſeos exalbeſcere non poſſe veriſimile eſt: ſic efficeretur eam potius a tertia coctione dependere. Aut quid eſt cur ita albeſcat ſedimentum? Si a ventriculo eſt materia, & quæ coctionem ſubterfugerit, jam a ventriculo ipſo eam traxit albedinem. Sic vis partium aliarum ſolidarum, ut venarum & arteriarum, ex albore non cernitur. Et ſi inducta eſt æqualitas, & albedo, ea feretur accepta ventriculo, utpote parti ſpermaticæ. In iis quibus venæ meſaraicæ obſtructæ ſunt, & in virginibus fœdos colores patientibus, urinæ alias valde tenues, alias veluti lacteæ ſunt, in iis cruditas multa, ventriculus probe chylum non conficit, & tamen nulla fere hypoſtaſis eſt: hoc autem non aliunde eſt, quam quia venæ obſtructæ ſunt, quas humor a ventriculo elabens non facile pertranſit: & ita dum mediis hæret viis, id tantum quod tenue eſt tranſcolatur: ſic libertatem meatuum adeſſe oportet, ut hypoſtaſis aliqua urinarum fundum teneat. Contra quum lacteæ ſunt urinæ, tales apparent, quia humor veluti chyloſus totus confractus eſt & imminutus, ut per urinam diffundatur, nec ulla ſecretio vi naturæ fiat. At & urinæ tenues apparent, ubi multa cruditas, & craſſæ, ubi eadem eſt: non propterea tamen adeſt hypoſtaſis, ut paullo poſt aperiemus. Et in multis ſanis urinæ non habent ſedimentum: non quod non ſint multi crudi ſucci, ſed talis cruditas a natura regitur: & is humor eſt qui calori noſtro pabulum eſt in jejuniis longis. Sed relictis multis argumentis, quibus partim probant hypoſtaſin non eſſe a ſecunda coctione, partim a prima, uno verbo ſententiam noſtram exponemus.

Ut ſanguis fiat, multiplices ſunt præparationes, & coctiones: nec enim iſte theſaurus juſtas qualitates & ſubſtantiam acquirit, niſi elaboratione multa præeunte. Et ſi qua in re natura ſedula eſt, in ſanguine uno conficiendo eam diligentiam præſtat: nec adeo facilis & prompta ex quovis alimento eſt ſanguinis generatio, ut quidam dictitant, quo facilius in effundendo ſanguine humano ſuam crudelitatem elevent: ſatis enim eſſet eos eſſe liberales, non prodigos. Itaque dum ſanguis exquiritur & elaboratur, multarum partium fit ſeparatio vi caloris nativi, fit & aliarum unio: id quod diverſi generis eſt ſeparatur, τὰ δὲ ὁμογενῆ (*p*) uniuntur. Et prout partes ſunt materiæ in craſſitie aut tenuitate, levitate, gravitate, caliditate, frigiditate, denſitate, aut raritate; ita in ſanguine diverſum quid exſiſtit. Nec propterea id quod agit, nempe calor diverſus eſt, niſi forte quod ad actiones pertinet. At ea varietas ex parte materiei eſt: ſic non ita exacte uno & eodem tempore elaboratio fit, quin ſit aliquid ſuperfluum refugiens coctionem: & tamen jam caloris vim & partium ſolidarum, conatumque earum aliquando expertum eſt; ut in eo quod defectum eſt & traductum, vis naturæ eluceat. Omne excrementum enim coctum eſſe dicitur, aliud alio modo pro ratione materiei quæ deciditur: hujus generis eſt materia ſedimenti: hæc nec bilis eſt, nec ſanguis, nec ſuccus melancholicus, nec ſerum: ſed aliquid eſt ex ea maſſa deciſum,,

(*p*) Homogenea.

deciſum, ex qua ſanguinis fit, ut ſi æquale ſit, declaret vim caloris nativi ſeſe æqualiter in omnes materiæ partes inſinuantis; ſi album, partium ſolidarum robur, in quibus ἡ φύσις (q) conſiſtit; ſi læve, materiæ bonitatem & æqualitatem: quæ conditiones in ægris & ſanis ſpectantur, & laudabilium urinarum ſunt notæ ac veluti regulæ. Ac conjecturam meam apponere non verebor: nec enim quicquam aſſentior, ſed dubitationem moveo. Quum in chyli elaboratione in ſimo hepatis, ut in ſanguinem abeat, utraque bilis & ſanguis appareat, quid erit alienum ſi hypoſtaſin pituitæ rationem obtinere dicamus? Pituita ſemicoctum eſt alimentum, & proxime in ſanguinem abit: albor qui hypoſtaſi adeſt, & quod materia hypoſtaſeos reſiduum alimenti dicatur, item quod in bilioſis & calore acri abundantibus parum ſit hujus excrementi, necnon prout ad coctionem magis proceditur, minus illius ſuperſit, ſatis efficiunt hypoſtaſeos materiam pituitam illam eſſe quæ progreſſu temporis abſolutionem acquirit. Unde Galenus, ſi tenuiter vivitur nullum eſt ſedimentum, ſi largius copioſum, ſi modice exiguum. Sed tamen ſi multum ſit ſedimenti etiam in ſanis, non propterea male omnia adminiſtrari colliges: hieme enim laudabilis & multa eſt hypoſtaſis, quum tamen, ſi quando alias, ubertas caloris nativi adeſſe dicatur. Non deſunt tamen qui quum urinas inter ſigna ſalubria & inſalubria ſtatuant, ex eo colligant omnino ſanum non eſſe corpus quum hypoſtaſis in urinis eſt: & aliquid morboſum eſſe dicitur, aut ex parte diætæ, aut corporis, aut caloris, ut quum natura omnino tranſmutare nequeat, ſaltem ſuum characterem imprimat, & ſui roboris notas exhibeat. Et ſi corporis integre ſani urina non habet ſedimentum, credibile eſt nullum eſſe corpus quod non reddat urinam cum ſedimento aliquo, ſaltem poſt coctionem, non initio paſtus: nullum enim adeo eſt ſanum, ut in omni mediocritate conſtituatur. Corpus enim ſanum omnino, quod ut Polycleti regula eſt, animo potius fingitur, quam revera tale exiſtat. Et quod in pleriſque ſanis hypoſtaſis non appareat, non tam hoc refero ad ſummam coctionis abſolutionem, quam ad viarum obſtructionem. Nullus enim integre ſanus eſt, cujus in urina non debeat eſſe aut enæorema, aut hypoſtaſis, tamquam roboris naturæ locuples argumentum. Quomodo hieme copiam ſedimenti optimæ coctionis legitimum indicium dicimus, & facultatem expultricem vegetam exiſtere: ſæpe enim expultrix facultas infirma materiam hypoſtaſeos non foras exigit. Et ut finem faciamus, copia ſedimenti in ſanis, ſi modo laudabile ſit, ex parte materiei ſigni neutrius rationem habet, ex parte qualitatum in materiam inductarum, ſigni boni & ſalubris: nam ad urinæ coctionem, ut & excrementorum reliquorum, ſatis eſt ſi naturæ robur in ſanis, in ægris autem vim ac potentiam contra cauſas morbificas oſtendi dicamus. Nec enim quia eſt aliquid ſuperfluum, ideo naturam imbecillam dicimus, ſed ſi in eo excremento cruditatis notæ appareant.

Vide ante. Quæſtione dignum eſt cum hieme ſit hypoſtaſis multa, etiam in ſanis; & aliis temporibus non ſit. Immo quo magis gulæ & genio indulgetur, eo fere minus eſt ſedimenti, & urinæ magis tenues apparent. Item, quæri poteſt cur in bilioſis non adeſt hypoſtaſis? Nam calor acer cruditatis aliquando auctor eſt.

An vero diverſa ſit materia hypoſtaſin in ſanis & in ægris faciens, &

(q) Natura.

Si cruditas eſt, hypoſtaſeos materia adeſt. Tamen quod attinet ad quæſtionem poſteriorem, dicimus qui calore acri abundant, potius corrumpere quam cruditatem efferre. Aph. 69. lib. 4.

an analogia de pure & ſedimento æque in utriſque intelligatur, locus jam poſtulat ut explicemus: deinde adverſus adductas neotericorum rationes debilitare conabimur. Ac primum ut omnis error tollatur, ne etymo verbi quis decipiatur, non quicquid in fundo urinæ ſubſidet, id ſedimentum eſt, niſi ὁμωνύμως (r). Aliud eſt enim fæx urinæ, aliud hypoſtaſis: quo pertinet illud: *Quibus urinæ craſſæ, grumoſæ, paucæ, non ſine febre, multitudo ex his veniens tenuis juvat. Præcipue vero tales veniunt, quibus ab initio, vel brevi ſedimentum ineſt.* Hoc loco, ut patet *ex com.* Galeni, & id ad rem maxime ſpectat, in urinis craſſis aliquid ſpectatur quod hypoſtaſis non eſt, aliquid quod vere hypoſtaſis exſiſtit. Quum enim Hippocrates urinas craſſeſcentes laudat, tenues damnat, de ea craſſitie quæ vi actionis fit audire oportet. Quædam enim urinæ craſſæ ſunt, & id ſymptomaticum eſt, ut in mulieribus ſæpe perturbatæ urinæ & jumentorum ſimiles apparent; aliæ craſſæ, morbo eunte ad criſin, & ea craſſitudo naturæ vi conciliatur. Sic eſt ubi tenues urinæ vituperantur, & ubi laudantur. Si tenues urinæ conferantur cum iis in quibus omnia ſunt perturbata & confuſa, laude non carent; ſi cum iis in quibus omnia ſuo quæque loco diſtincta ſunt, damnandæ ſunt. Et ſic quum in fundo urinæ aliquid eſt craſſum, divulſum, non uniuſmodi, id fæx tantum dicitur, & exonerationem aut partis alicujus, aut totius corporis ſignificat (ſicut quibus putris eſt lien, aut circum corpus ipſius lienis congeries eſt humorum, iis urinæ fundum habent veluti cinericium & limoſum; id non eſt ὑπόστασις (s).) Et quoniam character naturæ non impreſſus eſt, id ſymptomaticum dicitur, ſi rem ipſam ſpectes; ſin aliqua inde alienatio naturæ conſequatur, ſigni ſalubris ab eventu, non a cauſa, rationem habet: bonum enim eſt ut ſignum, ut cauſa nequaquam. Quum itaque dixit Hippocrates: *Tenuis juvat*, confert tenuitatem illam ea craſſitie quæ initio morbi (quo tempore nil ſalutariter excernitur) apparuit, legitimum magnæ perturbationis & cruditatis non evictæ argumentum. Λεπτὸν enim ſumitur ut extremum, & ut medium; extremum quidem, ut quum cruditas multa, necdum natura aggreditur coctionem: ut medium, ut quum perturbatæ confuſæque urinæ fuerint; deinde ad aliquam mediocritatem deveniunt. Illo modo *in libris de criſibus* τὸ λεπτὸν (t) damnatur, hoc vero modo *in Aphoriſmis* laudatur: ut tandem concludamus, illud quod reſidet in fundo urinæ diſſolutum ac diſſipatum malum ut ſignum & ut cauſa: ut cauſa, quia colluvies magna humorum quam natura non vicit: ut ſignum, quia perturbationem magnam notat, & caloris eam impotentiam ut omnes materiæ partes non ſubegerit: immo talis fæx ſuopte potius pondere in urinis ſubſidet, quam ſegregantis caloris vi: facta eſt enim a toto corpore veluti καταῤῥῆξις (u) quædam materiæ quæ naturam opprimebat. Quo in ſenſu forte audiendum illud: *Quibus urinæ diſtantes ſunt, iis perturbatio fortis in corpore fit. Inæqualitas quædam ſignificatur*, ait Galenus:

(r) Æquivocè.
(s) Hypoſtaſis.
(t) Quod tenue eſt.
(u) Diſruptio.

Galenus : *nam ſuperante natura, omnia æqualiter ſe habent : at ægris cauſis tumultuantibus, ac ei renitentibus, illud quod obtinetur atque coquitur aliam habet formam : renitens atque tumultuans, aliam.* Alii ad ſedimenti æqualitatem referunt, ut uno die non appareat urina cum ſedimento, alio die ſine ſedimento : hoc enim culpa non vacat, ut aperte Galenus explicavit. Et *in prorrh.* id dicitur ταχὺ ἢ ἐπ' ὀλίγον πεπαινόμενον, quum urina cito, & exigue coquitur, deinde coqui ceſſat ; quod vitioſum eſt : Unde Hippocrates, *Urinæ, quibus abſceſſus poſt aures fiunt, ſi celeriter & exigue coquuntur, malum.* Et quis quærat, quæ differentia itaque erit inter fæcem illam urinarum, & hypoſtaſin veram? In hypoſtaſi partium unio eſt, nil eſt ἑτερογενὲς (*x*), nil diverſum, ſed partium coitio fit ac concurſus : in fæce autem omnia ſunt diſſipata ac divulſa : illic vis & character naturæ elucet, hic materiæ victoria, & naturæ aut imbecillitas, aut oppreſſio, & veluti conculcatio. Ac vere illud eſt quod vulgo ex Ariſtotele citatur, coctione omnia incraſſat : Craſſities ea non ex mole ſpectatur, ſed materiei unione, æqualitateque definitur : hinc ſemen, lac, pus laudabile unum, craſſum, & ὁμογενὲς (*y*) dicitur. Nec nos fallere debet longinquitas viarum, per quas ſerum deductum eſt, & copia ipſius ſeri. Si enim a loco longinquiore devectum ſit ſerum, ſuam hypoſtaſin deferens, illa poteſt aliquantum divulſa apparere : ſed divulſæ hypoſtaſeos particula uniuſmodi exſiſtens, dat etiam indicium rei bene geſtæ ac adminiſtratæ. Ita enim Hippocrates. *Quibus inſidens pingue ac ſimul totum, iis renum vitium acutum ſignificatur.* Græce legitur ἐπίϛασις ἀθρόη (*a*), non ὑπόϛασις (*b*), ut quidam legunt. Is autem ſenſus : Quum colliquatio in corpore eſt, vel unius partis eſt, ut renum, vel totius corporis : ſi renum eſt, aliquid eminet in urina pingue : item ſi & a toto corpore. Sed hæc eſt utriuſque ἐπιϛάσεως (*c*) diſtinctio : nam ſi a renibus eſt, ἐπίϛασις (*d*) conferta eſt ac tota, in ſeſe ſuo nutu conglobata ; ſi a toto corpore, ob anfractuum varietatem ἐπίϛασις eſt divulſa, partibus videlicet rei eliquatæ diſſipatis, diſciſſis ac diſſitis : hoc exemplo illuſtratur in hiſtoria de uxore Nicoſtrati, & apertius libro *de morb. mulier.* Docet enim hoc libro diſtinctionis notas queis deprehendas excretionem eſſe aut ab utero ulcerato, aut a toto corpore : ſi ab utero eſt, κάθαρσίς ἐϛι πυοειδὴς ἢ σωληνῶδα (*e*) : ſi a toto corpore λεπτὴ ἢ ἰχωροειδὴς (*f*) : longitudine enim viæ materia diviſa ac confracta fuit. Idem de hypoſtaſi audiri poteſt, ne quis decipiatur. Eſt enim ubi a longinquiore loco materia decedit, & cum majori ſeri parte, & confertim magis minuſve affluentis ; eſt ubi e propinquiore. Porro non eadem videtur materia quæ hypoſtaſin in ægris, & quæ in ſanis facit. Quod primum veterum auctoritate, deinde ratione ſtabiliendum. Ac primum

Aph.33.lib.7.

Com. ad part. 26.lib.2.prog. Part. 61. ſect. 3.lib.1.prorrh. Et ex Hipp. licet venari duplex eſſe ſedimentum ἄκαιρον ἢ εὔκαιρον (z). Nam non deeſt craſſior quædam pars ſubſidens in urina, ſed id eſt intempeſtivum. In quibus enim febribus multus eſt calor, & flammeus fervor quemdam accendit crudorum & craſſorum humorum, par eſt aut non eſſe ſedimentum, aut eſſe crudum & incoctum, quod ἄκαιρον (g) vocat.

Aph.35.lib.7.

(*x*) Heterogeneum.
(*y*) Homogeneum.
(*z*) Intempeſtivum & tempeſtivum.
(*a*) Super eminentia cumulatim apparens.
(*b*) Hypoſtaſis.
(*c*) Superemineniæ.
(*d*) Inſidentia.
(*e*) Purgatio eſt puriformis & conſiſtens.
(*f*) Tenuis & ichoroides.
(*g*) Intempeſtivum.

Hipp 4. Epid. Et primo de morbis 1. de criſibus, & 1. progn. Cap. 7. lib. 1. de præſag. ex pulſibus.

mum ita Galenus ſedimentum in ſanis conſiderat, ut abſolute reliquias alimenti effugientis coctionem hypoſtaſeos cauſam ſtatuat: unde in ſanis aut ſedimentum eſſe, aut non eſſe, plus minuſque conſtituit pro ratione diætæ, temporum, corporum, alimentorum, & reliquorum id genus: at in morbis aliud eſt. Ita enim ait: *Is eſt vigor acceſſionum, ubi fuligino-ſum excrementum expiratione & contractione arteriarum natura expellit.* Quod vero eſt veluti cineritium, non proinde poteſt excernere, quia eſt craſſum, ſed per inſignes meatus educit; hoc in partibus inflammatis pus eſt, in vaſis ſedimentum urinæ: hinc patet ſedimentum partem eſſe materiei morbum committentis. Et licet tota materia cocta ſit, non tamen ea hypoſtaſeos materia eſt, ſed maxime ea pars quæ in extremis venis eſt, cujus reſolvitur id quod eſt valde tenue, ſedimentum fit in urina: alioqui tota morbi materia hypoſtaſis fieret, quod non evenit. Galenus confuſe admodum de hypoſtaſi ſcribit: nam *in primo progn.* de ſedimento diſputans non diſtinguit an velit nomine illo includere hypoſtaſin in morbis, an in ſanis: ſolum hoc abſolute enuntiat: Sedimentum velut pus obtinet generationem, & ei proportione reſpondet inter pus & naturales humores injectum: nam alimentum fugiens coctionem hypoſtaſis fit, nec ut ſanguis a natura commutatus, nec ut pus cauſæ præter naturam particeps. Si enim de ſanorum hypoſtaſi intelligit, quorſum eam comparationem cum pure facit, alimentum enim eſt, immo eſt ex dimidio coctus ſanguis. Si habet tantum rationem albedinis, & pus & lac, & pituitam multam, & chylum ipſum puri proportione reſpondere jure poteſt enuntiare. Sic iſta comparatio eſt inutilis, pace Galeni dicam. Si ſermo eſt de hypoſtaſi in morbis, revera valet quidem comparatio in uno, ſed male dixit alimentum eſſe refugiens coctionem: item, cauſæ præter naturam non eſſe particeps. Nam & materia morbifica quum ſit e genere τῶν ἀπιόντων (*h*), non autem τῶν τρεφόντων (*i*), & quum non admittat πέψιν (*k*), ſed πεπασμὸν (*l*), & naturæ gratiam recipiat, non ut nutriat, ſed ut deſinat moleſta eſſe, & facilius excludatur, cauſæ præter naturam eſt particeps. Materia enim ipſa per ſe aliena eſt a natura, & ſæpe calorem contra naturam in ſuo ſinu fovet. Et revera in ſingulis acceſſionibus eſt ſuppuratio quædam, & quod in ſtatu omnia non urgeant, & dolores & febres, quemadmodum in abſceſſibus dum pus fit, omnia exacerbantur, *Aphoriſ. lib.* 2. ſic utroque modo habet aliquid præter naturam: ex quibus patet indiſtincte de hypoſtaſi dixiſſe Galenum *in primo prognoſtico*: minus vero diſtincte etiam *in ſecundo prognoſtico* locutus eſt de ſedimento, dum notas ab Hippocrate aſſignatas explicat: nec enim docet an ſedimentum ſit e materia morbifica. Statim enim dicit nullum eſſe ſedimentum in iis qui tenuiter vivunt, copioſum in iis qui largius. Et quum maxima pars ægrotantium tenuiter vivat, immo quidam omnino a cibo per dies multos abhorreant, conſentaneum videtur ut nulla hypoſtaſis in urinis ſuperſit.

Quorſum

(*h*) Excretorum.
(*i*) Nutrientium.
(*k*) Concoctionem.
(*l*) Maturationem.

Quorſum hoc? Nam *in ſecundo prognoſtico* de morbis agitur, & materia morbifica per urinas, quarum pars eſt hypoſtaſis, excernitur critice: quorſum ad ſanorum vitæ rationem refugit? Præterea & alius eſt ſcrupulus: Hippocrates enim ita ait: *Urina optima eſt ſi hypoſtaſin albam, lævem & æqualem habeat per omne tempus, dum morbus judicetur.* Si in ægro hypoſtaſis de materia morbifica eſt, fieri non poteſt ut per omne tempus morbi appareat: nullus enim eſt qui ſua non habeat tempora. At principio nil ſalutariter excernitur; & ſi ab initio ſedimentum eſt, aut eſt tantum reſiduum alimenti quod quotidie capitur, aut inane quid eſt: Sic Hippocrates falſum ſupponit. Et hercle ex hoc loco colligere poſſit quis hypoſtaſin bonam ſalubre eſſe ſignum in morbis, non quod ſit quippiam defectum de materia morbifica (alioqui nec per omne tempus morbi appareret, & oporteret ingentem eſſe copiam hypoſtaſeos, ut morbo ſolvendo ſit) ſed quod materiam crudam obſequi naturæ deſignet, & quod natura circa alimentum rite verſetur, cujus nota eſt hypoſtaſis. Et hac maxime ratione nitetur, quod in ſanis ſedimentum non ſit, contra in ægris ob afflictionem naturæ, quæ minus bene alimentum conficit. Si ſit hypoſtaſis argumento eſt quod tum natura alimentum bene confecerit: Unde in multis febricitantibus hypoſtaſes videmus, & non deſinunt febricitare. In tertianis, & quartanis hypoſtaſes apparent laudabiles, quum tamen minus febricitare non deſinant. Sic ea in opinione quoſdam vidimus qui negent hypoſtaſin eſſe quid de materia morbifica, ſed ſi mala ſit, ſignum eſſe adhuc naturæ afflictæ, & laudabilis, naturæ vincentis. Sic eſt tantum ſignum, non cauſa: ſignum quidem naturæ materiam crudam vincentis, & alimentum conficientis: cauſa non eſt, quia hypoſtaſis ſolvere haud morbum dicitur. Et ſi de materia eſſet morbifica, non eſſet tantum analogia quædam inter pus & hypoſtaſin, ſed puri omnino ſimilis eſſet hypoſtaſis. Quod enim pus eſt extra vaſa, idem eſt hypoſtaſis in vaſis: febris enim eſt tamquam abſceſſus generalis venarum: loco tantum differrent. Pus materiæ morbi pars eſt; & quia foras depulit natura materiam, ideo foris apparuit; hypoſtaſis pars eſt quoque materiei morbificæ; utrumque notas eaſdem habet: ſic differre non videntur niſi loco. Immo quoſdam videmus in febribus paullo longioribus venas ſanguine plenas habere, & eo ita immutato in qualitatibus primis & ſecundis, ut pus jam ſit. Aperto cadavere cujuſdam mulieris valde cacochymæ morbo exſtinctæ, repertus ſanguis eſt plane purulentus in omnibus pæne venis. Et quod pertinet ad eam puris & ſediminis analogiam, obiter quæri poteſt, cur hypoſtaſis imo fundoque reſidens naturæ vincentis ſignum ſit, & in morbis ex eo colligas jamjam adventare mortem, quum pus aut purulentum ſputum non ſublime pendet, ſed in profundum aquæ præceps ruit. Id quod fortaſſe difficultate non caret.

Atque illæ rationes pondus aliquod habere videntur, ut credamus hypoſtaſin eſſe aliquid e materia morbifica: niſi forte rationes ſuperius adductæ in contrariam nos rapuerint partem. Ac revera haud aliena videtur eſſe diſtinctio de hypoſtaſi ſanorum & ægrorum: Si enim aliud quid eſt in ægris & in ſanis, in his habet rationem ſigni tantum, in ægris

ſigni

ſigni & cauſæ: ſigni quidem, quia ſi eſt hypoſtaſis vis naturæ ſignificatur, quæ quum nihil ſinat elabi niſi perfectum, quod omnino in alimentum non convertit, ſaltem ſuis qualitatibus inſignivit: In morbis autem, ut ſignum eſt & ut cauſa: ſignum, quia vim quoque naturæ ſignificat: ut cauſa, quia materia morbifica mitificata per urinas ſecedit, aliquando maxima ex parte, unde plerique urinæ profluvio liberati ſunt, aliquando aliquatenus. Sed quia hypoſtaſis materia & loco laudabilis eſt, ſignum dat ad bene ſperandum de futuro morbi exitu, aut ejus ſecuritate: non quod omnino expectemus ut tota materia hypoſtaſis fiat (abſurdum enim eſſet) ſed quum diu urinæ tenues, flammeæ & incoctæ fuerunt, ſenſim craſſeſcunt, materia jam putrefacta, & obſequente, & ejus ſero & craſſiuſcula parte venas ſubeunte, unde conatus naturæ, & materiæ præparatio ſignificatur: quod & in thoracicis morbis apparet: materia ſiquidem præparata, & victa a natura purulentum, & τὸ σαπὲς (*k*) extrudere e pectore dicuntur: & verbo politico id quod putrefactum eſt, vel putredinem excerni dicimus: hinc Hippocrates in contumaci pleuritide ſputum καταγλισχαινόμενον ἀσαπέως eſſe dicit, id eſt, maxime glutinoſum ſine putredine, id eſt, ſine coctione: Ασαπέως (*l*) enim idem eſt quod ἀπέπτως (*m*) Galeno. Et ob eam rem quidam veteres coctionem putredine ipſa definiebant. Et eam forte ob cauſam Hippocrates *lib. de Aliment.* pus alimentum venæ & arteriæ eſſe credidit: pars enim ſpermatica ſumme elaborato alimento nutritur: id autem colore pus refert, pus autem non eſt. Ut ergo in thoracis morbo σαπὲς ſignificat coctum, & id quod jam ad pus proxime accedit coctum dicitur: ita in venarum morbis iſtæ craſſæ, multam materiam putrem, albam & æqualem, immo, quod pæne dixerim, pus ipſum continentes, vulgus quidem ipſum perturbant, & contra Medicos bona ſpe conſolantur. Multa & pluribus diebus exiens hypoſtaſis bonum ſignum eſt, & cauſa in morbis; expellitur enim materia morbum faciens; pauca etiam ſub finem morbi bona eſt, nam declarat naturam ad primum ſtatum redire. Et ſi ſanorum urinæ quo magis coctæ ſunt, minus ex ſe ſedimenti habere debent; urinæ autem ægrorum tum demum bonæ ſunt quum ad ſanorum urinas accedunt, dum perfecta ſanitas ſeſe promittit: de hypoſtaſeos quantitate demitur, non autem de qualitate: quod notandum eſt. Nam & calor deponitur, & calor extraneus abit, & tenuitas abeſt, contra craſſities, hypoſtaſis multa, color bonus, chymoſis bona, & dum morbus plane deſinit, rurſus urina ſuam mediocritatem retinet, & hypoſtaſin nullam habet. Et hic eſt in operibus naturæ progreſſus: Unde in morbis venoſi generis tanti fit hypoſtaſis, ut ea præſente, & perſeverante nullus unquam interierit. Apud Medicos enim nullus interit apparentibus ſignis coctionis: quod eſt intelligendum vi morbi: nam ſi committitur aliquis error, mortis adeſt occaſio. Quidam dicunt apparentibus ſignis coctionis nonnullos interire præſertim ſi excernere

(*k*) Putridum.
(*l*) Sine putriditate.
(*m*) Sine coctione.

excernere id quod actum eſt non potuerit: poteſt enim ea ſufficere ad coctionem, non ad excretionem: at bonæ criſes non ſola coctione, ſed & excluſione ſunt æſtimandæ. Et quod antea objecimus de febribus intermittentibus in quibus aliquando laudabilis eſt hypoſtaſis, & tamen non ceſſant: ſi perſeveret hypoſtaſis, non eſt dubium quin ſecuritas & brevitas ſignificetur: brevitas quidem etiam ſi poſt tres menſes morbus non ſolvatur omnino: at brevitas eſt ad aliquid, ratione morbi quidem qui futurus erat multo longior. Et quod aliquando non ceſſet etiam apparentibus ſignis coctionis, id fit aut errore commiſſo, aut ſucceſſione novi morbi qui aliquid affine habet cum priore, aut inductione malæ diatheſeos in partem: Ratione materiei morbus ſolvi debuerat, at nova diatheſis inducta parti, producit omnino.

Porro, quod attinet ad eam hypoſtaſin quæ multa eſt aut pauca in morbis, licet ſit e materia morbifica, id ex ratione corporis, diætæ & morbi definiendum eſt. Ita enim Galenus: *Æger ſedimentum habet multum ſi morbus ex crudis humoribus fuerit. Nullo vero modo, aut omnino minimum, quoties biliоſus fuerit, ſed ſatis erit, ſi habeat* ἐναιώρημα. Et aliis locis quum ſermo injicitur de pueris, & iis qui otio & ſilentio vitam tranſigunt, & modo indulſerint genio, ait eos omnes, ſi ſanitati reſtitui debent, urinas habere debere, multam hypoſtaſin habentes, non ſemel, ſed diu. Quod obſervatum eſt experientia, niſi ſe alio materia propuerit, ut ſi per alium feceſſerit, aut abſceſſum fecerit. Ex morbis enim quidam per urinas magis, per feceſſum alii ſolvuntur: idque prout aut in gibba aut in ſima hepatis rapitur materia. Atque ut brevi abſolvam, quoniam paullo poſt de quibuſdam hypoſtaſeon differentiis in ægris dicemus, triplex omnino ſedimentum ſtatuemus. Indiſtincte hoc pronuntiatum eſt a Galeno ut ante dictum eſt, ſed tamen ex ejus ſcriptis id eruemus, ne forte ei gloriæ palmam præripiamus. *Unum* eſt in ſanis, ſive ſanitas abſoluta ſit, ſive non (nihil enim hic ad nos) quod hiems ipſa declarat, in qua hypoſtaſis eſt copioſa, & tamen ſanum vegetumque corpus exſiſtit: declarant & pueri, & qui otio abundant: tale autem ſedimentum e reliquiis eſt coctionis, indicat & inedia, qua ſedimentum imminuitur. *Secundum* eſt ſuccus crudus qui in multis redundat, quem natura ſubigere dum nititur, hypoſtaſin multam facit, corpore etiam integre ſano, aut ſaltem neutro: de utroque ſedimento *lib.* 1. *prognoſticon* egit: & prius omnino in ſubſtantiam converti poteſt, quia ad pituitam naturalem accedit: poſterius non ita, quamquam poteſt aliquid in eo eſſe alibile, præſertim ſi quid pituitæ naturalis adeſt; unde qui crudis abundant ſuccis, ii famem ferunt, quia ſuccus ille crudus rapitur in venas & coquitur; hujus index eſt ſuum ſedimentum. Quum enim hepar tenuiſſimum quid alliciat, quod in ſanguinem vertat, in meſenterio & inteſtinis multa ſuperfluunt: accedit quod quotidiana dejectione non omne ſuperfluum excernatur. Quale vero & illud, & quorſum manet? pituitæ rationem habet, niſi forte aut longiore mora, aut nova occaſione corrumpatur. Contra qui pravis abundant ſuccis non ferunt inediam, κορ-

Ad part. 26. lib. 2. prog.

Comm. ad part. 44. lib. 2. de Diæt. acut.

διαλγίας (*n*) inferunt: alimentum autem ἐπίκρασιν (*o*) affert. Unde nata distinctio inter τὰ ὠμὰ καὶ ἄπεπτα (*p*): hæc illis sunt deteriora: & τὰ ὠμὰ (*q*) naturæ gratiam recipiunt: immo ex iis mitificatis natura aliquid capessit alimenti: hinc Galenus: *ex pure nulla pars alimentum capit, at ex pituita & crudis succis capit*: In quo materiæ hypostasin facientis, & phlegmonem committentis distinctio latet: τὰ δὲ ἄπεπτα (*r*), ut bilis æruginosa, serum nitrosum, moderationem quamdam recipiunt, sed non eam gratiam recipiunt, quæ & ὠμὰ: immo sæpe τῶν ἀπέπτων πεπασμὸς (*s*) est tantum παχύτης incrassatio. Quod & Hippocrates præclare docet, fluxiones quæ ob humorum acrimoniam fiunt, restituuntur & curantur, ubi temperatæ & coctæ fuerint, ut in ophthalmia ardor oculorum cessat quum jam fluxiones fuerint coctæ & crassiores factæ: deinde subdit acrimoniæ temperationem in hujusmodi humoribus coctionem esse. Plura Galenus quum docet quid sit bilem coqui & pituitam: utrumque coqui dicitur, sed longe alia ratione. *Tertio* modo sumitur nomen hypostaseos pro ea parte materiei morbificæ quæ cocta, ac mitificata per urinas secedit, non tota quidem, sed pars ejus, ut ex parte hac judicare liceat de iis quæ sunt reliqua: nam cum materia cocta est, tunc Medicus, si forte natura id omnino non potest, datis medicamentis id quod reliquum est foras depellit. Ac duo notanda sunt, prius quod in omni morbo quem humor putris committit, duplex est materia, una tenuis & serosa, quæ ἰχὼρ (*t*) dicitur, & ea est quæ ὀργασμὸς (*u*) facit, & quæ a venulis arefactis trahitur: hanc partem tenuem domare ac temperare, coquere est: altera crassior, quæ in mesenterio reses una cum tempore coquitur ac mitificatur. Hoc & Galenus explicat de Epicratis uxore loquens: dixit enim morbum productum fuisse & acutum initio quod duplices essent humores bilioси & crudi: quod notandum; hinc fit ut quidam intra dies septem liberentur periculo & febre, domito humore tenuiore: sed crassior humor suas postmodum partes agit: hujus argumentum in hypostasi elucet. Et illud est quod fracta debilitataque vi morbi, aut profusio urinæ, aut alvi profluvium sequitur ægrorum commodo. Posterius autem, quod quum hypostasis adest, eaque laudabilis & multa, nullum est vel exiguum medicamentum quod non admirabiles effectus habeat: immo quum hypostasis apparet, eaque notas habet suas, & perseverat, plus uno medicamentulo proficitur quam duodecim etiam validis, tunc quum omnia cruda exsistunt: unde colligimus hypostaseos illius materiam partem esse humoris morbum committentis: & nisi averteremus cursum illius materiæ per urinas, dejectoriis medicamentis, diutissime urina proflueret cum multa hypostasi. Unde morbos quosdam urinæ multæ, crassæ, qualis Archigenis servo fluxit, fluxu solutos apud Hippocratem legimus. Avertimus autem cursum istum duabus de causis, una quidem, quoniam non esset bonum

Hipp. lib. de vetere medicina, & Gal. com. ad part. 44. lib. 2. acuto.

Ad partic. 44. lib. 2. acutor.

(*n*) Cardialgias.
(*o*) Contemperationem.
(*p*) Cruda & incocta.
(*q*) Cruda.
(*r*) Incocta.
(*s*) Incoctorum maturatio.
(*t*) Ichor.
(*u*) Orgasmos.

bonum omnem materiam morbificam a meſenterio traduci per gibbas hepatis, quod hercle fieret niſi impediremus: altera, quod dyſuriæ & ſtranguriæ inducerentur ſæpe: accedit quod confertim magis per alvum quam per venas & renes educitur. Ac nos teſtamur obſervaſſe in quadam muliere quæ febre putrida laborabat, quum omnia medicamenta purgantia averſaretur, & tamen purgationi locus eſſet, per octo menſes continuos urinas craſſas multa materia alba & purulenta plenas excreviſſe: revera materia erat febris: & incredibile dictu quantum minxerit. Quidam abſceſſum in renibus eſſe exiſtimabant: ſed contra; materia illa, quæ facile per alvum ſeceſſiſſet, ſubibat venas jam cocta, putrefacta (ut verbo antiquorum utar) & mitificata: & hypoſtaſin multam faciebat: argumento eſt, quod eo urinæ profluvio morbo ſymptomatis terrificis pleniſſimo liberata eſt: at medicamentum unum atque alterum hoc totum ſuppleviſſet. Præterea illud etiam obſervari poteſt in iis qui diu morbo ab humore putrenti nato fatigati ſunt, & obſtinato quodam animo a medicamentis abſtinuerunt, tota maſſa ſanguinis exalbeſcit, & proxime ad pus accedit: immo in leucophlegmatias incidunt defectu purgationis: quia communicatione putredinis, cujus humor ſubjectus non eſt eductus, carnes colliquantur & contabeſcunt, ſanguis multus veluti purulentus in venis adeſt, & quicumque detrahitur ſanioſus eſt. Maxime vero eam labem contraxit is ſanguis qui circum gibbas jecoris & ſimas ſtabulatur, & in partibus vicinis; facile enim corrumpitur. Hinc ſolvitur quæſtio, qui fiat ut frequentiſſime ſanioſus ſanguis ex vena baſilica ducatur, raro ex cephalica, niſi ingens in ſuperioribus partibus inflammatio fuerit. *Hipp. 4. de morbis.*

Reſtat ut quod primum fuerat ac præcipuum, & cujus cauſa ſuperior omnis diſputatio ſuſcepta eſt, pertractemus: illud vero eſt an ſit analogia inter hypoſtaſin & pus, & an hypoſtaſis ſit pars materiæ illius morbificæ quæ in febribus putreſcit. Duo enim iſta cohærent; ac de uno dictum eſt, ſed confutatis Fernelii argumentis de utroque magis conſtabit. Exiſtimabamus nobis rem tantum eſſe cum Fernelio, ſed dum res in procinctu eſſet, novus athleta lacertoſus & fortis obortus eſt, qui nobis quoque bellum indixit: is eſt Jo. Gorræus, qui ad ſingularem doctrinam ſummum judicium ſemper adjunxit. Sed liceat cum utroque ſeorſim experiri, ne victus cadam ſi cum utroque ſimul conſeruero. Fernelii hic eſt contextus: *Qui de fricitantium urinæ hypoſtaſi diſſeruerunt, illam ſtatuunt puri proportione reſpondere, eſſeque portionem humoris qui in febre computruerat, ſed jam coctam, ſecretam & vi naturæ depulſam cum urina; hoc in primis perniciosum eſt medicinæ commentum. Rationes hæ adducuntur.* *Cap. 17. lib. de urinis.*

1. *Ardentis febris materia, quæ torrida bilis eſt, nec in quid ſimile puri vertitur.*

2. *Febris materia in ſtatu morbi non excernitur purulenta, aut alba, ſed flava atque biliosa. Si qua igitur hypoſtaſis, ea non eſt pars materiæ quæ putruerat & quæ nunquam albeſcit.*

3. *Si materia in ſtatu excidit, non initio, ergo craſſior in ſtatu foret, falſum. Nam initio confuſa eſt urina, in ſtatu acutarum febrium tenuior. Ergo non eſt pars humoris qui putruerat, ſed ſimilem atque in ſanis materiam ob-*

tinet. Et quum apparet, ſignificatur dominium naturæ quæ ferocientes humores repreſſit, & quæ jam ad functiones priſtinas redit. Materiæ enim febris coctio non eſt ſuppuratio, nec maturatio proprie, ſed ſolius putredinis repreſſio. Et in ſtatu morbi materia ſæpe in venis concluſa eſt, & nil dum eriſi evacuatum, & tamen quia repreſſa eſt, urina cum hypoſtaſi purior exſiſtit, quæ ſedationem & victoriam declarat. Cui vulnus pus laudabile reddit, ſi febris ſuperveniat etiam primaria, pus pervertit & ideo vulnus ſiccat, quod inſitus calor laboret, nec recte coctioni incumbat. Ita per febres languidus calor, nequiens cibos ſecundum naturam coquere, nullam in urinis coctionem exhibet.

Hæ ſunt rationes Fernelii quibus partim efficere vult, nec febricitantium urinæ hypoſtaſin puri reſpondere, nec partem humoris eſſe morbum committentis: immo ſimilem omnino vult materiam in ſanis atque ægris: & in febribus coctionem non eſſe, ſed tantum putredinis repreſſionem quamdam. Quod ſi verum eſt, ſi quid decedit cum urina hypoſtaſin faciens, id ſignum tantum eſt, non cauſa: ſignum, quia tantum ſignificat calorem nativum, fracto & debilitato calore febrili, ſuperiorem eſſe, cujus nota & ſignum eſt hypoſtaſis. Antequam eas rationes oppugnemus, auctoritatem Galeni opponere oportet, quam ſcio a Fernelio nihili hic fieri, quia in Galenum de induſtria agit hujus opinionis primum aſſertorem: Immo Fernelii aliam auctoritatem ipſi Fernelio opponemus. Miror tantum virum in hac controverſia, in qua præter Veterum ſententiam aliquid ſentire velle viſus eſt, a ſe ipſo diſſenſiſſe, ut enim ſecum convenire prius oporteat quam de re diſceptetur, ſuo enim gladio jugulari poteſt. Galenus dum ex profeſſo agit de comparatione puris in abſceſſibus & phymatis, & materiei hypoſtaſeos in febribus putridis ita ſcribit. *Humorum putredo quæ fit in vaſis ſimilis eſt ei quæ in inflammationibus & abſceſſibus accidit. Sed eſt ubi natura ſuperat, eſt ubi ſuperatur. Superante quidem natura in abſceſſibus pus fit, in venarum humoribus aliquid quod proportione puri reſpondet ſubſidens in urinis. Et ea putredo aliquid in ſe habet coctionis. Sic ea putrefactio quam coctionem dicimus, ſemper ad unam puris ſpeciem, & ejus notas habentem terminatur.* Varias eo loco mutationes, in materia mala, aut omnino corrupta, aut ſemimala animadvertit. Si enim materia bona eſt, & calor valde infirmus, una mutatio evenit: ſi calor quidem bonus, ſed pernicioſa omnino materia, pus non fit bonum: & ſic in ceteris: Alio vero loco conciſius rem totam terminavit. *Tres in corpore omnino fiunt alterationes, una eſt plane ſecundum naturam, ut dum cibus coquitur: altera plane contra naturam, ut in humoribus plane putreſcentibus, nullam gratiam naturæ recipientibus: tertia mixta.* In prima viget omnino calor naturalis: in ſecunda omnino res ſunt contra naturam, & ex parte materiei, & ex parte cauſæ rei efficientis: in tertia materia quidem eſt contra naturam, ſed calor naturalis omnino evincere non poteſt. Sic potens eſt calor, ſed quia non patitur materia, in alimentum non convertit: at ſaltem, vim ſuam imprimit, unde magna commoditas ſequitur: declarant abſceſſuum maturationes, quæ poſt ſymptomaton moleſtias, ad bonum terminantur. Et quod in alimentum natura non convertit,

Cap. 6. lib. 1. de diff. feb.

Cap. 6. lib. 5. de ſimp. medic. facult.

vertit, ſatis officio ſuo fecit ſi in pus laudabile commutet. Et in peſtilenti conſtitutione notandum illud ab Hippocrate obſervatum: nam loquens de malignis abſceſſibus naturæ gratiam non recipientibus ait, ἢ τὸ ῥεῦμα συνισάμενον οὐκ ἴκελον τῷ πύῳ, ἀλλὰ σπιδνόν τις ἄλλη (x). Si enim materia iſta fuiſſet ἐυήθης (y), in pus converſa fuiſſet: at falſam tantum puris imaginem retulit, & ob putredinis excellentiam & peſſimam indolem potius oſſa corrupit, quam naturæ legitimum characterem recipit. Relinquemus illam ſolemnem quæſtionem a Medicis agitari ſolitam: an concurſus ſit naturalis caloris, & ejus qui contra naturam eſt, ad maturationem tum in abſceſſibus, tum in febrium humoribus. Quidam enim eumdem auctorem πέψεως & σηπασμοῦ (z) conſtituunt, & diverſos fines in materiei coquendæ vel mitificandæ diverſitate pendere volunt. Ex his locis patet Galeno placere hypoſtaſin, & vere puri analogam eſſe, & materiam aut ſaltem materiei eſſe partem ejus humoris qui febres committit. Et ſi, jam ut diximus, ut pueri a morbis liberentur, & mulieres, & deſides, & gulæ dediti, plurimam hypoſtaſin eſſe neceſſe eſt, plurimum crudi ſucci coqui neceſſe eſt. Is vero longitudinis morbi cauſa eſt, quia licet pars quædam evicta ſit, alia ob febrem ſuſcitatur quæ aut fovet febrem, aut ὑποτροφὰς (a) facit: & donec illa tota materia victa fuerit, coctaque, & tandem foras excuſſa, de morbo æger non erit ſecurus: immo ne ſi e parte affecta in aliam humor erit excuſſus, ſecuritas eſt, niſi natura in opus coctionis incubuerit. Hinc *comm. ad par.* 67. *lib.* 2. *prognoſt. ſi* peripneumonico abſceſſus fiat in cruribus citra coctionem, a peripneumoniæ quidem liberatur periculo, ſed metus eſt claudicationis, & difficilior eſt abſceſſus curatio: itaque & mitificatio & excluſio requiritur materiæ: hæc autem hypoſtaſin in urinis facit, niſi alio convertatur. Immo etiam licet morbus coctus ſit & jam ſalutaris abſceſſus, tamen non deſinit diuturnus eſſe & partem labefactare, quia fit loci mutatio a corpore interno ad externum: id quod Hippocrates 2. *de morbis* docet. Quod autem calor contra naturam, partes quaſdam ſucci crudi excitet ad fovendam febrem (licet jam aliæ partes ſuperatæ fuerint) & dolores excitandum, docte Galenus explicat. *Calor*, ait, *febrilis tenues humores conſumit, craſſiores attenuat.* Attenuare autem eſt quodammodo ſeroſos reddere, & propterea ad dolores inferendos reddere idoneos. *Comm. ad par.* 11. *lib.* 1. *prognoſt.*

Si itaque ea eſt Galeni aſſertio ratione & experientia confirmata, ut materia putreſcens in febribus coctione purulenta fiat, & hypoſtaſin committat partem materiei morbificæ deſectam, quid eſt, cur Fernelius juratus hoſtis antiquam hanc opinionem evertat? At objiciet ipſi Galeno locum illum *ex primo prognoſt.* quod hypoſtaſis cauſæ præter naturam non ſit particeps ut pus: quod ſi materia foret febris, ea & calorem contra naturam in ſe haberet, & per ſe mala eſſet, ut quæ putredine accita,

(x) Et rheuma conſiſtens non eſt ſimile pueri, ſed eſt quædam alia putrefactio.

(y) Benigna.

(z) Coctionis & maturationis.

(a) Recidivas.

tantas moleſtias attuliſſet: Et ſi ſudor pars materiei morbificæ tam graveolens eſt ſæpe, cur non hypoſtaſis? Immo ſi hypoſtaſis pars eſſet humoris morbifici, deterior ſæpe ex ſe eſſet, quam materia abſceſſuum: nam hæc non raro laudabilis eſt, ut ſanguis tantum quantitate peccans abſceſſum facit: contra hypoſtaſes non graveolent; quod ſi ad pus accederent, graveolentia non abeſſet: & quum a ventre graveolentia ſecedant, ſi de meſenterio in venas materia rapitur, cur non graveolet? Præterea adverſus Galenum objicere licet ea quæ adverſus Eraſiſtratum ſcripſit. Eraſiſtratus in febricitantium lotiis ſedimentum, non ſuccum mucoſum exiſtimabat, ſed pus: ignorans quod voraces per ſanitatem non exiguum quid ejuſmodi ſedimenti excernunt: Auctor *libri 2. de natura humana* explicans ea incommoda in quæ incidunt ii qui ſolita relinquentes munia ſe otio ac deſidiæ dedunt, ait eos pus excernere, per os e pectore, per urinas, per alvum. Galenus nomine puris ſuccum crudum intelligi vult, qui poſt aliquam elaborationem pus ipſum mentitur, atque ſubjicit Galenus multos ſe obſervaſſe otio deditos qui una cum urinis excernerent multa quæ a crudis ſuccis & mucoſis non differrent, atque id quod excerneretur puri ſimile eſſe, non ſecus atque id quod in thorace longiori tempore, inter coquendum, inficitur calore. At aliud eſt pus a ſucco crudo, & colore, & conſiſtentia, & odore. Si itaque hypoſtaſin urinarum in febricitantibus, aut pus, aut aliquid purulentum dicimus, in errorem Eraſiſtrati incidemus. At contra vult Galenus, id quod in febricitantium urinis apparet mucum eſſe, & ſuccum crudum, qui æqualitatem aliquam accepit vi caloris naturalis, & partium ſpermaticarum, non autem pus eſſe, nec quid aliud ab illo ſucco quem voraces per ſanitatem excernunt. Et ut ingenue fatear, loci hujus explicatio ad id quod quærimus, valde confert. Sed antequam objectiunculas has diſſolvamus, æquum eſt ut rationes Fernelii refellamus. Ad calcem autem libri referemus, id quod nos etiam pro Fernelio objecimus, & tandem Fernelium cum Galeno conciliabimus. Et hinc diſputandi principium arceſſemus.

Part. 16. lib. 2. de natura humana.

Dum integra ſanitate fruimur, actiones omnes ſunt legitimæ, & calor naturalis a nullo afficitur: dolor omnis abeſt quod in corpore omnia legitime adminiſtrentur; urinæ laudabiles, dejectiones & ſimilia: ubi primum febris communis animantium hoſtis oboritur, dolores capitis atroces, lentitudo corporis, vigiliæ, aut in ſomnum propenſitas, laſſitudo & pæne membrorum confractio adeſt: unde hoc? quia intemperies toti corpori inducitur evertens nativam temperiem, & tumultus excitatur; humores, qui prius erant ſereni & pacati, conturbantur ac cientur: nec hoc tam repente evenit: nam ſemen morbi jam ſepultum erat, quod levis cauſa eaque procatarctica ſuſcitavit. Et mirantur multi tam ſubitas morborum invaſiones: ſed morbi ſenſim fiunt ac generantur, at ἀθρόως ait Hippocrates, id eſt, de repente, ac confertim adoriuntur. Urinæ inflammantur ſæpe, conturbantur, alias tenues apparent, qui ſanguis detrahitur veluti ſanies eſt, abſceſſus fiunt, parotides, & id genus alia: quæ omnia declarant ſummum tumultum fieri, & alterationem, & permixtionem,

Hip. lib. 2. de diæta.

mixtionem, ſæpe alienationem. Idipſum Hippocrates explicavit: *Sanguis ad ſapientiam facit, præſertim quum ſuam habet* ἰωθυῖαν σύϛασιν (*b*), ut alio loco loquitur: id eſt, dum ſanguis complectens quatuor humores, qui συγγενόντα (*c*) dicuntur, quod parem vim ad generationem corporis noſtri obtineant, in ſua naturali ſtatione eſt, & ſuas inclinationes motuſque habet proprios, tunc ſanum animal eſt, & nil peregrinum animo obverſatur: ſed quum motio propria deeſt, & aut alteratio, aut confuſio permiſtioque rei alienæ fit, contra omnia eveniunt. Nomen autem συϛάσιως obſcurum eſt: nec aliquod verbum Latinum habemus, quod opponere poſſimus. Quidam ἥπατος σύϛασιν vocat, hepatis complexionem, non ſatis apte, ut quum aut laxius eſt, aut compactius: Latini melius σύϛασιν vocare poſſent conſtitutionem, ut quamdam ἐυεξίαν (*d*) indicet. Et αἵματος σύϛασιν vocare poſſemus conſiſtentiam ipſius ſanguinis, ut cujus partes uniantur & cohæreant: Ceterum ſanguinis σύϛασιν plenius explicat aliis locis, phrenitidis & febrium docens generationem: *quum bilis in venas commota fuerit, tunc maxime ad ſanguinem ingreditur, eum dimovet ex propria motione & ſolita compage, item calefacit, & ſeroſum facit: hinc homo febrit & deſipit.* Seroſum facere, Græce dixit ὑλιουρεῖν, id eſt, ſanguinem alium a ſe facere, & mixtione rei alienæ, & alteratione ipſa ob calorem alienum. Id brevius explicat quum ait cauſon fieri, quod venulæ arefactæ bilioſos & tenues ichores attrahant: ichor enim dum ſanguini confunditur eum alterat, immo alienat ſæpe. Sanguis enim & ſerum fit, & ſanioſus (ſanies enim conſiſtentia medium quid eſt inter ſanguinem & pus Celſo) maxime vero in corporibus humidioribus, ſi perflatu careant, & adſit febris: quod Ariſtoteles explicat. Si ſanguis (ait) immodice humeſcit, morbus infeſtat: ſic in ſpeciem ſaniei diluitur & ita ſeroſus fit (quod ὑλιῳρεῖν dixit) ut jam nonnulli ſudore cruento exſudarint. Atque credo ſudorum copiam quæ in cacochymis fit, & apparet a permiſtione alieni humoris aut ſeri contingere. Eumdem humorem, perturbationem, & alterationem in pariendis morbis explicavit, alio loco Hippocrates: Acutus morbus fit quum bilis in hepar ἐπιῤῥυῇ, καὶ εἰς κεφαλὴν καταϛῇ (*e*). Hepar enim intumeſcit, καὶ ἀναπτύσσεται πρὸς τὰς φρένας, id eſt, ad ſeptum expanditur, hinc anguſtiæ & oppreſſionis ſenſus initio paroxyſmorum. Et τὰς ἐπιῤῥοὰς ἢ χυμῶν (*f*) vocat, τὰς κινήσεις ἐκ ἢ ἰωθυίας συϛάσιως, veluti ex conſueta ſtatione ac compage emotiones. Huc denique pertinet nota dignus locus *ad particul.* 13. *ſect.* 1. *lib.* 1. *Prorrh. Crudus eſt morbus* (ait Galenus) *in quo una cum ſanguine bilis ſurſum fertur, quocumque tempore id fiat, & magis quippiam tale contingit quum igneæ caliditatis in cerebro collectæ immoderatio fuerit.* Hæc primum animadvertere voluimus, quoniam ex iis eliciemus nonnulla diſputationis fundamenta, quibus oratio noſtra innixa facilius Fernelii ſententiam labefactabit.

Hip. lib. de ſacro morbo, & 1. de morbis.

1. de morbis.

4. acutorum.

Cur in initiis paroxyſmorū febrilium anguſtiæ & oppreſſiones eveniant.

(*b*) Conſuetam concretionem.
(*c*) Congenita.
(*d*) Bonum habitum.
(*e*) Fluxerit & in capite conſtiterit.
(*f*) Transfluxiones ſuccorum.

bit. Si enim humorum confuſio fiat, ſi ſanguis alteretur, ſi alieni humoris ſuum locum deſerentis remiſtio fiat, antequam morbus ſolvatur, neceſſe eſt, & ſecretionem ſeri a ſanguine fieri, & id quod alienum eſt expelli, item putredinem corrigi. Ita videmus & phlebotomia, & alteratione, & purgatione, & ſudoribus, item contemperatione humorum morbos minui ac tolli. Ex quibus patet fundamentum illud Fernelii, quo ſuam aſſertionem a Veterum decretis alienam ſtabilit, nullum pæne eſſe. Ait enim materiei febrium coctionem nec ſuppurationem eſſe, nec maturationem proprie, ſed ſolius putredinis repreſſionem. Argumento eſt, quod quum in ſtatu morbi tota febris materia in venis etiamnum concludatur, & nil per criſin evacuatum ſit, nihilominus quia vi naturæ ſedata eſt, & repreſſa materia, urina purior exſiſtat, eaque cum hypoſtaſi quæ victoriam naturæ declarat. Primum enim falſum id eſt: nam dicere coctionem eſſe ſolum putredinis repreſſionem in morbis, idem eſt ac ſi dicas in phlegmone, quia poſt vigorem febris conceſſit, & ſymptomata mitiora fiunt, ſolum eſſe cohibitionem putredinis. Dum pus fit, febris major eſt & dolor, quia coctio fit, & pugna eſt inter calorem naturalem, & contra naturam in humore jam a natura alieno; non tamen prius dicetur phlegmone curata, quam pus evacuatum fuerit: id autem criticum eſt quid. Criſis autem non ſolum in mitificatione humoris conſiſtit, ſed poſt coctionem in evacuatione, quomodocumque ea fiat. Galenus quidem dum confert morbos ſalutares cum pernicioſis, ait quidem in morbis ſalutaribus diſpoſitionem in vigore meliorem eſſe: id autem fit, quia licet gravia adſint ſymptomata, tamen dum fit coctio, & ejus argumenta apparent, naturæ vis appareat, ut proxime de materia morbifica ſit triumphatura. Galenus 11. *meth.* roborandas eſſe perpetuo vires conſulit, quo natura putredinem ſuperet, ut ita ſuperata concoquat: nec enim prius coctionem perficit, quam putredinem repreſſerit. Itaque in morbis repreſſio putredinis veluti coctio quædam eſt καταχρησικῶς (*g*) ſumpta, aut potius ad coctionem προπαρασκευή (*h*). Galenus plenius id explicat, dum ait omnem coctionem morborum in alteratione humorum eſſe: ea autem alteratur & coctio a ſolis partibus fit ſolidis. Revera magna eſt analogia inter phlegmonem externoſque abſceſſus, aut internos, & inter febres a materia aliqua natas: nam quum in pleuritide factus eſt abſceſſus & materia purulenta adhuc concluſa eſt, tuſſes mitiores ſunt, febris remiſſior, alacritas ægri (niſi forte laterum ſumma ſit infirmitas, ut ea expectorando non ſint) ſed hoc nil ad morbum, aut id tantum evenit, quia putredo cohibita eſt? Nequaquam, ſed quia materia cruda partes habens ἑτερογενεῖς (*i*) mitificata eſt, & ad æqualitatem adducta. Hoc quidem ſcio non fieri niſi cohibitione putredinis: ſed tamen tota hæc actio a natura intenta, & a vi partium ſolidarum perfecta, non eſt ſimplex putredinis repreſſio, ſed coctio, maturatio, & ad æqualitatem reductio: & ſi materia pateretur, in alimentum cederet: ſic idem eſt agens, eadem actio, vis,

Ad Apho. 29. lib. 2.

(*g*) Abuſivè.
(*h*) Præparatio.
(*i*) Heterogeneas.

vis eadem in pepaſmo & coctione, ſed finis eſt diverſus, & a materia pendet. Quum eryſipelas fit, quum bilis furibunda involat, & adurit partes, quum ſerum acre moleſtias infert, applicatio τῶν ἀνωδύνων, καὶ ἐπιπερασικῶν (k) reprimit ac cohibet vim ac malitiam humoris, incraſſat quadamtenus, id repreſſio, id cohibitio putredinis & malignitatis, ſed coctio non eſt, nec maturatio, quamquam incraſſatio ſeroſorum humorum & acrium repreſſioque coctio quædam eſt, ſed id καταχρησικὸν; & in ferinis deſtillationibus uſu papaverum humoris pruritum facientis & indomiti incraſſatio quædam coctio eſt, unde poſtea natura promovet expectoratum: ſed id ſubflavum eſt ſæpe ac viride, ob qualitatem humoris illapſi in pulmones, contra albicans ac purulentum quodammodo, ſi pituita dulcis fuerit. Repreſſio quidem maxime fit humoris turgentis, turget bilis & ſerum inter ceteros humores, & orgaſmus maxime in bilioſis morbis & acutis cernitur: accedit & calor febrilis qui in ſpiritu & ſero concipitur, cujus temperatio, atque refrenatio coctionis legitimæ æmula eſt. At in morbis nullus humor eſt adeo tenuis qui non ſuſcitetur a quodam craſſiore reſide in concavo hepatis, aut meſenterio, aut ubicumque primarius eſt febris focus. Et ſerum quod a venulis arefactis trahitur ad febrium ardentium generationem, non aliunde ducitur ac deciditur, quam a contumaciore quadam materia quæ circum pancreas, & meſenterium tamquam ignobiles partes reſedit. Serum iſtud ſæpe temperatur, aut per ſudores excernitur; craſſior ejus pars, ſi in venis eſt, hæmorrhagia pellitur, maxime in ſynochis: ſi in meſenterio, diarrhœa, dyſenteria, aut larga alvi ſubductione: hinc ſolutiones morborum diſtinguuntur. Et idem morbus multis modis eodem in corpore ſolvitur, & judicatur. Quod ſi quædam tantum repreſſio humoris, non autem vera mitificatio & coctio ſpectetur, nil evacuationes inſignes conferrent. Et tamen materia eſt morbifica, alias per urinas diffuſa, alias in meſenterio latens, indicat id curatio. Et Hippocrates in curandis morbis non vult rationem haberi calidi, frigidi, humidi & ſicci, ſed acris, ſalſi, nitroſi. Quorſum hoc? Quia ſi intemperies ſola morborum cauſa foret, ſola temperatione, ac repreſſione quadam opus eſſet, & ſolus refrigerantium humectantiumque uſus conferret: ſic neglecta ſuccorum ſubſtantia, aut in eorum qualitates ſolum reprimendas, aut intemperiem corrigendam incumberetur. Quod periclitatores & ii qui circum carpi arterias phlyctænas, aut ulcuſcula excitant, aut refrigerantia applicant, ſe poſſe conſequi credunt. At contra humor eſt acer, aut ſalſus qui lædit, nec ejus ſola qualitas, ſed & ſubſtantia ſpectanda: argumento eſt humor vitreus implacabilem coli dolorem inferens. Et ut Hippocrates monet quum craſſiores maturioreſque factæ fuerint fluxiones, & ab omni acrimonia liberatæ, tunc & febres, & quæ hominem lædunt, tollunt: ſic deſiderat maturitatem & craſſitiem: hoc autem nil aliud eſt quam coctio. Idem judicium de iis ſuccis qui febres putridas accendunt: nec enim in iis refrigerandi conſilium tantum

Lib. de vete-re Medicina.

Lib. de vetere Medicina.

(k) Anodynorum & dolorem demulcentium.

esse debet: si intemperies spectetur, verum id quidem, sin succus, nequaquam. Quod autem alio loco scripserit omnem febrem refrigerari debere, si quartanam exceperis, id non evertit, quæ superius dicta sunt: omnia enim ex comparatione audienda erunt. Sed & ad ea quæ diximus, accedit Galeni sententia: *Si* (inquit) *contigerit in humore putrente accendi febrem, hic indicatio est alterandi & vacuandi. Alteratio putredinem finit manente adhuc substantia*: in quibusdam codicibus legitur, non μενούσης οὐσίας, sed αἰτίας (*l*): melius legeretur οὐσίας. Evacuatio vero est quæ totam ex corpore substantiam educat. Dicta alterationis species, concoctio quidem est: & *in libris methodi medendi* dum febres putridas curat primum de tollenda obstructione laborat, tum putredinem attingit, postmodum febrem ipsam curat. Et alio loco utendum esse balneis in febre putrida censet quum materia putrens aut cocta fuerit, aut evacuata. Alias enim humorem solum & morbum fientem considerabamus, alias morbum factum, & partium solidarum affectionem. Nam si Galeno 1. *Ep.* sanitas partium solidarum in earum symmetria consistit, quum intemperies inducta est, & morbus est, & naturæ ipsi, quæ est vis partium solidarum, vis illata est: & quum partes solidæ ægrotant, morbus factus dicetur. Partibus enim solidis sua symmetria restituenda: & quum illæ affectæ jam fuerint, frustra evacuantia sæpius præscribis: nam ipsius & χράσιως & συσάσιως (*m*) ratio habenda est. Sic licet Fernelio concedamus repressionem putredinis aliquid maximum esse, non tamen desinit expectari evacuatio materiæ quæ putruerat. At hoc non expectat Fernelius; sed paullo post dicemus, in quibus morbis expectari debet, & in quibus non.

Hipp. lib. de locis in hom.

Gal. cap. 89. lib. de arte parva.

Gal. meth.

Ac quod ultimo quidem loco Fernelius astruxerat, primo quidem examinavimus ac refellimus: hinc enim disputationis fundamentum peti videbatur. Nunc singulas rationes diluamus. Audacter quidem pronuntiat commentum esse in arte medendi pernicioſum asserere hypostasin partem esse materiei morbum committentis. Si hoc ita pernicioſum, cur idem ipse asseruit sui dissimilis, adeo ut nullus eum secum conciliet? verba ejus sunt alio in loco: *Venarum succus putrescens in aliquid mutatur quod est puri finitimum, cujus in urinæ sedimento notæ sunt conspicuæ*: hoc vero est in quo laboramus, & Galeno contra Fernelium militamus. Sed quod *in libro de febribus* junior & disputandi studio accensus, jam senior & experientia doctior factus retractavit. Errasse humanum fuit, sententiam autem mutasse in eo præsertim ministerio quod utilitatis causa posteris traditur, summum viri judicium ac prudentiam significat. Ac prima ejus ratio ejusmodi est: ardentium febrium materia nec in pus, nec in aliquid simile puri verti potest. Si in iis itaque hypostasis fuerit aliqua, aut non est pars materiei morbificæ, aut etiam ipsius alimenti pars est. Hæc ratio parum nititur, multisque modis debilitari potest. Sit ita, flava bilis non convertatur in pus, aut quid simile puri, hoc tamen non efficit

Fernelius secum pugnat lib. 3. Therapeut.

(*l*) Manente substantia, sed causa. (*m*) Crasios & constitutionis.

cit in aliis febribus, partem materiæ morbificæ hypoſtaſin non facere: in ſynochis enim putribus, tertianis nothis & quotidianis ſuccus craſſior hypoſtaſeos materia eſſe poteſt. Nam & in iis qui in otio degunt, & in quibus crudorum humorum copia eſt, & multam hypoſtaſin eſſe oportet, & diu craſſas urinas fluere, ut ſanitati reſtituantur, niſi forte alio materia convertatur: & tunc laudabile ſedimentum naturæ victoriam, non in cibum, ſed in ſuccum crudum morbi parentem ſignificat: quamquam & ejus vis in alimento conficiundo parere debet. Itaque in morbis biliosis quidem non neceſſario hypoſtaſis apparet ad ſolutionem, ſed ſæpe ſufficit enæorema: in aliis morbis non idem eſto. Quid, ſi etiam dicamus bilioſos morbos hypoſtaſin habere ſubflavam? nam & Hippocrates annotavit quaſdam in morbis hypoſtaſes ſubrubras, & læves, & quaſdam bilioſas. De bilioſis ita ſtatuit: *quibus bilioſa ſedimenta ſupra tenuia acutum morbum ſignificant.* Et quoniam adverbium τὸ ἄνωθεν (*n*), & ad locum & ad tempus refertur, hic non ad locum, ſed ad tempus quo ſedimentum apparet, referetur: ut hic ſit ſenſus: Urinarum hypoſtaſes quum alioqui ab initio tenues fuerint, poſtea vero bilioſæ, acutus morbus ſignificatur. Bilioſus enim humor ſemper acutos morbos parit; ſic bilis hypoſtaſin ſuæ naturæ & coloris facit. Et quoniam bilis quid tenue eſt, potius nata eſt parere ἐναίωρημα (*o*) quam ſedimentum: unde in bilioſis morbis ſufficit ad ſolutionem morbi, aut ad tempus ſpeciemve criſeos enæorema: quod contra Fernelium facit: hoc enim declarat id quod continetur in urina aliquid eſſe de materia morbifica, quum pro varietate cauſarum evariet. Si enim pituitoſus morbus eſt enæorema inchoatæ coctionis nota eſt, hypoſtaſis vero perfectæ: ſi bilioſus, non eſt neceſſaria hypoſtaſis. Quod ſi alimentum ſolum in morbis hypoſtaſeos & enæorematis cauſa eſſet, nil hæc faceret diſtinctio. Pauca bilis magnum morbum, & plenum moleſtiarum facit, at alius humor nonniſi aut copia, aut aliena admodum qualitate id præſtat: itaque in morbis a bile non ita requiritur hypoſtaſis, in aliis contra. Contra tamen aliquis objiciat, ſi bilioſus humor acutos morbos facit, & acuti morbi, præſertim qui febrem comitem vehementem habent, a bile ſint, ubi bilis dominatur morbumque facit, ubi acuties morbi, hic non hypoſtaſis deſideratur? Cur itaque paſſim Hippocrates *in Epid.* morborum acutorum narrans hiſtoriam hypoſtaſeos meminit? & quum *in Prognoſticis* ex profeſſo de acutis morbis agat, requirit hypoſtaſin ſuis dotibus ornatam? Si enim aut raro, aut nonnumquam in acutis humor hypoſtaſin facit, fruſtra ejus mentio injecta eſt: ſiquidem ſi hypoſtaſis eſt in acutis, vel pars eſt humoris bilioſi, vel alimenti reliquum eſt, vel ſucci crudi. At revera aliter res habet in bilioſis morbis, aliter in pituitoſis: quum enim morbus ex crudis eſt humoribus, hypoſtaſis multa eſt: ſi ex bilioſis, aut nulla eſt omnino, aut omnino minima, ſed ſufficit enæorema (ut dictum eſt) corpulentum & candidum: hoc ſi ſufficiat, cur quotidie in acutis hypoſtaſin expectamus? In acuti mor-

Comm. ad par. 33. l. 3. prognoſt.

Comm. ad Aph. 32. l. 7.

Comm. ad par. 24 lib. 1. prognoſt.

(*n*) Quod eſt ſuperius. (*o*) Enæorema.

bi paroxyſmo pulſus inſignis mutatio, urina tenuis apparet: eodem deſinente, pulſus remiſſior fit, urina coloratior, nonnihil in medio ſuſpenſum habens, numquid id naturæ declarat victoriam? Ac jam diximus aliud eſſe ὠμὸν, aliud ἄπεπτον (q): crudus humor ad hypoſtaſeon multitudinem facit: incoctus non ita ſæpe, ſed ſola ſæpenumero repreſſione & contemperatione naturæ gratiam recipiens, per quamdam occultam viam excluditur: exemplo erunt eryſipelata, & phlegmonæ, illa non quantitate, ſed qualitate humoris ſeſe produnt: hæ quantitate potius. Et quæ ἀναλογία (r) inter utraque, eadem inter bilioſos & pituitoſos morbos: in bilioſis enæoremata judicando aut indicando ſatis ſunt: in pituitoſis hypoſtaſis neceſſaria eſt. Porro eſt ubi enæoremata ſigna ſunt incipientis coctionis, eſt ubi ſigna ſunt perfectæ: nam & enæorema & nebula quarto aut ſeptimo die apparens, futuram hypoſtaſin undecimo aut decimo quarto docet. Contra in ſanis dum coquitur alimentum, & aliquid coctionem fugit, hypoſtaſis multa eſt: quum abſoluta coctio, aut nebula tantum eſt, aut enæorema. Et in morbis quum diu hypoſtaſis multa apparuit, quo propius ad ſanitatem acceditur, eo minus aliquid ſubſidet, & aut enæorematis, aut nebulæ occaſio eſt. Sic idem eſt ſignum incipientis & perfectæ coctionis, ſed diverſo tempore. Accedit quod in ſanis hieme plurimum eſt ſedimenti laudabilis, æſtate minus. Et quod de ſanis dicitur, idem de ægris dici poteſt. Æſtivi morbi enæoremate contenti ſunt, hiemales multam hypoſtaſin habent. Rei hujus cauſa cognita, ad id quod quærimus plurimum facit. Unde commentum eſt credere hypoſtaſeos materiam partem eſſe alimenti præſertim in febribus. Initio febrium pulſus retrahitur, urinæ tenues ſine enæoremate & nebula; in vigore æſtus, pulſus ut in abſceſſibus, omnia acerbiora: ſub finem paroxyſmi urinæ tinctæ, craſſæ cum enæoremate aut hypoſtaſi: febris ſolvitur. Annon id de materia morbi? A meſenterio vapor aut quid tetrum ſurgit, cujus victi ſignum eſt in urina. Quum materia peſtilens nil horum paret; an ſymptomaton ceſſatio fiet, quia cibus bene coquitur, cujus pars hypoſtaſin facit? non: ſed quia materia mala domita eſt, & pus velut facta. Sic hypoſtaſis analoga eſt puri: in febribus eſt velut venarum abſceſſus: in longo morbo materiæ ratio potius habetur, ni forte ad diatheſin recurras, in acutis qualitatis potius, & falli poteſt in bilioſo humore judicando. Sæpe excernitur humor colore bilioſus, qui conſiſtentia eſt pituitoſus & μυξώδης (s) & facere poteſt hypoſtaſin. Per alterationem aut calor imminuitur, aut elangueſcit, & craſſa materia hypoſtaſin facit quum cocta eſt & mitificata. Et in bilioſis morbis ſpectatur turgens materia, aut aliqua reſes & ignava: illa cauſa erit conjuncta, hæc antecedens: illa per venas & arterias fertur, aut vaſis continetur, aut egreditur, ut in phrenitide; hæc in meſenterio manet, a quo vapor manat in has aut illas partes ſæviens: ſi partem illam tenuiorem ſpectas, ſufficit enæorema, & ſi urina in colore & conſiſtentia ſit laudabilis, ſalutem

(q) Crudum, aliud incoctum.
(r) Analogia.
(s) Mucoſus.

ſalutem promittit, immo ſolus ſudor alias ſufficit. At craſſior pars materiæ vel in meſenterio ſtabulans, aut morbum protrahens, aut novum accerſens, aliam criſin, & aliud in urina requirit, antequam perfectæ curationis ſpes adſit: hinc die indice ægri magnis ſymptomatis liberantur repreſſo humore morbifico & impetu ſedato, & tamen non ſunt plane reſtituti: & aut lenta febre laborant, aut tabent, aut ex acuta in aliam labuntur κατὰ τὴν μετάπτωσιν (t), aut in hæmitritæon qui morbis longis ſuccedit: & in his non nebula ſufficit, ſed hypoſtaſis neceſſaria eſt. Ex his alii abſceſſus magnos, alii profluvia ventris aut urinæ patiuntur: quæ omnia ſunt ſymptomatica, ni appareant coctionis argumenta. Quum vapor excitatur putris febrem inducit, hoc excuſſo paroxyſmus finitur: quod remanet, ſi putre & crudum eſt, morbum etiam fovet, donec aut reprimatur putredo, aut humor coquatur, qui totus excludi debet. Si εὐήθης (u) eſt, gratiam naturæ recipit: ſi κακοήθης (x) non ſolum mitificari debet, ſed & excludi, alioqui moleſtias infert. Cleonactides acute initio febriit, febris remiſit, & ad ſexaginta dies duravit ob duplicem materiam in meſenterio forte ſtabulantem, quod longorum morborum penu & ſentina eſt omnium judicio. Fernelius hujus rei inventionem ſibi arrogat: quaſi vero Veteres ignorarint meſenterium eſſe fontem melancholiæ hypochondriacæ, diarrhœarum, & infinitorum aliorum morborum, & huic ſemper ſatiſque conſuluerunt: immo nil eſt tam vulgatum, quam quod vulgo fit, ut perpetuo in expurgando meſenterio laboretur: ac credo omnes pæne febres (ſymptomaticas quaſdam excludo) cauſam habere in meſenterio incluſam. Ut ad rem redeamus, materia illa quidem & ſerum quod per venas ſparſum orgaſmum facit, non facile quidem in pus aut aliquid ſimile puri convertitur, ſed reliqua materia craſſiuſcula quæ reſidet & reſtagnat, & quæ cocta ſubit venas, & proinde renes, & contentum urinæ fit, poteſt. Quid ſi objiciamus Fernelio pleuritides ſæpe ſuppurato curari? At maxima verarum pleuritidon pars a bile eſt: declarat tertianus paroxyſmus: eſt enim & pleuritidi & phrenitidi proprium ut tertio die potius ſuas habeant exacerbationes: præterea & conſtitutio partis ſuſcipientis id ſatis indicat: quum enim dura ac membranoſa ſit, non facile admittit craſſos humores, tenues, cujuſmodi eſt bilis, facillime: quæ omnia aperte demonſtrat Galenus, & auctore Hippocrate a pleuritide ad cauſon facilis fit tranſitus: Id facit humoris maxima analogia: huc accedit, quod apud Veteres & peripneumonia, & pleuritis abſolute ſignificabatur nomine τῆς χολῆς: & ἡ χολὴ (y) pleuritin κατ' ἐξοχὴν (z) ſignificat, non tam ſæpe peripneumoniam. Hæc ſiquidem a pituita potius eſt putreſcente, cujus tenuior pars accenſa æſtus ſummi & febris cauſa eſt. Accedit, & quod quum pulmo bilioſo ſanguine nutriatur, parſque dicatur temperie bilioſa, ejus excrementum aliquid habens cum parte, cujus eſt excrementum, συγ-

Comm. ad Aph. 12. l. 1. Aphoriſ. Comm. ad Aph. 33. lib. 6. Lib. de locis in hom.

 γενὲς,

(t) Per tranſmutationem.
(u) Boni moris.
(x) Mali moris.
(y) Bilis.
(z) Per excellentiam.

γενὲς (a), ad naturam bilioſam accedat. Præterea quid dicat Fernelius, ſi ei objiciamus eruptionem parotidon, quæ tamen critice in morbis maxime bilioſis apparent? Et quod mala ſit criſis, id non fit quod non ſit aliquid de materia morbifica, ſed quod locus non ſit capax, & quod tota non excludatur: accedit & principatus loci cui finitima eſt parotis. Galenus autem eo vituperat parotides quod abſceſſus ad partes inferiores non fiat. De parotidibus longa & perplexa eſſet diſputatio, tamen obiter unum quærendum, cujus nimirum humoris naturam retineant, an calidi, an frigidi. Si humor frigidus eſt, & ægre ſuppurabilis, ut paſſim evenit (licet caloris ſenſus adſit) cur in morbis acutis ſæpius eveniunt, quod experientia obſervatur? Si calidus, cur tam difficulter ad ſuppuratum ducuntur, & in iis maxime febribus continuis obtingunt, in quibus affectio quædam eſt veternoſa, ut Hippocratis ſcripta teſtantur? Quamquam alio loco aſſerit in faſtidioſis quibuſdam vigiliis parotides excitari. Sed hoc omnino verum non eſt niſi alia concurrerint. Revera ut difficultatis nodus ſolvatur, ita res brevi explicanda. Parotides & a calido humore eſſe videntur, & in calidis morbis, & naturis calidis: de naturis calidis ita ex Hippocrate apparet: Quum eſſet auſtrina tempeſtas, in qua humor ſubfrigidus foret auctore Galeno oboriebantur parotides non omnibus, ſed junioribus & athletis: humor e genere eorum erat, qui mediam naturam retinentes æque proni ſunt ad motum deorſum atque ad aſcenſum, ideo ſola ætas calida & vitæ inſtitutum humores incitans & calefaciens hunc motum adjuvit. Et paſſim alibi apparet abſceſſus ad caput fieri in calidis naturis, & ubi humores fuerint calidi & ſubtiles: contra eveniunt abſceſſus deorſum, ſi materia fuerit frigidior & calor non multus. Contra tamen quis objiciat criſin per excretionem fieri in morbis acutis, per abſceſſum in diuturnis & frigidioribus; at parotis abſceſſus eſt, unde Galenus abſceſſuum omnium commune eſt, quod diutius ægrotanti ſuperveniunt: Deinde ſi materia deſes fuerit & deorſum vergat, ad pedes fiunt, ſi calida & ſurſum repat, vel cervicis capitiſque gravitates fuerint, & dolores & faciei rubor, ad caput tendit abſceſſus. Quicquid ſit, videtur parotis nonniſi longiore jam facto morbo erumpere. Hinc Galenus: rationi convenit, ut ægro cunctante ex convulſivis & comatoſis, ubi protraxerint, parotides oboriantur. Tandem alio loco concludit, *ſucci ad caput recurrentes calidi quidem & tenues deſipientiam & hæmorrhagias excitant, craſſi autem & frigidi comata & parotides.* Et *in Epid. ſuppurationes ex aliis occaſionibus fiunt, ut quæ in febribus obveniunt, in quibus humores ſunt acervati multi, craſſi, crudi, qui ob vehementiam & acuitatem & copiam febrilis caloris caput petunt: deinde hoc in aurium adenas natura deponit, unde parotides oboriuntur.* Ac ſi dicat materiam ſæpe eſſe crudum ſuccum & craſſum, qui ſuperiora petit ob acuitatem, vehementiam & copiam caloris febrilis, ab eo veluti attenuatum & confractum: nam comata, & ſurditates & parotides etſi aliquando a materia ipſo in capite contenta oriantur, tamen non minus, immo magis cauſam agnoſcunt materiam a thorace

Comm. ad part. 68 ſect. 3. lib. 1. prorrh.

Part. 66. ſect. 3. lib. 1. prorrh.

Part. 64. ſect. 3. lib. 1. pror.

In Comm. lib 6. Ep.

Ad par. 64. ſect. 3. lib. 1. prorrh.

Ad par. 69. ſect. 3. lib. 1. prorrh.

Ad part. 76. ejuſdem libri.

Ad par. 16. ſect. 1. lib. 1. Epid.

(a) Congenitum.

thorace & ventre manantem : & *Com. ad Apho.* 74. *lib.* 4. *Quibus caliditas major magis materiam ſublevavit, vel hæmorrhagia, vel parotis inde ſequitur* : eſt enim veriſimile in febribus & pulmonem, & caput, & alias partes quæ in ſe congerunt excrementa ſeſe exonerare : hoc dum fit, ſi febris non adeſt, parotides & excrementa pulmonum, minus mala ſunt, contra, ſi febris adeſt : nam pejora reddit omnia excrementa febris. Sed eſt alius locus uberior, obſcurior tamen ob dictionis Græcæ obſcuritatem, & lacunam quæ temporum injuria contigit : arguit *auctorem libri prorrh.* quod ſigna parotidon ita confuſe pertractarit, nam & ſurditatem, & jactationes, faſtidiaque in febribus eruptionis parotidon dant indicia, præſertim ſi carotica ſit affectio : at Galenus contra hæc ſigna, nempe ſurditatem, jactationem ſummam, cervicis & capitis gravitatem, & alia id genus non minus ſigna eſſe deſipientiæ & phrenitidis, quam parotidon eſſe contendit, ſed hunc dioriſmum affert : *In biliosis quidem humoribus idque ab initio morbi hæc deſipientiæ ſigna erunt potius, in crudis craſſiſque humoribus morbo procedente, & magis ubi occupaſſe parotidon generatio apparuerit, ipſarum parotidon ſigna erunt.* Hoc nempe univerſale caput eſt in parotidibus, ſi non amplius lateat quod invaſit, ita ut æger impetum infectantium humorum caput petere ſentiat. Locus meo judicio male tranſlatus eſt, & obſcuritas ſumma eſt in dictione, περιεσηκὸς (*b*), quam bis hoc in loco uſurpavit. Nam quum dicit, ἢ μᾶλλον ὅταν φαίνηται περιεσηκυῖα ἡ τῶν παροτίδων γένεσις, ita vertit Interpres, *ubi occupaſſe parotidon generatio apparuerit* : Nos γένεσιν περιεσηκυῖαν (*c*) dicimus : apparentia quædam ſigna tumorum pone aures. Et quum dicit Interpres, *univerſale caput in parotidibus eſt, ſi non amplius lateat quod invaſit*, lacuna eſt ita reſtituenda, εἰ μὴ λανθάνῃ τὸ περιεσηκὸς : male vertitur, ſi non lateat quod invaſit, melius, ſi non latuerit, id quod aggreditur ac præoccupat, ſupple, locum pone aures, ut τὸ περιεσηκὸς fere idem ſit ac γένεσις περιεσηκυῖα, id eſt, generatio parotidon ſeſe repræſentet ac ſiſtat, ut & tumor aliquis & dolor oboriatur circa locum quem occupare ſolent parotides : Et male etiam Interpres vertit aliam periodon, ὡς κάμνων τὴν ῥοπὴν τῶν ἐνοχλούντων χυμῶν εἰς τὸ περὶ τὴν κεφαλὴν τόπον ἔχει : *ut æger impetum humorum caput petere ſentiat*, melius, utpote quum æger impetum humorum infeſtantium habet ad locum qui circum caput eſt : Aliud eſt dicere τὴν κεφαλὴν (*d*), aliud τὴν περὶ κεφαλὴν τόπον (*e*) : hæc periodus monſtrat vim τῶν περιεσηκότων quod aggreſſionem & partis juxta caput obſidionem ſignificat, interpres male prætermiſit. Ac difficile eſt de parotidon materia ſtatuere. Ac fortaſſis earum materia generatione calida eſt, & morbi biliosi vera materies, ſed ob mutationem loci & naturam ſuſcipientis loci refrigeſcit, vel materia initio morbi calidior, progreſſu incraſſatur, nec enim parotides aut abſceſſus apparent, niſi affecto progreſſoque morbo ; una tamen exceptio eſt, nam in laborioſa

Comm. ad part. 67. ſect. 3. lib. 1. pror.

(*b*) Quod conſtiterit.
(*c*) Generationem conſiſtentem & conſtantem.
(*d*) Caput.
(*e*) Locum circa caput.

laborioſa febre initio argumenta abſceſſus apparent, & illius febris proprium eſt, ut cito abſceſſus fiat, nec longius tempus expectetur, ut in aliis febribus. Ad Galenum ut redeam, Sudoris materia a calido loco eſt, & ſæpe calida, ſtatim frigida ſentitur: dum bilis aut alius humor cum ſanguine confunditur, & vi caloris partis mittentis, & incendio recipientis ad cerebrum fertur, ibi moram trahens cogitur ac congelatur: dum in propinquas frigidas rejicitur, refrigeratur magis & hinc ſuppurati difficultas; in continuis febribus poſt vigilias quas acer caliduſque humor committit, cataleptica & carotica contingunt, & alteratione cerebri, & vi opprimentis humoris & attracti, & elati, & in cerebro coacti & refrigerati: declarat curatio. Nam evacuationibus & alvi profluvio morbi moleſtiis liberantur, niſi ſola alteratio aut alienatio in cauſa ſit. Ergo ſi bilioſi morbi parotidas cient, non initio, non quum bilis fervet, ſed promoto morbo, & cerebro malis exhalationibus repleto, ut bilis quodammodo temperetur, cur non idem humor materiam hypoſtaſi ſuggeret, bilis enim ita φλεγματοῦται (*f*): errat qui id non credit. Patet quod alias natura ſolo putredinis repreſſu contenta eſt, alias requirit excluſionem materiei a calore evictæ. Id indicant abſceſſus morbos ſolventes, & copioſæ urinæ ab abſceſſu liberantes: hinc Hippocrates abſceſſus qui non ſolvunt ad primas criſes, longitudinem morbi ſignant: Græce ἀποστήματα μὴ λυόμενα (*g*), vox λυόμενα (*h*) ab aliis active redditur, ab aliis paſſive ut dicant, abſceſſus qui non ſolvuntur. At quis ſenſus eſt? melius active, abſceſſus qui non ſolvunt, ſupple, morbum protrahunt: ni velis ex Hippocrate paſſive explicare, quibus ad aures abſceſſus non ſuppurantur, αὐτέων ἀπαλλασσομένων (*i*) fit relapſus, id eſt, niſi ſuo modo ſolvantur & evaneſcant, ſic λυομένων καὶ ἀπαλλασσομένων (*k*) affine quid habent. Sed hæc alias.

Comm. ad Aph. 74. l. 4.

Lib. de judicat.

Secundum argumentum eſt, febris materia in ſtatu morbi non excernitur purulenta aut alba, ſed flava atque bilioſa: ergo ſi qua hypoſtaſis, non eſt pars materiæ quæ putruerat. Materia antecedens febrium ardentium non eſt humor omnino bilioſus, ſed crudus mittens exhalationem febrem accendentem: idem humor ſubiens venas poteſt exalbeſcere non exacta albedine quæ in alio humore requiritur, nam ſunt diverſæ hypoſtaſes: & licet alboris meminit Hippocrates, non excludit flavitiem quamdam pro natura humoris morbifici, modo adſit lævor & æqualitas. In bilioſa pleuritide ſputa flava ſunt, cocta tamen & æqualia ſunt: & licet ſputi craſſamentum purulentum album ſit, minima bilis affuſione fit auruginoſum. Bilioſo profluvio morbi bilioſi ſolvuntur, tamen non excluditur urinarum craſſarum & coctarum commoditas, immo aliquando morbum ſolvunt. Et Hippocrates de cauſis loquens alios ab ichoribus repetit, alios a pituita ſalſa & putri; uno modo non ſolvuntur morbi bilioſi quum

(*f*) In pituitam convertitur.
(*g*) Apoſtemata non ſoluta.
(*h*) Soluta.
(*i*) Ipſorum tranſmutatorum.
(*k*) Solutorum & tranſmutatorum.

quum diſpar ſit materies : Et ſi uniuſmodi foret materies, cur medicamenta cholagoga & phlegmagoga ſimul damus ? Ergo ἑτερογενές τι (*l*) ſpectamus. Tenuior quidem pars bilis aut ſerum febrem accendit, & tunc hypoſtaſin vix expectamus, quamquam poteſt & eſſe : ſi hæmorrhagia morbus bilioſus ſolvitur, ſudore, alvi fluore, parotide, & uno eodemque tempore, cur ad hypoſtaſin materiam non ſuggeret ?

Tertia ratio hæc eſt cujus fundamentum jam convelliſſe nos exiſtimamus. Si materia in ſtatu excidit, non autem initio, ergo craſſior in ſtatu foret ; at hoc falſum : nam initio confuſa eſt urina, in ſtatu acutarum tenuior. Hac ratione ſe conficere poſſe putat Fernelius hypoſtaſin non eſſe partem materiei morbum committentis : nam oporteret urinas eſſe craſſiores morbo tendente ad criſin : contra initio morbi confuſæ ſunt & craſſæ, attenuantur autem declinante morbo. Eadem ratio contra Fernelium etiam faceret, qui aſſerit victo calore contra naturam alimentum tunc bene coqui : ejus rei argumentum eſt hypoſtaſis : ſtatuit enim ejus materiam, alimenti quod aſſumitur reliquias, ut in ſanis. Si ergo morbo declinante calor naturalis vincens jam alimentum conficit, cujus notam exhibent contenta in urina, cur non in ſtatu morbi craſſior etiamnum eſt urina ? At longe fallitur Fernelius, qui in principiis febrium continuarum quaſdam craſſas urinas intuitus, & quæ inclinante morbo eam depoſuerint craſſitiem, inde colligit neceſſarium eſſe, ut ſub finem morbi fluant urinæ craſſiores, ſiquidem materiei pars concocta cum urina effluit : hæc enim dum hypoſtaſeos materia fit, craſſitiem aliquam in urinam inducet. At nulla eſt iſta comparatio de tenuitate urinarum ſub finem febris & earum craſſitie initio. Diſtinximus enim ante iſtam craſſitiem, & tenuitatem : nam aliquando grumoſæ ſunt, & jumentorum ſimiles urinæ, & quod ſubſidet non proprie eſt hypoſtaſis, ſed cruditas tantum quædam, quod agnovit etiam Fernelius, dum dicit id omne hypoſtaſin proprie non dici quod urinæ fundum petit : unde de Sileno 1. *Epid.* die decimo minxit ſubcraſſum & multum quod in matella ſubſidebat ; die ſequenti interiit : id non erat proprie ſedimentum. Primum illa propoſitio generalis falſa eſt quum dicit in ſtatu tenuiores, in principio morborum craſſiores eſſe urinas ; nam eſt ubi tenuiſſimæ ſunt urinæ initio morbi, & ſenſim incraſſantur, & hic vere vis caloris, & coctionis elucet : eſt ubi craſſæ ſunt, turbatæ & confuſæ, & tunc cruditatis nota eſt, & prout ad tenuitatem proceditur, ad coctionem procedi dicitur : eſt ubi alternatim urinæ ſunt tenues, & craſſæ, & proprie urinæ diſtantes dicuntur ab Hippocrate, ut ante diximus. Tametſi λεπτὸν οὖρον (*m*) in genere vituperare videatur, tamen eſt ubi λεπτότης (*n*) ſignum eſt cruditatis ; eſt ubi ſignum eſt facultatis ſecretricis vegetæ, & coctionis apparentis : ſed in diverſa ratione : & tametſi jam ante de his dixerimus, tamen quia in hoc maxime diſputationis vertitur cardo, repetere non erit alienum. Hippocrates *in Epid.* de

Gal. Com. ad hiſtor. de Cleon.

Hiſt. 10. *ſect.* 3. *lib.* 1. *Epid.*

(*l*) Quidpiam heterogeneum.
(*m*) Tenue lotium.
(*n*) Tenuitas.

de Clazomenio quum cruditatis morbi, & propterea ejus longitudinis maxima argumenta propoſuiſſet, inter cetera tenuitatis urinarum meminit: deinde ubi ſpem ſalutis & ſolutionis morbi poſuit, ita ſcripſit: *Die decimo ſexto minxit paullo craſſius.* Sic craſſities ſignificationem affert coctionis: & huc maxime pertinent quæ *in Comm.* Galenus ſcripſit, quæ ſuperius adſcripſimus; Et in aliis locis quum Epicratis uxorem morbo diuturno occupatam proponit, addit, *undecimo minxit melius colorata, quæ multum habebant ſedimenti, commodius habuit.* Galenus in hoc morbo humores fuiſſe ἑτερογενῆ (*n*) docet, nimirum bilioſos & crudos: crudorum ſuccorum nomine pituita, aut quid ſimile audiendum eſt. Nam, aliquis dicat, & bilis cruda eſſe poteſt. Sic ſupervacuum eſt dicere humores bilioſos, & crudos ſuccos: & quoniam bilioſus humor erat & crudus ſuccus, bilioſus acutiem febris afferebat, ſed crudus morbum aluit & protraxit. Hinc colligere eſt craſſitiem urinæ in Epicratis uxore undecimo die apparentem coctionis notam fuiſſe, non quidem alimenti, ſed humoris morbifici, ut etiam paullo poſt dicemus. Huc pertinet Cleonactidis hiſtoria: hunc vehemens febris detinebat, deinde erratica fuit, non abhorrebat a cibo, non inſomnis erat, non ſitibundus: quæ omnia crudum fuiſſe ſuccum morbi auctorem ſignificant: nam bilioſi humoris proprium eſt ſitibundos reddere, inſomnes & cibos averſantes. Urinæ tenues fere perpetuo fuerunt, ſed boni coloris. Die 40. ſubrubrum ſedimentum fuit, & levius habuit. Numquid lenitas morbi ex eo fuit, quod ſedimentum hoc jam apparere inciperet? Sedimentum hoc cujus rei pars fuit, an alimenti, an humoris morbifici? Alimenti, dicet Fernelius: nam eadem eſt materia & ratio hypoſtaſeos in ſanis, & ægris: in ſanis autem, pars eſt alimenti ſubterfugientis coctionem: declarat abſtinentia: nam ſi quis urinas profundat cum hypoſtaſi multa, & a cibo abſtineat, aut reliqua tantum erit nebula, aut nil erit. At alimentum non faciet iſtam rubram hypoſtaſin: deponit enim ruborem prout ad coctionem & ſolutionem morbi proceditur, unde ſcribit Hippocrates, Cleonactidem die 60. reddidiſſe urinas cum hypoſtaſi alba, lævi & æquali, quum ad diem 40. alioqui ſubrubra fuiſſet, quod eſt diuturnitatis morbi ſignum. Et Galenus *in Comm.* ſcribit, *ſi, ut urinæ perpetuo boni coloris erant, ſic mediocre habuiſſent ſedimentum, non ita eſſet morbus protractus, ſed fortaſſis die 40. fuiſſet judicatus. Immo ſi nebulam bonam habuiſſet, ocyus morbus depulſus fuiſſet. At quia urinæ ſemper tenues erant, multum ſpatii requirebant concoctioni. Et a die 40. varie affecta fuit urina, ut interdum ſedimentum haberet, interdum non; hoc errantibus febribus proprium eſt; nam ab humorum diverſitate concitantur; ſic urinæ cruditas & concoctio alternantes, aliquos indicabant coqui, alios permanere crudos. Et quia ſexageſimo reddidit urinam cum ſedimento albo, lævi & æquali, omnia ſunt remiſſiora conſecuta, unde poſtea ſubjecit Hippocrates, die 80. urinæ ſedimentum multum læve habuerunt; prorſus judicatus eſt*: In Græco legitur, die octogeſimo hypoſtaſis rubra, lævis. Et eadem verba *in Com.* Galenus repetit, ſed certum eſt vocem ἐρυθρὰν

Hiſt. 5 ſect. 3. lib. 1. Epid.

Galen. putat aliud eſſe humorem aliquem eſſe bilioſum, & crudum.

Hiſt. 6. ſect. 3. lib. 1. Epid.

Hoc argumentum plane convincit Fernelium.

(*n*) Heterogeneos.

ἐρυθρὸν ἀντὶ τοῦ λευκοῦ (o) in contextum irrepſiſſe: alioqui non ſingula quadrarent: eo in commentario multa ſcripta ſunt, quæ huc valde pertinebunt, ut ex iis tandem liceat colligere tria, quæ tandem propoſitum argumentum concludent. Primum eſt quod craſſities ſimplex urinarum non dicitur omnino ſignum, aut cruditatis, aut coctionis: craſſities cum inæqualitate ſubſtantiæ eſt argumentum, & tumultus qui fit in corpore, & copiæ humorum & cruditatis eorumdem. Talis excretio crudorum humorum bonum eſt ſignum aliquando κατά τι ut loquuntur, non abſolute: quia enim in collectione ipſa humor peccabat, ſi qua inde utilitas conſequatur, excretio bona eſt: quamquam cauſa ſemper mala. Et ſtatim initio morbi non ita bona eſt, quia nil ſalutariter poteſt excerni. Sic excretiones ſanguinis & atræ bilis initio morborum, & ut ſignum, & ut cauſæ malæ ſunt: morbo ad criſin eunte ut ſignum bonæ eſſe poſſunt. Et Sileno non profuit craſſum, & multum minxiſſe decimo die, quum undecimo interierit: ſiquidem hypoſtaſis referebat ſpeciem farinæ craſſioris, quod aut colliquationem magnam carnium, aut æſtum magnum ſanguinem adurentem ſignificat: propterea alias mortem portendit, alias longitudinem morbi: quamquam hoc difficultate non caret. Porro tales excretiones ſymptomaticæ eveniunt ſplenicis, maxime quibus corpus lienis putret. Secundum eſt de intermiſſione ſedimenti. Si in longo morbo mox apparet ſedimentum, & mox deficit, arguit id varietatem humorum, quorum quidam coquuntur, alii crudi manent. Hic hypoſtaſis non eſt alio referenda quam ad cauſam morbificam, ſive cauſa conjuncta ſit, ſive antecedens: alioqui commentitium id totum foret, quod de hypoſtaſi diceretur: Si enim diximus, ſignum coctionis eſſe hypoſtaſin, & ad tempus criſeos apparere, ridiculum foret dicere homonymiam in hoc verbo contineri, & dicere ſignum eſſe coctionis alimenti, non morbi: quod ſi morbi dicatur, conſequens eſt, ut ſit de materia morbifica: maxime vero id in longis morbis apparet, in quibus cruditas eſt ſumma & obſtructio. Nam licet æger inſigniter febricitarit per ſeptem aut undecim dies & aut ſudore, aut alio modo febris conceſſerit, victo ac ſuperato humore acuti morbi auctore, tamen ſi putredo & calor febrilis attigerit crudos alios ſuccos, & empyreuma novum morbum parit: unde ſæpe ad quatuor menſes morbus producitur. Hoc facit contumax obſtructio, putredo, cruditas, immo & diatheſis ipſa: nam & Galenus diatheſin cauſam præcipuam ſtatuit repetitionis morborum, & ſymptomatum recurſus. Immo ſi omnem humorem morbi cauſam ſuſtuleris, nondum ſatis profeciſſe videare. Quod *in Prorrhetico* ita Galenus explicat: ac demum iſta eſt cruda materia, quæ empyreuma impreſſionemque febrilem concepit, quæ morbum producit, & cujus coctio ſolutionis cauſa ſola eſt, eaque demum facit hypoſtaſin: quis enim dubitat quominus per morbos longos plus cibi capitur, & bene cocti notas urinæ exhibent? & tamen morbus urget: quod non ſatis eſt coqui alimentum, ſed & materiam morbificam. In febribus tertianis & quartanis urinæ apparent cum hypoſtaſi die intermiſſionis,

Lib. 1. Epid. ad hiſt. de Sileno, vide etiã hiſt. ad Cleon. 2. prorrh. Et Com. ad Aph. 31. lib. 7.

Et illud eſt quod ante annotavimus in hiſt. uxoris Epicratis aliud eſſe morbum committi a bilioſo humore, aliud a crudo ſucco. Ad Aph. 63. lib. 4.

(o) Rubrum vice albi.

nis, tamen non ceſſant: ſi multum hypoſtaſeos excernatur, & diu morbus brevior fit. Ergo hypoſtaſis ſalutis prænuntia aut effectrix eſt pars humoris morbifici: Hic dubitatur de ſedimento referente farinam craſſiorem, quod aut ſignificat liquationem partium carnoſarum, aut æſtum ſanguinem urentem. *In Aphoriſm.* hæc urina morbi longi index eſt, *hunc* tamen *Aphor.* rejicit Galenus & merito: ratione cauſæ ad mortem apparet: æſtus enim colliquefaciens eſt letalis; ſi vires ſatis ſunt, mors vitatur, ſed diuturnitas morbi indicatur. Ægritudo (ait Galenus) in qua tales urinæ apparent, producitur, quia diſpoſitio multam requirit coctionem. At, quæ diſpoſitio? Eſt enim potius intemperies, quam humorum copia: calor eſt colliquans & morbus acutus eſt, aut ſanguinem adurens, & longus fit: illo calore repreſſo morbus ceſſare debere videtur: & hypoſtaſis ea pars eſt materiæ morbificæ, ſanguis uſtus eſt coctionem non requirens, & eo ceſſante calore, ceſſat urina κριμνώδης.

Ceterum non valet ratio Fernelii quod eadem materia ſedimenti ſit in ſanis & ægris, niſi dicat in ſanis ſuccum eſſe crudum facientem hypoſtaſin, dum coctus eſt; in ægris ſuccum etiam eſſe crudum, eamdem ergo eſſe materiam: hic autem eſt homonymia ludere. In utriſque certe ſuccus eſt crudus, ſed in ſanis hypoſtaſis eſt quid deciduum de materia alimenti, & benigna: in ægris de vetere alimento, cujus pars quum caſu, aut prava diſpoſitione vitium concepit, morbum facit. Nemo tam bene nutritur, quin ſuperflua remaneant, quæ a natura reguntur, & ſunt pro pabulo in inediis: tamen in male diſpoſitis ipſum alimentum corrumpitur, & facile fit materia morbifica. In aliis nonniſi cum tempore id vitii concipit obſtruendo & calorem malum concipiendo per putredinem: hinc febres. Sic eſt ſuccus quidem crudus quem olim natura regebat: at quum aliam inducit qualitatem, alimentarius eſſe deſiit, & morbificus eſt. Tertium eſſe poteſt de urinis in febribus intermittentibus. Hujus rei explicatio quum multum huc pertineat, de ea videretur agendum pluribus, tamen hac tractatione ſuperſedendum puto: partim enim ex ſuperioribus de iis conſtare poteſt, partim ſatisfactum eſſe puto a quodam Neoterico qui peculiari tractatu de urinarum hypoſtaſi commentus eſt. Et admirabile illud quod in iis intermittentibus febribus aliquando laudabilis hypoſtaſis appareat, aliquando deſit. Alias enim ſtatuimus hypoſtaſin in iis morbis apparere ob coctionem alimenti ſimpliciter, aliquando ob partem materiæ committentis hanc aut illam acceſſionem. Mitificatur enim pars ea materiæ quæ particularem acceſſionem facit: & præſentia hypoſtaſeos eſt particulare & ſingulare ſignum coctionis particularis unius humoris qui iſtam acceſſionem peperit: ſinguli enim paroxyſmi ſuam habent cruditatem, & ſuam coctionem: declarat initium paroxyſmi quo tempore aquea urina redditur. Et prout ad declinationem proceditur, ita ſingularis ad coctionem fit proceſſus: & ſub finem acceſſionis ſedimentum aut laudabile enæorema apparet: eſt enim veluti quid deciſum ab ea materia quæ multa cunctans in hypochondriis morbum fovet. Ita enim ſenſim putredo vincitur, ſenſim obſtructio tollitur, & materia coquitur: & eam particulam materiæ quæ ſingularem paroxyſmum commiſit natura in

venis

venis verſat, coquit, alterat & evincit: hujus victoriæ ſigna in urinis elucent: ſic in iis febribus materia conjuncta morbi, materia antecedens ſpectatur: & ex earum inſpectione ad contemplationem continuarum febrium & longorum morborum pervenire licet. Extat denique Galeni exemplum de fimo, cujus pars putret, altera imputris manet, ita tamen ut prioris materiæ, quæ diſcuſſa jam eſt, empyreuma maneat, ſatis docet quomodo pars humoris acceſſionem faciebat, deinde alia pars factura ſit.

Extremum illud eſt quo Fernelius ſuam tutatur ſententiam: cui vulnus ſalutare eſt, ait, pus laudabile eſt. Si febris ſupervenit etiam primaria, pus pervertit, vulnuſque ſiccat: tunc calor naturalis laborat, nec probe coctioni incumbit. Præterea in febribus longis calor oppreſſus cibos non coquit, & nullum ideo in urinis coctionis ſignum exhibet. Ex his conficit ſolam affectionem caloris naturalis a calore contra naturam cauſam eſſe cur hypoſtaſis in urina non ſit, tamquam coctionis ſignum: contra quum vincit calor naturalis eam adeſſe; unde ſi in vigore morborum hypoſtaſis adeſt, id arguit naturam ſuperiorem jam aggredi coctionem non humoris morbifici, ſed alimenti, & ita prima ſua munia obire: coctio enim morbi dicta eſt prius putredinis tantum repreſſio quædam. Ac primum falſum eſt pus corrumpi & depravari febre ſuperveniente. Quoties enim febris adeſt & eſſentialis, & ſymptomatica, quum tamen pus laudabile ſit? Si hoc verum eſſet, in nulla pleuritide, in nullo abſceſſu conjuncto cum febre, aut in vulnere pus eſſet laudabile. Hoc autem a ratione alienum eſt: quum phlegmone adeſt & dolor, & tenſio ſumma, numquid febris adeſt? immo in parte verus febris focus eſt: & tamen non raro laude dignum eſt pus. Fateor quidem febrem poſſe pervertere vulneris materiam, ne in pus convertatur laudabile: at id alia longe ratione fit: ſi enim facultas nutriens infirma fuerit, ſi calor ſqualidus & plane febrilis ſiccum omnino redditur vulnus: at id omnino per ſe non facit febris. Pro pure adeſt ſanies aut ſiccitas abſoluta, (hæc autem non conſideratur ex defectu excrementorum, ſed humidi naturalis) quod cauſam præter naturam omnino dominari ſignificat. Id quoque juvat prava partis diſpoſitio, unde σφακελισμὸν (*p*) metus adeſſe ſolet. Utrumque Hippocrates *hoc Aphor.* comprehendit: *ulcus ſive antea exſtitit, ſive morbo ſupervenerit, cujuſmodi ſit, accurate perdiſcendum eſt: nam ſi agro ſit moriundum, ante mortem lividum ſiccumque* erit. Et ex hoc loco forte Fernelius ſuam rationem deſumſit. At Hippocrates non vult febrem, cui ulcus ſupervenit, aut in aqua ſimul exſiſtit, cauſam eſſe livoris & ſiccitatis, ſed hoc vult, ſi moriturus eſt æger, livor & ſiccitas adeſt, ut ex his præſagiendi de proxima morte occaſionem ſumas: livor enim adeſt ob ſanguinis qualitatem peſſimam, aut ſucci alibilis depravationem. At ſiccitas non vacuitate excrementorum metienda eſt, ſed ob alimenti inopiam adeſt: Id ipſum affert partis imbecillitas, & caloris nativi paupertas: calor enim contra naturam nativum ſuperavit: talis porro ſiccitas tabes quædam

Comm. ad par. 25. l. 1. prognoſt.

Part 25. l. 1. progn.

(*p*) Sphaceliſmi.

dam eſt partis. Itaque Hippocrates non dixit, ſi ulcus ſiccum ſit, æger moritur: ſed, ſi æger moriturus eſt (quod ex aliis quoque ſignis colligi poteſt) ante mortem tale fiet ulcus: præſagit enim ante mortem, ſi ea advenire debeat, ſiccatum iri ulcus, & colorem lividum, aut deteriorem habiturum. Et ut tandem rem finiamus, diximus ante verum pus a calore naturali intendi. Si febrilis calor dominetur, quis dubitat, quominus omnia in corpore non legitime adminiſtrentur? Omnis enim coctio & mitificatio caloris nativi opus eſt: itaque nil facit Fernelius dum affert exemplum de ulcere, cujus curationem & legitimum ſuppuratum impedit febris. Quod verum, ſi febris ſuperior ſit, & æger dicatur ἀπὸ τοῦ πυρετοῦ ἔχεσθαι, non ἔχειν τὸν πυρετὸν (q), ut Hippocratis more loquar: Immo in omni phlegmone, ſi dominetur calor contra naturam, puris generatio pervertitur: calor eſt naturalis, qui & materiam morbificam coquit, & qui alimentum. Et abſurdum eſt omnino quod putat Fernelius præſente febre nullam coctionem in corpore fieri, nullumque humoris morbifici πεπασμὸν (r): unde credit, tunc quum hypoſtaſis apparet naturam adoriri cibum & eum coquere: quem quum omnino non conficiat ob vim morbi & caloris contra naturam varias impreſſiones, ſaltem ſui conatus notas, in laudabili hypoſtaſi edit: ſic hypoſtaſis de reliquiis alimenti tantum erit, ut ridiculum omnino ſit quod Hippocrates toties celebrat; Coctiones maturitatem judicii ſignificant: nulla enim humoris morbifici coctio eſt, ſed tantum repreſſio putredinis. Et ſic ſola alteratione opus eſt, & nil noceret in febre putrida, & omni alia aquam omni tempore haurire: nam refrigerat, alterat, calorem contra naturam vincit: hoc autem facere, eſt morbum coquere, mitificare & ſolvere. At aliter res habet: nam aquæ copioſioris potus ante humoris πεπασμὸν materiam crudiorem reddit. Debuit itaque Fernelius hæc potius animadvertere, quam ita contradicendi ſtudio laborans Veterum ſcripta labefactare. Quod autem addit per febres languidum oppreſſumque calorem, cibos ſecundum naturam conficere nequeuntem, coctionis ſigna in urinis non edere, id eodem quoque pertinet. Nec enim abſunt coctionis ſigna in urinis, hypoſtaſis non abeſt, quod cibum non conficiat, ſed quod humor morbificus calorem ita obruat copia ſua, ut nonniſi cum tempore ſuperior evadat: hoc argumento eſt quod vincente calore & materiam mitificante, urinæ, quæ diu aqueæ manſerunt, incraſſeſcant, & multam materiam contineant, quæ pars eſt humoris morbifici neceſſario. Ita enim morbis liberantur ægri; & quod valde notandum, admirabilis eſt progreſſus naturæ in urinis fundendis: nam in pleriſque morbis per duodecim dies urinæ tenuiſſimæ funduntur, deinde craſſiſſimæ cum hypoſtaſi inæquali, turbida, ut non tam hypoſtaſeos quam fæcis cujuſdam nomen mereatur: deinde prout ad ſanitatem proceditur, attenuantur urinæ, & id quod ſolitum erat apparere in fundo divulſum, craſſum, inæquale, rubicundum, notas veræ hypoſtaſeos recipit: quod arguit

(q) Febre haberi non febrem habere. (r) Maturationem.

arguit eamdem omnino esse materiam quæ olim crassam illam molem in fundo matulæ committebat, & quæ nunc hypostasin facit: sed varia actio caloris naturalis, & ejus victoria aut oppressio hanc diversitatem attulit.

Restat ut eodem quoque modo cujusdam Neoterici rationes de hypostasi convellamus. In eamdem fere cum Fernelio descendit opinionem, & tamen quoniam aliis sese fulcit rationibus, novum quoque diluendi modum quæremus. *Aptissime* (ait) *hypostasis puri comparatur, non quod illa puris modo computruerit in venis, aut aliquid purulenti habeat, sed quod perinde atque pus alteretur, iisdemque notetur qualitatibus. Male quidam qui partem sanguinis quæ per febres putruit secretam, & cum urinis depulsam hypostasin esse definiunt: si ita est hypostasis, non modo putredinis particeps est, sed revera pus est, quum tamen sola putredine pus ab hypostasi differat opinione Galeni in prognosticis. Quod si in febribus verum est, quid de sanorum hypostasi dicetur, in quorum corpore nulla omnino putredo, sic bona hypostasis nec pus est, nec aliquid habet purulenti.* Hæc ex diametro pugnant cum Veterum opinione: horum maxima pars fere discussa est & convulsa disputatione superiore. Si ideo hypostasis cum pure analogiam habeat, quod alteretur, & notas qualitatesque puris habeat, numquid & semen & lac idem sortientur? Ergo non debuit Galenus tam acute istam analogiam inter pus & sedimentum celebrare, quum eadem sit inter pus & lac & semen, sic necessario statuenda est eadem materia puris & sedimenti, nempe morbifica causa. Sed quæ differentiæ adsunt, hæ ex eo sunt quod materia abscessuum egressa sit venas, & non ita a natura regatur, at materia febrium magis a natura regitur, & venis concluditur: sic numero non eadem est materia. Quod objicit de parte sanguinis quæ putrescit, quam hypostasin negat posse esse; errat longe. Diximus ante per putredinem alterari sanguinem, & alienam quamdam materiam confundi cum sanguine, immo & ichorosum fieri sanguinem: quod si verum est, quid impedit quominus e venis effluat aliquid albicans, læve & æquale præsertim quum victrix est natura? Nam & in febribus putridis sanguis sæpe demitur pulti simillimus. Cur is coctus & elaboratus non faciet hypostasin laudabilem? sed ita sane, jubeamus valere sanguinem, crudus succus qui putrescit in febribus cur non hypostasin faciet? Si in mesenterio putrescit, & non subit vasa, idem plane efficiet quod materia abscessus, nam in pus verum convertetur, & fœtidum quid habebit: unde observati sunt quidam post morbum longum, dejectiones habere plane purulentas: hoc autem a mesenterio erat, in quo succus crudus putruerat, & in pus legitimum conversus fuerat. Sed in venis licet idem succus crudus fuerit & qui putruerit, non in omnibus tamen est similis abscessuum puri: credo enim materiam abscessuum quæ putrescit & pus fit, insigniores notas putredinis habere. Natura quoad potest, quia in corpore interno, id est, vasis majoribus, & viscéribus validior est, impedit quominus ad tantam putredinem materia intus deveniat, ad quam extra corpus pervenire solet: immo observatus est sanguis e brachio detractus fœtens, quoniam nimium dilata erat phlebotomia, & magna erat putredo in venis.

Præterea

Præterea in morbis, diebus criticis ſudores maxima ex parte proliciuntur adeo graveolentes ut nemo ſuſtinere poſſit: quod ſi ſudor non eliciatur, & id quod ita graveolet cum maſſa ſanguinis confundatur, quid impediet, quominus & urinæ graveoleant, & earum hypoſtaſis? Id enim fieri poteſt, & aliquando obſervatur: ſic ſolvitur quæſtio & dubitatio eorum, qui mordicus tuentur nullam eſſe analogiam inter pus & ſedimentum, præſertim in materia, quod pus fœteat, hypoſtaſis non fœteat. At etiam pus fœtens peſſimum eſt, unde Hippocrates requirit, ut quam minime fœteat: ac ſi velit nullum fœtorem adeſſe debere, ut laudabile pus dicatur. Et tamen quia putredo inſignior fuit, & caloris contra naturam major vis paruerit, quam in materia hypoſtaſeos, ideo reliquus eſt fœtor in pure, nullus, aut ſubobſcurus in hypoſtaſi: non propterea tamen colligas diverſam eſſe materiam puris & hypoſtaſeos in ægris. Puris generatio coctio eſt & putrefactio quædam, at ſedimenti generatio eſt potius coctio & alteratio, non ita putrefactio. Et tamen hypoſtaſis purulentum eſt quid, ſed idea diverſum a vero abſceſſuum pure. Hoc etiam addemus, a pure non abeſt fœtor, ab hypoſtaſi abeſt, idque a fine. Nam initio generationis puris, & putredo remanet, & omnino non victa eſt in fine ipſius generationis, contra in hypoſtaſi evenit: nam ad finem amittit omnem putredinem: cauſa hujus rei eſt vis ea caloris nativi, quæ major eſt in vaſis & viſceribus quam extra vaſa, & in partibus extimis: unde quum major eſt putredo & acrimonia, natura pellit foras: id abſceſſuum & affectuum cutaceorum proventus indicat. Intus vero omnia melius adminiſtrantur, nec tam inſolenter ſeſe materiæ putredo jactare ſolet; in partibus extimis calor contra naturam coercetur in ſuo ſubjecto, at in corpore interno expanditur, nec ita coercetur: ſic a pure vix depellitur, ab hypoſtaſi facile. Accedit quod liquor ipſius urinæ quodammodo diluit materiam, & ſi quis fœtor non ita percipitur, ac ſi conglomerata coactaque & ſola hypoſtaſeos materia excerneretur. Et ea hypoſtaſis quæ declinante morbo apparet eamdem numero habet materiam quam & illud craſſamentum quod vigente morbo confuſum, divulſum, inæquale ac variegatum cum urinis effunditur. Et quod objicit adverſarius locum Galeni de pure & hypoſtaſi, quod hæc ſola putredine differat, illud bifariam ſolvi poteſt: Illo loco Galenus maxime agit de eo ſedimento quod ab humore crudo eſt ſubterfugiente coctionem, & id maxime in ſanis audiendum: non enim omnia uno in loco exponere voluit Galenus, quamquam ut occurreret multis difficultatibus quæ hinc oriuntur, debuerat plenius totam rem definire. Aut dicemus putredinis materiam hypoſtaſeos eſſe participem, ſed eam in fine evictam plane & caloris contra naturam vim omnino eſſe fractam. At in pure vero etiamnum caloris illius pravi veſtigia impreſſa manent: & quod de ſanorum, in quibus nulla putredo eſt, hypoſtaſi objicit, illud ridiculum: quod ut intelligatur tenenda ſunt ea quæ ante diximus de ſedimenti materiæ diverſitate in ſanis & in ægris. Ac mirum eſt quo modo laborantium contradicendi ſtudio animus ita tranſverſus agatur, ut in ignorantiæ latebras ſæpe incurrat.

Ac tandem ut commentandi finem faciamus, licet aliquot objectiones a nobis

nobis in Galenum productas diluamus: ex quibus jam quædam debilitatæ ſunt, aliæ adhuc integræ manent: hæ niſi diſſolvantur, pro adverſariis contra Galenum pugnabunt.

Ac primum illud adduximus hypoſtaſin ex opinione Galeni cauſæ præter naturam non eſſe participem: hoc ſi verum eſt, cur analogia hæc puris & hypoſtaſeos ſtatuitur non modo penes notas illas conſpicuas, ſed penes ſubſtantiam ipſam: hoc autem paullo ante abunde explicatum putamus. Secundum eſt de ſudoribus: ſi ita graveolent, cur altera pars materiæ quæ in hypoſtaſin cedit, & quæ putruit, non graveolet? immo materia quæ abſceſſum & præſertim phlegmonem parit, ex ſe laudabilis eſt, ut ſanguis, ſed a ſuo loco mota cauſæ præter naturam particeps eſt; contra materia febrium maligna eſt aliquando, quomodo itaque hypoſtaſin expertem fœtoris committit, quum pus ipſum laudabile fœteat? ſed hæc quoque ratio abunde confutata eſt. Tertium eſt illud quod & Galenus adverſus Eraſiſtratum contorquet: illum reprehendit quod crederet ſedimentum in febricitantium lotiis non ſuccum crudum eſſe ſed pus: Contra vero, ait Galenus, ſuccum crudum eſſe, atque in eam rem adducit exemplum eorum qui ſe implent cibis & otio torpent: nam corpulentas urinas habent, & hypoſtaſin multam: id autem non eſt pus, licet ejus notas referat, ſed ſuccus crudus. Sic Galenus ipſe videtur innuere illud ipſum quod in febricitantium urinis apparet eſſe partem ſucci crudi, & eamdem eſſe materiam in ſanis & in ægris: alioqui male Eraſiſtratum reprehendit: at non ideo reprehendit Eraſiſtratum, quod non exiſtimet hypoſtaſeos materiam partem eſſe humoris morbifici, ſed quoniam abſolute pronuntiavit pus eſſe. At ſuccus crudus eſt ſæpe qui mitificatus characterem veri puris recipit: & tamen pars eſt humoris morbum committentis: etſi omnino materia conjuncta non eſt, ſaltem eſt antecedens, & quæ morbum fovet quum calorem contra naturam recepit: ſic enim tunc dicitur cauſæ præter naturam particeps. Nam quum pars materiæ diſcuſſa eſt in paroxyſmis, altera pars incipit putrere. Et licet humor ſit crudus initio concepto calore præter naturam putris dicitur, & errat Fernelius qui omnino credit materiam morbi hypoſtaſin non committere, & omnino hypoſtaſin eſſe de alimento quod capit æger: ut tunc quum apparet ſit ſignum vincentis naturæ & cauſæ contra naturam jugum excutientis. Quum autem dicitur eadem eſſe in ſanis & in ægris hypoſtaſeos materia, illud homonymum eſt: nec enim eadem dicitur materia quod alimenti quod capitur ſit veluti reliquum quid, ſed quod pars ſit crudi ſucci: at in ſanis majorem habet latitudinem, in ægris non tam late patet. Nam in ſanis ſi quid peccatur, ſedimentum eſſe debet, quoniam cruditas eſt aliqua quæ coctionem effugit: in ægris omnis fere ſuccus crudus qui in meſenterio & partibus vicinis latet morbi apta materia eſſe creditur: unde niſi ſtatim occurreris, & ſi ſiveris calorem contra naturam in corpus agere, morbus producitur, quia omnis crudus ſuccus corporis tentatur a cauſa contra naturam. Si paucus humor paratus eſt, is poſtquam impetum fecit, reprimitur, repreſſus morbum finit: & propterea aliud eſſe diximus conſiderare hypoſtaſin in acutis & bilioſis mor-

bis, aliud in chronicis: nam in chronicis non eſt una ſimplex materia vincenda, ſed multiplex: immo alimentum quod capitur cauſam morbificam ſæpe auget. Immo hoc obſervatur in morbis febrilem calorem per corpus univerſum fuſum novos in aliis partibus tumultus excitare: unde idem æger quum initio de febre quereretur tantum, ſucceſſu temporis pondus in thorace ſentit, & in capite ingentem dolorem: hinc catarrhi occaſio, & expectorandi magna neceſſitas: ac ſi partes omnes, vi febris tentatæ & afflictæ, aut vetere excremento ſeſe exonerare velint, aut illud depellere quod diuturnitate morbi contractum eſt; utrumque morbum forte congenerem faceret. Hinc morborum ſucceſſionis occaſio: & quum morbo abſoluti videntur, in alios ſubinde projiciuntur: Sic licet repreſſa ſit vis morbi, multum ubique excrementum ſcatet vi naturæ ſubigendum, & quod urinarum craſſarum & coctarum diuturnarum profuſiones, in quibus etiamnum impreſſio quædam quæ ſymptomaticæ eſſentialem finiunt. Inde ſedula urinarum obſervatio, ut mirum ſit Hippocrati hypoſtaſin Anaxionis pleuritin judicaſſe die viceſimo tamquam futuræ ſalutis 34. indicem, ut mihi perſuadeam febrem eſſentialem finiſſe, cujus nota, & index eſt, non tamen in affectibus thoracicis negligenda, ſed in Anaxione hæc fuit obſervanda. Et ſic ut conciliemus Fernelium cum Galeno revera hypoſtaſis eſt pars aut materiæ morbum actu committentis, aut cujuſdam ſucci crudi qui morbum fovere poteſt: & tunc quum apparet ſignificat naturam ita vincere, ut non modo alimentum conficiat, ſed & crudum ſuccum aggrediatur: hujus aggreſſionis ſignum edit hypoſtaſis. Unde tam crebro dicimus alimentum dare non oportere, ut natura crudos & morbificos humores vincat, ut coquat; & nomen πέψεως & πεπασμῦ (s) ridicule & perperam uſurparetur, niſi materia morbifica coqui ac mitificari diceretur: nec oporteret ſtatuere ullam humorum cruditatem. Sic valde deceptus eſt Fernelius in morbis bilioſis quod cohibitionem putredinis videat ſæpe finem morbo imponere: id eſt, vim morbi retundere: nam innumeri videntur ab acuto morbo liberati ob orgaſmum repreſſum & putredinem cohibitam, aut incendium mitigatum, qui tamen non convaleſcunt, donec decies aut eo plus ducta ſit alvus: tunc e ſtatu inſalubri in neutrum conjici videntur: nec enim integre ſani, nec ægri creduntur. Porro illud eſt valde notandum quod ante diximus aliquando in ægris humores qualitate peccare, aliquando quantitate, alias malignos eſſe, alias crudos. Maligni haud hypoſtaſi materiam dant, ſed in his ſufficit enæorema: in crudis contra. Et videmus eos qui multis crudis ſuccis abundant, quos natura non regit antequam cadant in morbum a ſomno ſudare: poſtmodum quum jam in morbum cecidere confuſæ ſunt urinæ, ſanguis putris, fœtens ſudor & multus. Si materia in venas refundatur, & renes appetat, hypoſtaſis multa fit, & hac multa excreta ſtatim convaleſcunt. Atque venit mihi nunc in mentem cur ſæpe enæorema ſufficiat. Hæc ratio probabilis videtur præter alias adductas: Materia morbifica non uno modo excluditur: aliquando per alvum ſolum, aliquando per

(s) Coctionis & maturationis.

per urinas, aliquando per hæmorrhoidas, alias per hæmorrhagias, quod & ante diximus. Sæpe multiplex evacuatio unum & eumdem morbum ſolvit, ſudor, alvi profluvium, hæmorrhagia, menſium irritatio, & id genus alia. Maxime id evenit quum a plenitudine morbus eſt: vel ut ante diximus, potius evacuatio quam qualitatis repreſſio requiritur: quod 3. *Epid.* virgini Lariſſææ evenit. Multiplex enim evacuatio eam liberavit, idque ſexto die. Aliquando ea materia ſubit venas, & conſunditur cum ſanguine, præſertim tenuior pars, & tunc in urinis ſigna apparent. Aliquando hepar non tranſcendit, nec quicquam in venis perturbat & miſcet: unde in quibuſdam febribus etiam magnis ſanguis incorruptus manet: in aliis ſtatim putreſcit, aut exalbeſcit, & fibris caret, aut alias qualitates acquirit, in aliis tantum incaleſcit. Et id forte Fernelio impoſuit ut crederet hypoſtaſeos materiam non eſſe quid defectum de materia morbifica. Sed quoniam, ait Galenus, non ab inflammatione, non a maligna humorum abundantia morbus erat, ſed a ſola plenitudine. Et ut in morbo variæ partes afficiuntur, ita variæ ſunt criſes: unde in febribus etiam veris ſputa obſervantur, eaque etiam mala, ſi facile procedant, bono ſunt: nec pleuritidis, nec peripneumoniæ ſuſpicio eſt ulla. Id quod pleriſque imponit ignorantibus vim naturæ corporis totius ſingulas partes luſtrantis & expurgantis. Inter cetera vero id contra Fernelium facit, quod niſi hypoſtaſis ſignum ederet coctionis humoris ipſius morbifici, tunc ſalutares criſes non contingerent, quum in urina mediocriter craſſa hypoſtaſis alba lævis & æqualis apparet, quæ nativi caloris robur oſtendit. Criſes enim fiunt natura ſecernente noxios humores a bonis, eoſque ad excretionem præparante, ex Galeni ſententia; aut falſo Hippocrates tuta omnia eſſe affirmaſſet, ſi talis urina cum hypoſtaſi laudabili appareat: aſſerit enim non modo ſecuritatem, ſed ex morbi brevitatem ſperandam eſſe; contra vero ſemper diffidendum quum urina tenuis & alba cernitur & ſine hypoſtaſi: deinde vero niſi hypoſtaſis eſſet quid deſectum de materia morbifica puri proportione reſpondens, humorumque coctionem non indicaret, fruſtra conſilium de exhibendis catharticis caperetur, quum urina laudabilis apparet in colore, conſiſtentia & contentis: concocta enim medicari atque movere oportet non cruda juxta aphorismi veritatem. At neque medicamento locus eſſe poteſt & quamdiu urinæ tenues apparent, affectus non ſolvuntur. Putris in aliis morbis putridis. In illis hypoſtaſis ad pus accedit ob qualitates manifeſtas: in putridis morbis propius ad pus accedit tum ob qualitates & notas manifeſtas, tum ob materiam ipſam quæ in ſe & ratione ſui eadem eſt ac ea quæ abſceſſum facit. Immo quæ in febre abſceſſum facit, pars eſt illius materiei quæ per vaſa vagatur. Sed locorum differentia, & caloris agendi modus, & vis partium interiorum idea facit differre pus & hypoſtaſin: & tamen revera eſt ſæpe pars materiei morbificæ, ſive jam ea actu talis ſit, ſive poteſtate: nam nullum corpus integre ſanum eſt quod ſucco crudo non abundet: ſuccus autem is crudus aliter ſeſe habet in ægris & in ſanis. Et hoc impoſuit iis qui de induſtria Galenum oppugnare voluerunt. Nam admirabilis eſt humorum confluxus a meſenterio & aliis par-

Sect. 2. part. 26. prog.

tibus in venas, & a venis in renes. Et qui existimant in synocho sanguinem in vitio non esse, non possunt sibi persuadere hypostaseos materiam aliquid esse de materia morbifica. Ac jam diuturno nostro desiderio satisfeciisse videmur. Quod quum ab animo candido contradicendi studium longe a sese amandante profectum sit, candidiore excipiendum videtur. Ac nos ipsi profitemur multa, in eo præsertim quod est de hypostasi opusculo, asseveraisse, multa proposuisse, nullius antiqui scriptoris auctoritate innixos. Multa nostro marte paravimus & effinximus, quæ quum judicis acutioris examen subibunt, facile refellentur ac evertentur. Sed in hoc perplexo negotio, & re minime adhuc intellecta, licet nomen hypostaseos omnibus in ore sit, licuit aliquid experiri, & excogitasse quod doctioribus viam forte ad meliora est patefacturum. Quidquid sit, boni consulant nec ne, nil moror, Reipublicæ consulere mihi animus est.

IN BALLONII

Libros de Arthritide & Calculo, adversus FERNELIUM.

INvenit Princeps Medicorum, noxius unde
Defluat extremos humor in articulos;
Et docuit, qui vesica subsidit in ima
Calculus unde ortum materiamque trahat.
Hæc Coi decreta Senis coluere minores:
Unus sustinuit carpere Fernelius.
Non tulit hoc factum Ballonius, *induit arma,*
Et stetit a magni partibus Hippocratis.
Asclepi pronepos tanto lætare patrono,
Per quem post cineres clara trophæa refers.
At tu sic istos legito, studiose, libellos,
Non sit ut inde tibi calculus, aut podagra.

H. VALESIUS.

GULIEL-

GULIELMO CAPELLÆ

φιλοπονωτάτῳ (*t*), Doctori Medico Parisiensi Clarissimo,

GULIELMUS DE BAILLOU

Doctor Medicus Parisiensis

S. P. D.

HOSCE quatuor libellos, tamquam ingenii mei liberos, non tam perfecto quam abortivo partu editos tibi tuæque fidei relinquo. Abortionis causa fuit officii mei munus quod male studiorum perpetuitati consulit. Minutulos & imperfectos eos perficies, & pollice magis industrio expolies. Illi quidem nobis cæperunt placere, at non mirum: nosti enim sunt: quisque autem in ea re quam adamat, facile cæcutit. Si aliis displiceant, id forte non vitio eorum qui eos excipient limamque adhibebunt, sed rei ipsius imbecillitati tribuendum est: nisi forte illos paullo alienior animus a vero seduxerit. Suum cuique judicium, & omnes, pro suo quisque arbitratu, aliter atque aliter eadem de re sentiunt. Et qui ad cujusque arbitrium se scribere posse confidit, is φιλαυτίᾳ (*u*) tamquam animi morbo laborans, non tam suam fiduciam quam infantiam declarat. Tandem tamen rebus dijudicatis & expensis eodem bene judicantium sensa diriguntur. Eorum qui ad eumdem scopum collimant, inutilis sæpe labor est, tandem collimandi assiduitate a multis scopus feritur. Velim hos liberos, tamquam pignora post supremum diem, liberali custodia retineas, & cum iis benignius agas: & quum unguem limamve adhibueris, eos ad me remittes. Retinebunt, credo, suum colorem, succum, sanguinem, fortasse ornatum, vestem. Falsa quadam imprægnatione quintum fetum animus parturiebat: sed dum severior Religio eum strictiori pedum lege coercet, claudicare fecit: hanc imbecillitatem si elevavero, ἀδελφισμῷ (*x*) quintus ad reliquos accedet. Quidquid laboris tibi necessitudinis veteris fretus beneficio imposui, idem, aut majus, si res postulabit in antiqua illa possessione, in qua jam furculum defregi, suscipiam. Vale.

(*t*) Laboris amantissimo.
(*u*) Amore sui ipsius.
(*x*) Fraternus.

GULIELMUS CAPELLA,

Medicus Parisiensis,

GULIELMO DE BAILLOU

Medico Parisiensi doctissimo & φιλαρετεσίῳ (y)

S. P. D.

NON perinde ut ex judicio amor, sic perpetuo ex amore judicum proficisci debet. Hoc ideo præmitto quod cum φιλολογίας (z) studium arctioris vinculi præter communes rationes inter nos causa fuerit, non tamen existimare velim poliendis liberis tuis, qui ipsi per se politissimi sunt, operam aliquam ἀξιόλογον (a) me præstare posse. Nam præterquam quod commendatione paterna proles ipsa gratiosior redditur, est etiam in hac pueritiæ ingenuitate & candore, ac in adolescentis ætatis spe & munditie nescio quid magis quam in patribus ipsi amabile. Sic quæ honesta quadam φιλονικείᾳ (b) inter nos interdum agitabantur, ne nihil ageremus, eadem tam accurato, & limpido atque omni elocutionis, & florum genere ac luminum varietate, divite stilo pertractata, veritatis ipsius ut pomposæ matronæ majestatisque ac nitoris plenæ patrocinium præ se ferunt, & augustiora multo mihi sunt visa. Itaque remitto ad te libellos, elogio potius quam ungue vel lima dignos & insignes, quatuor revera liberos, immo libertatis & veritatis libertos. Quintum si addideris, quem non editum ideo fortasse supprimis quia pedibus sex nititur, quinque liberorum jus erit integrum tibi per quod pupillarem tutelam præter quam ipsius veritatis recusare licebit. Si serius quam expectares præstiti, id eo consilio feci ne me deinceps φιλοπονώτατον (c) voces, sed φιλάεργον vel φιλάεργον (d): ita me novumque retinebat, novumque revocabat ad relegendum orationis suavitas; ut tamen tibi satagenti ac curioso patri satisfaciam, qui tibi in hoc studia publica juvandi studio numquam satisfacis, adnotavi quædam fortasse leviora quæ scio non omnibus placitura. Ita in viis quantumvis publicis & ab omnibus tritis restat semper aliquid laboris in sentibus expurgandis insumendum. Tuum erit æqui bonique consulere, ut omnes meas nugas soles. Neque enim aut delatorem aut prævaricatorem egi sed amicum quo nomine mihi etiam sum amicior. Vale.

(y) Veritatem amanti.
(z) Philologiæ.
(a) Effatu dignum.
(b) Amore victoriæ.
(c) Laboris studiosissimum.
(d) Amantem pigritiam.

GULIEL-

GULIELMI

BALLONII,

MEDICI PARISIENSIS

CELEBERRIMI,

LIBER

DE RHEUMATISMO

ET PLEURITIDE DORSALI.

OPERA ET STUDIO

M. JACOBI THEVART,

Medici Parisiensis, recognitus, & in lucem iterum editus.

EXAMEN DUORUM MORBORUM

Qui ab antiquis non ſat abunde ſunt explicati & definiti.

HORUM PRIOR ΡΕΥΜΑΤΙΚΟ῞Σ (*a*) *AFFECTUS*, *& ἀνώνυμος ἔξω* (*b*) *dicitur, alter Pleuritis dorſalis.*

DUO ſunt affectus hoc loco a nobis explicandi, qui hominum genus aliquando exercent, quorum unus *ἀνώνυμος* (*c*) pæne eſt apud Antiquos, ſævus tamen, & qui a quovis medendi perito intelligi deberet; alter ab uno Hippocrate uno tantum loco eſt deſcriptus: deſcribitur autem ſub forma morbi qui dicitur pleuritis ex dorſo. Prior affectus a nobis ſæpius eſt obſervatus, a vulgo catarrhi nomine donatur, ſed ut vulgus proprie neſcit quid ſit vere rheuma aut catarrhus, ita iſtius morbi naturam ignorat. Nil attinet quidem ad vulgus ſcire qualis ſit hic vel ille morbus, quum hoc Medici proprium ſit officium: tamen quoniam eo proceſſit hominum impudentia & ignorantia, ut ineptiſſima quæque mulier, aut triobolaris homo ſuam de morborum cauſis & curatione interponat ſententiam, iſti errori etiamnum eſt occurrendum. Quare eſt ut bonorum Medicorum famæ nominique conſulatur: exempli gratia, prior iſte affectus, in quo nobis laborandum erit, & quem Rheumatiſmum nominabimus, multa & frequenti detractione ſanguinis opus habet, & tamen quoniam falſam quamdam *παραλύσεως* (*d*) formam refert, aut deſtillationis a capite opinionem facit, vulgus hominum putat ægros eo affectu laborantes excarnificari ſi ſæpius ſanguis aperta vena minuatur. Quocirca ut obviam eatur falſæ opinioni, iſtius morbi ideam, cauſas, ſigna, curationiſque ſumma capita perſtringere mihi eſt animus. Aliæ vero ſunt cauſæ quæ ad id nos impulerunt: una, quod ruſticis & hominibus abſentibus ſæpe ex ignarorum relatu eſt medendum, qui quoniam vulgare & tritum nimis catarrhi nomen Medicis obtrudunt, tenebras quoque of-

(*a*) Rheumaticus.
(*b*) Affectio exterior.
(*c*) Innominatus.
(*d*) Paralyſeos.

fundunt & imponunt, falso sibi persuadentes ex urina inspecta, Medicum elicere posse morbi cognitionem & πρόγνωσιν (*e*) : sic dum urinis θαυμασίαν (*f*) assignant, se, ægros & Medicos circumveniunt ; Ratio altera est, quod etiam minus periti Medici hoc genus morbi ignorant, & propter insolentiam, & quia ab antiquis plerisque est prætermissus ; dum veram ignorant curationem, pessime de ægris merentur. At ægro sufficit, ægro (inquam) jam misero, sua ex morbo calamitas, nec ad eam nova calamitatis accessio ex ignoratione Medici fieri debet ; ignorantia quippe Medici ægro ipsi alter est morbus. Jam ad eos affectus ambos cognoscendos accedamus.

PRIORIS AFFECTUS DESCRIPTIO,

Qui nomine Rheumatismi *donatur.*

ANTEQUAM hunc affectum in classem morborum vel symptomatum referamus (quandoquidem longe a morbo actionem primo ac per se lædente symptoma differt, licet vulgo confundatur, & male) qualiter, id est, quibus & quomodo oriatur, aperiemus : quibus item comitatus sit doloribus & symptomatis, dicemus ; non neglectis aliquot exemplis eorum quos ab eo affectu prehendi vidimus, & qua ratione iisdem sit occursum ac consultum ; ita enim curatio ipsa aliquid ad ejus cognitionem & prævisionem insinuabit.

Primum quidem observare oportet corpora quibus affectio hæc contingit, & quomodo adoriatur, & qualiter sanguis afficiatur. Duo genera corporum maxime occupari ab ea affectione experientia comprobavit, unum sanorum, in latitudine sanitatis comprehensorum, proxime tamen in morbum casurorum : quum enim hic morbus adoritur, præcessit jam lassitudo spontanea, & sanguis ægrotat, & illud verum hic esse comperitur, quod ab Hippocrate annotatur, morbi sensim fiunt ac generantur, statim vero adoriuntur. Alterum genus corporum ab ista affectione corripi solitorum, est eorum qui jam re-apse ægrotant, maxime vero morbo longo, sed qui jam est desiturus, aut falsa & præcipite crisi videtur solvi, quum tamen superstit nec exstinguatur : id exemplum Præsidis Guyotti patefecit, quem id genus morbi gravissime afflixit.

Notare oportet maxime hunc locum de duobus generibus corporum, quæ hoc morbo affliguntur. Est enim id pro disputationis fundamento. Hipp. 1. de diæta.

Nunc de aliis differentiis corporum. Inter corpora autem quæ facile eum morbum tam gravem experiuntur, sunt maxime aut valde cacochyma, aut non ita cacochyma, sed plethorica & sanguinea, in quibus aut ob

(*e*) Prognosim. (*f*) Admirationem.

ob difflatum prohibitum, aut alia ratione ſanguis vitium fecit: potiſſimum vero huic objecta ſunt morbo corpora illa quæ febribus ſynochis putribus corripi ſolent. Quod enim facit motus & corruptio ſanguinis in ſynocho, idem facit ipſe ſanguis in iſto morbo, ſed alio modo: nec enim manifeſta febris eſt, ſed concluſa quodammodo, ut loco febris ſynochæ in qua æqualiter & πυρετώδως (g) accenſo ſanguine, iſte affectus fere ſine febre ſuccedat. Videmus enim inter homines pleroſque facile corripi febre, modo hac, modo illa, licet puritas in ſanguine ſit; contra, alios quibus humores ſunt putres, neſcio autem quomodo a febre immunes videantur: nec enim febrire videntur ſaltem febre quæ ſub ſenſum cadat. Et id genus hominum capitur eo morbo de quo hæc inſtituta eſt diſputatio.

Quo pertinet præclara Arculani, ex ſententia Principis, quæſtio & examen de iis, qui febribus ſunt obnoxii. Videmus enim multos leviſſima de cauſa a febribus prehendi, alios non item: tamen neſcio qua febre laborant, ſed ea non facile percipitur. Ejuſmodi ſunt hypochondriaci & bilioſi multi qui febribus non ſunt opportuni, & tantum neſcio quas febres ephemeras, aut ſynochos non putres perſentiunt: etiam iidem occaſione nata in hecticas febres facile cadunt; ægre autem cadunt, niſi occaſio adſit eaque ſatis potens. Quod autem iſta corpora bilioſa, & melancholica febricitent ſuo modo ſuaque febre, id declarat, quod perpetuo fere doleant & levi de cauſa: & vulgo jactant ſe non febrire quum febriant: immo iis febris eſt velut πάθος συγγενὴς (h): & etiam dum valent pulſus celeriores & frequentiores habent. Quod etiamſi obiter dictum, parumque ad rem pertinere videatur, tamen ὑποθετικῶς (i) poſitum, utile eſt ut intelligamus quoſdam febre prehendi manifeſta & cognitu facili, alios occulta, qui febrire non videntur, quod non tam pulſu ſe prodat, quam acrimonia caloris in totum corpus fuſi, & tale genus hominum facile in tabificas affectiones cadit. *Arculanus cap. 2. de febribus.*

Modus autem quo affectio hæc adoritur quæ falſo catarrhus dicitur; (nam nomen catarrhi κατ' ἐξοχὴν (k) diſtillationem a capite ſignificat) aliis melius ῥευματισμὸς (l) dici videtur, eſt ejuſmodi. Quod ut melius audiatur, hypotheſin prædictam meminiſſe oportet de diſtinctione corporum quæ eo morbo ἁλίσκονται, corripiuntur: nam eodem modo in ſanis & ægris ſeſe prodit, ſed aliter atque aliter affecto corpore. Totum corpus dolet, facies nonnullis rubet, circum articulos maxime ſævit dolor, ut ne minimum quidem vel pes, vel manus, vel digitus ſine dolore & clamore moveri poſſit: ideo autem in articulis major dolor eſt ratione ſubjecti, quia pars majore & exquiſitiore ſenſu eſt prædita. Æqualibus autem doloris cauſis præſentibus vel in parte, vel in toto corpore, magis ea pars dolet quæ ſenſum exquiſitiorem habet, ut de doloribus capitis ſcripſit Galenus. Quum partibus apprimitur manus, ſenſus eſt & perceptio (licet *Comm. ad part. 1. ſect. 1. lib. 6. Epid.*

(g) Febriliter.
(h) Paſſio cognata.
(i) Hypothetice.
(k) Per excellentiam.
(l) Rheumatiſmus.

etiam blande attrectaveris) cujuſdam caloris acris. Si pulſum conſulis, febris aut nulla aut exigua eſſe videtur: & tamen febris eſt revera, ſed non valde magna: quod ſi major fieret, eſſet vere febris continens putris; tamen calor percipitur acer, & (quod notandum eſt) morbus purgatione irritatur, more eorum morborum qui conſiſtunt in inflammatione: Febris quæ adeſt in habitu corporis eſt, ubi Galenus aliquando ſtatuit ſedem cauſi, ut docuimus in tractatu de cauſo, quæ tamen febris exacerbationes non habet manifeſtas. Dolores quidem noctu exacerbantur, nec dormire queunt ægri, partim quia moveri loco nequeunt, & quo ſtatu fere primo jacent ac decumbunt, in eo manent, & ſine cruciatu ac vehementi dolore vix moventur aut attinguntur; tenſio eſt & aculeorum quidam ſenſus: eſt enim & plenitudo & cacochymia: unde iis qui eo laborant affectu, licet multum & ſæpe ſanguis demitur, is plane corruptus eſt, & in ſerum quoddam putre reſolutus. Denique omne muſculoſum ac nervoſum genus ſero ac ſanguine putri proluitur, qui in partibus iſtis ἐπιφλόγισμα aut φλεγμονῶδές τι (*m*) parit: unde dolendi occaſio naſcitur. Tanti autem dolores fiunt ob materiæ acrimoniam, & quia natura in cutim eam deponere vult nondum mitificatam, nec viis adhuc dum præparatis. Et quod arthritis eſt in parte aliqua, idipſum eſt iſte ῥευματισμὸς in toto corpore; dolore, tenſione & caloris acriuſculi ſenſione (ut ita loquar) alii dicunt, ſenſatione. Durius utrumque eſt: at arthriticus dolor certis periodis repetit certiſque temporibus; iſte ῥευματισμὸς non item: niſi quod in iis qui in vitæ genere peccarunt, ut nervis redditis infirmioribus, & ſuccreſcente cacochymia, tandem habitum aut diatheſin arthriticam afferre poſſet. Et revera qui iſtum ῥευματισμὸν bis aut ter ſunt experti, vix (niſi ſibi caveant conſulantve) tormentum arthriticum vitare poſſunt: ut iſte ῥευματισμὸς ſit velut πρόδρομος & προπαρασκευὴ (*n*) ad arthritin. Nec melius explicari deſcribique poteſt hic affectus, quam propoſita analogia & affinitate quæ eſt inter hunc & arthritidem: & hercle plerique, immo Medici qui nondum hunc affectum cognitum habent, arthritidis univerſalis nomine iſtum donaverunt. At curatio quam paullo poſt proponemus, a quo humore principium ducat, edocebit.

Et quoniam diximus ſub finem morborum iſtum ῥευματισμὸν oboriri; ut magis ejus natura innoteſcat, id etiam paullo plenius eſt aperiundum: vidimus pleriſque qui aut quartana longa, aut alio ſimili morbo laborarant, ſub finem morbi, aut quo tempore in morbos mutatio inſignis aliqua cadit, omnes articulos, immo totum corpus doluiſſe eo modo qui a nobis eſt explicatus, ut ſe arthriticos putarent, aut vix arthritin evitaturos crederent. Aliis loco iſtius moleſtæ exonerationis in omne genus muſculoſum, aut ſcabies, aut phlyctænæ, aut ſerpigines, aut puſtulæ aliquæ inflammatoriæ in cutim erumpunt ſub finem morborum; Et ut uno verbo abſolvam: qui humor in cutim cutaneos affectus egerminat & excitat, idem

(*m*) Epiphlogiſma aut quidpiam inflammatorium.

(*n*) Prodromus & præparatio.

idem affectum istum ῥευματικὸν (*n*) promovet. Ab utrisque, corpore diligenter curato ac purgato, copiosus & longus sudor vindicaret.

Restant duo explicanda ad cognitionem istius affectus de quo laboratur, licet jam pæne descriptus sit, &, ut clarius innotescat, in corpore aliquo laborante sit observandus. Prius est, quod diximus in corpus plethoricum id genus mali cadere, & maxime in ea corpora quæ febribus synochis objiciuntur: id enim clarius est aperiendum. Posterius, ut ante oculos vere proponatur natura, mos & symptomata affectionis istius permolestæ, de lassitudinibus dicendum est; Ulcerosa enim & phlegmonodus lassitudo magnam cum isto affectu familiaritatem habet: immo ita affines & cognati affectus esse videntur, ut propter ἀδελφιξίαν (*o*) iidem esse videantur.

Ac de febribus quidem synochis, illud unum ex Galeno notari debet, quod ab his corpus non prehendi solet, nisi florens, juvenile, ac multi admodum succi, & viribus præditum: unde & audacter sanguinem mittit, & exactam vitæ legem præscribit: id quod aliter in aliis febribus facere solet. Unde corpus plethoricum, validum ac juvenile, præsertim si intempestive exerceatur, isto ῥευματισμῷ (*p*) facile corripitur, natura ad centrum corporis amandante materiam, aut materia in ipsis carnibus, musculis, inanibus loco, nervis, denique in toto corpore habitu commota ferveſcente, sine tamen febre apparente manifesta; manus quidem Medici percipit calorem acrem & mordacem, sed in pulsu nil aut parum aliquid febrile percipitur. Est quidem multus humor & corruptus (id quod phlebotomia declarat, nam quantumvis magna copia sanguis e brachio detrahatur, impurus & in serum putre resolutus cerni solet) sed tamen non adest iste motus qui est necessarius ad excitandam febrem. Quod si magnus quidem rigor contingeret, hunc febris statim exciperet: sed deest, nisi forte minimus adest, aut potius horror, præsertim si se Soli objiciant aut loco contineantur frigidiusculo. Talis humor accenditur quidem & extraneum calorem habet, sed non πυρετώδεια, & πυρετωδῶς (*q*) non accenditur.

Cap. 14. lib. 11. Metho. & ante.

Quo fortassis non præter rationem pertinet illa Principis distinctio de febribus apparentibus & non apparentibus, de quibus paullo ante a nobis dictum est ex Arculano.

Arculanus lib. de feb.

Et in lassitudine phlegmonode & ulcerosa sæpe non est manifesta febris, & tamen dolent ægri & vix moventur, præsertim si τὰ περιόστια (*r*) sero putri replentur, unde & dolor & lassitudo ossearia, & ut loquitur Hippocrates de causi primo genere disputans καὶ τὸ σῶμα ἐχόμενον ὥσπερ ὑπὸ ὀστεοκόπου καὶ κοπιᾷ & ἀλγέει (*s*). Laborat enim ossearia lassitudine (ait Galenus) & ulcerosa propter tenuium humiditatum acrimoniam & putredinem, sanguis enim cito putrescit, maxime vero qui est circa ossa, unde

4. de acut. initio. Comm. ad part. lib. 4. acutorum. Arist. Cap. 19. lib. 3. de hist. anim.

(*n*) Rheumaticum.
(*o*) Cognationem, fraternitatem.
(*p*) Rheumatismo.
(*q*) Febrilem & febriliter.
(*r*) Periostia.
(*s*) Corpus quod corripitur à dolore ossa frangente & delassatur & dolet.

laſſitudines oriuntur. At eſt ubi febris jam adeſt cum doloribus, quos ὀστεοκόπους (*y*) vocamus, eſt ubi non adeſt, ut in eo affectu quem ſuſcepimus explicandum. Unde etiam videmus ipſis Arthriticis in aliqua doloris acerbitate & ſomni vacuitate febrem etiamnum abeſſe, eam ſaltem quæ manifeſta ſit: quum tamen alias cum minimo tumore ad inguina, aut aliqua occaſione quæ κατὰ τὴν φαντασίαν (*z*) parva eſſe videatur, febris oboriatur non levis. Quid illud eſt? revera veniendum ad illud examen Principis ſupra adductum, de febribus quæ cognoſcuntur, & non cognoſcuntur.

Et quoniam toties hic de laſſitudinum nomine mentio facta eſt, de illis paullulum dicendum eſt a nobis: ita enim earum cognitio ad naturam & ὕπαρξιν (*a*) iſtius affectionis quam quærimus, altius cognoſcendam intelligendamque viam muniet & præſternet.

Omnino autem triplex laſſitudo ſpontanea a Galeno aſſignatur, tenſiva, ulceroſa, ac φλεγμονώδης (*b*). Genus eſt κόπος (qui non eſt ipſe per ſe ſenſus læſio, ſed per onus quoddam inſtrumentorum motionis) laſſitudo latinis: eſt autem affectio male actæ exercitationi ſuccedens. Habet enim ſuas leges exercitatio, ex quarum præſcripto intelligitur non modo quæ ipſa exercitatione fieri debent, ſed & ut corpora ante ipſam præparari debeant, & quæ poſt eam abſolutam, quæ ſit ratio τῆς ἀποθεραπείας (*c*). Ergo ita exerceri corpus oportet, & propter male actam exercitationem ſuccedit ea laſſitudo. Sic ex Galeni & veterum opinione Gorræus. Tamen adverſum ea quæ dicuntur, facere videntur quæ a Galeno explicantur in Aphoriſmis: κόπος *non eſt laſſitudinis* (ait) *nomen ex immoderatione motuum contractæ: ſed eſt nomen* τῆς διαθέσεως (*d*) id eſt, *affectionis quæ contingit animantium corporibus: non enim meminit earum laſſitudinum ex motibus oriri ſolitarum, ſed earum quæ ſponte eveniunt. Quum enim ſine motu talis orta fuerit laſſitudo, non abſolute laſſitudo, ſed ſponte naſcens dicetur.* Ergo κινήσεις, id eſt motiones præcedere non debent ut κόπου αὐτομάτου (*e*) conſtituatur ὕπαρξις (*f*). Cur ergo definitur κόπος (*g*) affectio male actæ exercitationi ſuccedens? κόπος enim τονώδης, ἑλκώδης καὶ φλεγμονώδης ἄνευ τῶν κινήσεων (*h*) eſſe debet. Sed facile eſt hanc quæſtionem ſolvere. Gorræi definitio hic poſita eſt de laſſitudine non ſpontanea, Galeni vero definitio eſt de ſpontanea: nam laſſitudines non ſpontaneæ ab immodicis motibus pendere debent: & laſſitudo poſt immodicas ſequens exercitationes eſt ſanorum ſymptoma: ita quæ ſine motu præcedente ſuccedit, ſymptoma eſt morboſum. Sed de hoc ſcrupulo aliis relinquatur ambi-

Hic indifferenter dicimus πόνον κόπον. ποιεῖν. ἀλγεῖν. κοπιᾶν. (*t*) *dolor. labor. laſſitudo. Cicero ait Græcos neſciviſſe diſtinguere inter dolorem & laborem. Tamen Ariſt. 10. de hiſt animal. in matrice & oculo diſtinguit inter* λύπην καὶ κόπον καὶ πόνον καὶ νόσον. (*u*) λύπη *dolor,* κόπος *laſſitudo,* πόνος *labor dici poteſt. Λύπη eſt læſio ſenſus, hinc dolor.* Πόνος *labor dicitur, non eſt ſenſus læſio, ſed onus potius inſtrumentorum motionis. Nervos motorios labor reſpicit, ſenſificos dolor, labor autem multa habet nomina,* πόνον, κόπον, κάματον (*x*). *hæc Scaliger.*

(*t*) Laborem, laſſitudinem, laborare, dolere, delaſſare.
(*u*) Afflictionem & laſſitudinem, laborem & morbum.
(*x*) Laborē, laſſitudinē, defatigationem.
(*y*) Oſſa frangentes.
(*z*) Secundum phantaſiam.
(*a*) Eſſentiam.
(*b*) Inflammatoria.
(*c*) Curationis.
(*d*) Diſpoſitionis.
(*e*) Laſſitudinis ſpontaneæ.
(*f*) Eſſentia.
(*g*) Labor.
(*h*) Laſſitudo enim tenſiva, ulceroſa, inflammatoria, ſine motionibus.

ambigendum. Si enim præceſſit motio & labor immoderatus, deinde κόπος (*h*) ſequatur, non jam αὐτόματος (*i*) dicetur, quum nihil procatarcticon concurrere debeat: niſi quis dicat non facile ſeſe prodere eam affectionem tendentem aut ulcerationis ſenſum efficientem, niſi corpus agitetur moveaturque. Unde videmus eos qui exerceri non ſolent, ſi ad inſolitam exercitationem deveniant, veluti laſſitudine laborare: nam faciunt τῆς σαρκὸς σύντηξιν βιαίαν καὶ πολλήν (*k*). Revera hæc affectio cadit in eos qui multis humoribus pleni ad inſolitum laborem ſeſe convertunt: inexercitati enim homines a quovis labore fatigantur. Quod enim manet in carnibus fuſum ac liquatum, id laborem exhibet. Idem Hippocrates expreſſit *ad finem libri* 2. *de Diæta*. At vero non neceſſe eſt præcedere laborem præſertim magnum, alioqui huic præcedenti labori tamquam cauſæ origo aſſignaretur. Nam τῇ αὐτομάτῳ κόπῳ οὐσία (*l*) in eo reſidet quod nihil ſit procatarcticum; κόπος τονώδης (*m*) a repletione eſt potius, cacochymia ulceroſum κόπον (*n*) infert: κόπῳ (*o*) duæ ſunt cauſæ fere contrariæ, labor & otium. Sic febres ſunt κοπιώδεις (*p*) a laboribus, aliæ ab otio, a ſuppreſſo peculiari excremento & hæ ſunt longiores. In febribus κοπιώδεσι πόνος (*q*) eſt & prænuntius, & comes & ſucceſſivus. Succeſſivus eſt velut abſceſſus auctor & provocator: κόπος ἁπλῶς (*r*) dictus, venit ἀπὸ τῶν πόνων (*s*) & muſculoſo generi πόνον (*t*) inducit: alius eſt αὐτόματος (*u*). Accedit quod ſanitas conſiſtat in ſymmetria quadam & proportione ciborum & laboris ex antiqui magiſtri doctrina: unde ſi cibus laborem ſuperet, facilis eſt in morbum caſus: hinc enim ſequitur plethora & πλησμονὴ (*x*) ex qua plethora naſcitur. Quum autem eſt ea repletio, corpus non amplius admittit alimentum, nequit enim quia incapax eſt corpus: vetus enim excrementum partium, ſeu vetus alimentum non admittit novum alimentum. Quid inde ſequitur? ut fiant ἀποκρίσεις (*y*) in interno ipſo corpore, unde peripneumoniæ, pleuritides, deſtillationes, oppreſſiones, ſunt enim incipientis parumque progreſſæ πλησμονῆς (*z*) ſigna, & effectus; ſunt etiam multum progreſſæ ac conſummatæ ſua argumenta: quæ omnia Hippocrates libris expreſſit. Ideo autem iſtos τῆς πλησμονῆς gradus conſtituere oportuit ut ſymptomata quæ alterutram ſequuntur differant καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον (*a*). Et ut etiam plane conſtet de veritate eorum quæ ante diximus, qui fiat ut quum corpus jam male habeat, ſanguis impurus & corruptus ſit, tamen non febris actu & reipſa oriatur; Eſt enim iſtius ſanitatis ut & morbi magna latitudo.

Gorræus in dict. κόπος. Comm. ad Aph. 5. lib. 2. Quomodo κόπος agnoſcat cauſas ſui laborem & otium.

Hipp. 2. de Diæta.

Hipp. 3. de Diæta.

Unde

(*h*) Laſſitudo.
(*i*) Spontanea.
(*k*) Carnis colliquationem violentam & plurimam.
(*l*) Spontaneæ laſſitudinis eſſentia.
(*m*) Laſſitudo tenſiva.
(*n*) Laſſitudinem.
(*o*) Laſſitudinis.
(*p*) Laſſitudinarias.
(*q*) Laſſitudinariis labor.
(*r*) Laſſitudo ſimpliciter.
(*s*) A laboribus.
(*t*) Laborem.
(*u*) Spontaneus.
(*x*) Plenitudo.
(*y*) Secretiones.
(*z*) Plenitudinis.
(*a*) Secundum magis & minus.

Unde videmus etiam iſtos tam impuris humoribus præditos, quum perendie bene habere videantur, cœnent, bibant, cantent, deinde omnia agant quæ & ſani, repente velut mutata ſorte, ægrotare & vehementiſſime, immo magno omnium ſtupore, e vivis eripi, ut prius conſtet eos interiiſſe quam ægrotare.

Ergo præclarum illum Hippocratis locum & litteris aureis ſcribendum de repletione, quæ eſt τῶν κόπων πρόδρομος (*d*), expediamus, in quo propter antiquarum dictionum obſcuritatem nonnulla latet difficultas. Ita enim ſcopum de ſpeciebus laſſitudinum feriemus.

Hæc ex lib. 3. Hippocr. de Diæta. *Sunt qui ubi labores ſuperantur a cibis, id patiuntur. Quum incipit repletio ſomni longi & dulces ſunt, interdiu dormiunt. Somnus carni contingit, ſanguis funditur, ſpiritus fuſus tranquillus* eſt. *Et quum corpus repletionem amplius non recipit, ſecretionem remittit intro, præ circuitus violentia: quæ ſecretio contraria alimento a cibis, animam perturbat: & amplius non ſunt jucundi a cibo ſomni, ſed homo perturbatur. Nam qualia patitur corpus, talia videt anima viſu jam concluſo.* Hæc ex libro de diæta, quibus congruunt quæ idem Hippocrates ſcripſit. *Propenſio ad ſomnum, eumque ſtudio accerſitum, ſegnitiem corpori, & capiti gravitatem affert: corpus enim excoctum & turgidulum reddit* (græce ἐψότητα vocat.) *Excoctio enim quædam eſt ob calidam humiditatem.* Hæc Galenus. *Ergo*, ait Hippocrates, *quum ſomnus eſt turbulentus, neceſſe eſt ut homo ægrotet. Qualis ſecretio*, græce ἀπόκρισις, *& ubicumque* κρατήσει, id eſt *ſeſe protulerit vimque ſuam exercuerit, ea morbo pars affligitur. Ideo cito curandus eſt homo. Sunt hæc ſigna, dolet corpus, alias totum, alias pars. Dolor eſt velut laſſitudo, græce* κόπος, *curant autem repletionem & ſegnitiem donec febricitent nec adhuc ſe ægros putant, ſed cibis & balneis utentes ad peripneumoniam deveniunt, aut ad alium periculo plenum affectum. Antequam incidant in febrem, attenuatione opus eſt & exercitio. Si febris prehendat, intra aquam per tres dies conſiſtendum eſt.* Bonum eſt uti iis quæ χρίσματα ἰδρωτικὰ (*e*) vocantur. Mirum eſt cur multis caput gravetur, & alvus ſiſtatur initio iſtorum morborum, quia caput τῶν πλησμονὴν (*f*), & ut ex loco ſuperiore colligere eſt, τῶν ἀποκρίσιν ἀποστᾶσαν (*g*) revellit ad ſe, & alvus ſiſtitur & caput gravatur. Periculum autem eſt ut quo erumpat (græce ῥαγῇ) repletio, partem corrumpat. At πλησμονὴ (*h*) non erumpit, ſed eſt ἀπόκρισις ἀπὸ τῆς πλησμονῆς (*i*), quia corpus utpote ſucculentius redditum non poteſt amplius ſuſcipere τῶν πλησμονὴν, ut ante dictum eſt. Obſervatione autem dignum eſt ex Hippocrate, quod ut eſt multiplex repletio, ita multiplex eſt ἀπόκρισις ἢ ἔσω καὶ ἔξω (*k*). Et aliis labores fiunt & dolores & οἱ κόποι (*l*): aliis fit καχεκτικόν τι (*m*), & velut hydropicum.

Ad finem 2. de Diæta acut.

Unum vero quod maxime annotari debet in hac phyſica contemplatione

(*d*) Laſſitudines præcurrens.
(*e*) Inunctiones ſudorificæ.
(*f*) Plenitudinem.
(*g*) Secretionem revellit.
(*h*) Plenitudo.
(*i*) Secretio à plenitudine.
(*k*) Secretio & interior & exterior.
(*l*) Laſſitudines.
(*m*) Quidpiam cachecticum.

ne eſt, quod Hippocrates multiplicem ſtatuerit repletionem, quæ habet etiam pro ſua idea, & varias ſymptomaton ſpecies & ideas, eaſque pro corporum natura & diſtinctione. Nam aliis corpus rarum eſt, aliis denſum. Et prout cutis & carnes aliter atque aliter affectæ ſunt: ita repletionis varii ſunt effectus, varia accidentia, & curationis varietas. Aliis purum corpus, aliis impurius. Quibus impurius corpus eſt, repletio aliis ſe prodit: facies eſt decolor, & habitus eſt velut cachecticus & ὑδροπικοειδὴς (*n*). Nunc verba ipſius contextus Hippocratici; & de iis quibus corpus impurius eſt, & quibus eſt denſius, attexenda ſunt: deinde quorumdam verborum proprietatem quibus Hippocrates inter docendum uſus eſt, declarabimus: ut ſunt ἐρυγὴ, & ἐρεύγεσθαι, ructus, & eructare: ἀπόκρισις & ἔκκρισις, περίοδος, περιβολὴ, περιφορὰ, σύντηξις (*o*), quorum explicatio plurimum lucis iis eſt allatura quæ poſtea ſumus dicturi. Nunc ad Hippocratis contextum veniatur. *Alii hæc in repletione patiuntur, facies iis eſt decolor, & ubi comederint, paullo poſt eructant acida, & acor in nares proſerpit: iis corpora pura non ſunt, & plus eſt quod de carne colliquatur* (græce συντηκόμενον) *præ labore, quam quod repurgatur* ὑπὸ τῆς περιόδου, *præ circuitu. Et id intus manens alimento contrarium eſt, ipſumque violat, ac acidum facit.* Ex quo facile apparere poteſt qui corpus impurum quum exercetur paullo immoderatius in morbum præceps cadat, & qui corpus impurum ſi plus æquo nutritur, impurius reddatur. Hinc elice demonſtrationem *aph. lib.* 1. *Corpus impurum quo plus nutrieris* &c. Quid autem eſt illud quod ait, Corpus repurgatur ὑπὸ τῆς περιόδου; credo in corpore ſive coactum ſive violentum quid accidat, ſive propter antiquam cacochymiam aut recentem, nil ſit violentum, ſed velut ultroneum & ſpontaneum, fieri multas ἐκκρίσεις, συντήξεις, περιόδους, περιφορὰς, περιβολὰς, ἀποκρίσεις, ἐρευγὰς, μεταῤῥύσεις (*p*): * quæ verba licet ſint diſſimilia, tamen fere ſynonyma ſunt, & aliquid ſimile ſignificant, quamquam ſi penitius inſpiciantur in rebus ipſis per ea verba indicatis, aliquid eſt prius & poſterius, ut σύντηξις (*q*) præcedit ἔκκρισιν (*r*). Audiatur Hippocrates clarioris doctrinæ ergo.

Quidquid in corpore purum ex circuitu excernitur ſecundum naturam (ἐκκέκριται ἐκ τῆς περιόδου (*s*) græce) * *a veſpera ad auroram id recte habet: nam*

Ad finem 2. de Diæta Hip. docet cur a labore inſueto carnes fiunt humidiores corpore calefacto, & multum colliquationem remittunt. σύντηξις *eliquatio quædam carnium.* Περίοδος (*t*) *quid.*

* *His dictionibus adde vocem* περιόδους (*u*); *quæ vox innumera apud Græcos notat apud Gal. comm. ad part.* 30. *lib.* 1. *de Art. ubi*

ait in inediis habitus corporis (τὰς περιόδους (*x*)) *mucore, per colliquationem repleri.* * *Nomen* τῆς περιόδου *Hippocrates explicat lib. de alimento loquens de lacte & ſanguine: lac & ſanguis alimenti ſunt redundantia. Circuitus* (græce περίοδοι σύμφυτοι) *ſunt conſoni ad fetum, & ad ejus alimentum. Non enim nomen* περιόδου *motum ad circumferentiam ſignificat, ſed ad omnem dimenſionem. De nomine* τῆ περιόδου *Plato quum ait, ubi pituita atræ bili mixta ſacras* τὰς περιόδους τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ ὕσας (*y*) *ſubit, turbat, & tunc ſacer morbus oritur: vide quid nomen* περίοδος *ſignificet. Per hoc nomen meatus cerebri ſignificantur per quos fiunt fluxus & refluxus ſpiritus & aëris. Vocat alio loco lib. de flatibus* τὰς διεξόδους *quum loquitur de ſomno languidiores* διεξόδους (*z*) *faciente.*

(*n*) Hydropiformis.
(*o*) Secretio, excretio, circuitus, delatio, impetus, colliquatio.
(*p*) Excretiones, colliquationes, circuitus, delationes, impetus, ſecretiones, ructus, transfluxiones.
(*q*) Colliquatio.
(*r*) Excretionem.
(*s*) Secernitur ex circuitu.
(*t*) Circuitus.
(*u*) Circumſtationis.
(*x*) Circumſtationes.
(*y*) Circuitus in capite exiſtentes.
(*z*) Meatus.

quæ in ventre ſecernuntur (ἀποκρινόμενα (*a*)) *& quæ in carnem eructantur* (græce, ἐς σάρκα ἀπερυγόμενα) *omnia ex circuitu ac circumferentia excidunt*: Græce, ἐκ τῆς περιόδου ἐκπίπτει (*b*). Sic his verbis ἐκκρίσεως, περιόδου, ἐρευγῆς (*c*), & ſimilibus ſignificantur & excretiones, & excretionum modi, ſive naturales ſint, in corporibus e natura habentibus, ſive non naturales, in cacochymis & male habentibus corporibus. Has autem periodos, excretiones, motus maxime adjuvant aſtrorum quoque motus ob eam affinitatem, quæ eſt inter corpus noſtrum & aſtra. Corpora enim ab aſtris afficiuntur & moventur humores, cæco quodam & abdito modo, prout ſummus rerum omnium architectus inſtituit atque dictitavit. Id quod paullo ante diximus ſatis aperit illud Hippocratis: Aſtrorum exterior eſt in corpore circuitus (græce ἡ ἔξω περίοδος (*d*) Solis medius, Lunæ autem ad cavitates. Quodcumque aſtrorum horum exſtingui, aut diſparere videtur, aut ſiſti a ſuo circuitu (ἐπέχεσθαι τῆς περιόδου) juxta eam partem morbum redundare ſignificat: & in corpore ſecretionem, ἀπόκρισιν, factam aut humidam, aut pituitoſam, & in circumferentiam περιφορὴν, transferri.

Relictis harum vocum proprietatibus, alio eſt tranſeundum. Earum autem cognitio & animadverſio non fuit negligenda, quia in hoc affectu quem perſequimur, & quem improprie ῥευματισμὸν (*e*), melius ἀπόστασιν (*f*) quamdam vocabimus, aut ναυτίωσιν τῶν φλεβῶν (*g*), donec aptiora nomina ſeſe nobis offerant: tamen, id quicquid eſt, in hoc affectu, inquam, totius corporis, maximeque externi eſt dolor ὀστεοκόπος (*h*), membrorum, artuum & articulorum moleſtus ſenſus cum calore, ac ſi arthritis univerſalis eſſet. Sic fit in habitum corporis περιβολὴ, ἔκκρισις, περιφορὰ, σύντηξις, μετάῤῥυσις, ἀπόστασις, ῥευματισμὸς ἀπὸ τῦ ῥέειν (*i*), quia humor in habitum fluit & fluendo irrigat: nec enim id a capite eſt, ut vulgus credit: * catarrhum enim vocat, & imperite ignoranterque, & a refrigerantibus, & a ſanguinis detractione abſtinendum putat, quia catarrhus eſt. Sic infelix curatio propter iſtam ignorantiam decerni ſolet.

Et tamen aliquis poſſit dicere iſtos dolores, non tam oriri κατὰ τὴν ἀπόστασιν (*k*) per abſceſſus modum, & κατ' ἔκρυσιν (*l*), quam quia in ipſis partibus humor ſuus proprius & excrementitius incaluit, motus eſt & putruit. Ut in iis qui pila ludere inſolentes, paullo vehementius quum ludunt, omnium corporis partium dolor eſt moleſtus, quia mota eſt materia in habitu corporis, ſed non promota & foras excluſa. Si demum ſudor univerſo corpore emanaverit, ab iis doloribus & moleſto confractionis omnium membrorum ſenſu liberantur.

* *Immo a carnibus ipſis fluxiones fiũt in articulos; labor* (*ait Hipp. libr. de loc. in homine*) *& dolor, Græce πόνος & ὀδύνη, quum a carne humiditas fluxerit vitioſa, ſupple in articulos.*

Et

(*a*) Quæ ſecreta ſunt.
(*b*) Ex circuitu excidit.
(*c*) Secretionis, circuitus, ructus.
(*d*) Exterior circuitus.
(*e*) Rheumatiſmum.
(*f*) Apoſtaſin, decubitum.
(*g*) Nauſeam venarum.
(*h*) Oſſa frangens.
(*i*) Delatio, excretio, tranſlatio, colliquatio, transfluxio, apoſtaſis, rheumatiſmus à fluendo.
(*k*) Per decubitum.
(*l*) Per defluxum.

Et ut ipsi objectioni occurratur, dico dolores istos oriri solere, partim per abscedendi modum, ut in longis morbis & in quartanis febribus id evenire observavi. Et si febris materia cocta est, facile curantur detractione sanguinis, sudore, profluvio alvi, urinæ multæ & crassæ copiosa evacuatione: id enim fere κριτικὸν (*m*) est. Partim etiam oriuntur per ἀπόστασιν quamdam symptomaticam in iis qui quum jamdiu male haberent, & tamen ὀρθοσάδην (*n*) viverent, tamen subesset cacochymia multa, symptomatica facta est in universum genus musculosum περιβολὴ, περιφορὰ (*o*), unde tanta dolorum nata acerbitas. Argumentum autem cacochymiæ residis in venis & habitu, est, putris virosique sanguinis ejusque multi evacuatio. Fieri etiam potest, ut natura ab interno corpore ad externum materiem non pellente, dolores isti oriantur, calefacto, moto, putrente ac irritato habitus ipsius proprio humore & excremento.

Sic in eo ῥευματισμῷ. cujus mentio fit, fiunt fluxus & veluti colliquationes a carnibus in carnes & partes fibrosas & membranosas; locus iste libri de loc. in homine rem vere exprimit propositam.

Quæstio, an bonum est refluere humorem a robustis partibus ad infirmas (cujusmodi est universus corporis habitus) an contra ab infirmis ad robustas: nam robustis inest vis quædam vernacula & calor vegetus quo se vindicent ac tueantur: coctione, digestioneque id præstabunt. Quæ opinio est Hippocratis. *Qui morbi*, ait Hippocrates, *ab imbecillibus partibus ad fortiores remeaverint, ii solutu sunt faciliores: influxus enim facile a robore excludentur.* Mavult Galenus (qui ea in quæstione & assertione Hippocratis non ita veræ sententiæ subscribit) legere pro, excludentur, absumentur: nam si exclusio fiat, nonnisi dispendio, & noxa partium imbecilliorum in quas refluxurus est humor, fieri poterit. Quidam nomine partium fortiorum intelligi volunt partes principes: at melius est a partibus præcipuis in minus præcipuas humores repere. Nam cur (ait Galenus) sæpe visi sunt interire quibus succi in dolore articulorum in artus delati, deinde repulsi in partem principem pervenerint, & una salutis spes erat si iidem ipsi humores ad artus revocarentur.

Notanda hæc quæstio contra communem omnium opinionem. Part. 5. lib. 2. de natur. hum.

Ad finem comm. in partic. 5. lib. 2. de nat. hom.

Diximus inter cetera, prius, quod corpora plethorica valde sunt obnoxia, huic ῥευματικῇ (*p*) affectioni, aut abundantia sero multo, & bile, præsertim quum purgata non fuerint. Posterius, quod in musculosum genus fere rapitur incoctus humor biliosus, sanguineus, & circa periostia tamen ebullit, unde dolorum ista acerbitas. De corporibus notandum illud Aristotelis. *Obesa corpora habent sanguinem imputidum, quamquam sanguis & quæ sanguinea sunt facile putrent, ac præcipue quæ ad ossa propius applicantur.* Notandum illud quod dico, quodque melius verbis Aristoteleis facilius intelligetur, *sanguinei*, ait, τάχιστα σήπεται (*q*), *maxime vero quod circa ossa est.* Unde forte nascitur occasio tanti doloris in speciebus lassitudinum. Quod autem bilis aut serum, aut sanguis est tenuior qui effervescit, & patet ex Hippocrate: *fluit humor ob caliditatem quum carnes rarefactæ transitus præbuerint, humor calefactus tenuior factus fuerit.*

Cap. 19. l. 3. de hist. animal.

Lib. de loc. in hom.

(*m*) Criticum.
(*n*) Erectè ambulantes.
(*o*) Invasio, delatio.
(*p*) Rheumaticæ.
(*q*) Velocissimè putrescunt.

Omnis enim humor calefactus attenuatur. Et id alio loco Hippocrates docet, afferens exemplum ſubactionis agitationiſque lactis apud Scythas. Dum enim lac agitatur, quod tenuius eſt ſupereminet. Sic in homine dum turbatur humor, quicquid ejus eſt in corpore a principiis diſparatur, & in ſuperficie bilis conſiſtit.

Lib. 4. de morb.

Addam tantum unum, ut deinceps via ad therapian paretur, de nomine ῥεύματος καὶ ῥευματισμοῦ καὶ διαθέσεως ῥευματικῆς (*r*). Illud nomen non ſolum audiri debet pro defluxu a capite, ſed pro exoneratione ab interno corpore in externas partes, & in internas; ut quum hepar in uterum aut in inteſtina ſeſe exonerat, eſt ῥευματισμὸς (*s*), quemadmodum patet ex Galeno, his verbis, *ſit ut ſi ora vaſorum ad uterum directorum præter modum aperiantur, ſi ſanguis vel ſit calidior, vel tenuior, & totum corpus ob malum habitum gravetur ſanguine (licet modum naturæ convenientem multitudine non exceſſerit*: in græco, licet συμμετρίαν (*t*) ſuam non exceſſerit) *ſanguinem ipſum expellit ad venas quæ ſunt uteri; ut in fluxu rheumatico fieri ſolet* (græce ἐν ταῖς ῥευματικαῖς διαθέσεσιν (*u*)) *in quibus alias in aliam partem fluxus fit.* Et hæc de nomine ῥευματισμοῦ (*x*) præter ea quæ dicta ſunt.

Galenus ad aphor. 57. l. 5. Locus valde notandus quo patet cacheclicos grave corpus habere, licet multitudinis ratione non fiat.

Eſt apud Galenum locus περὶ τῶν ῥευματισμῶν in quo volunt ea de re maxime Galeni ſententiam aperiri: videtur enim ponere in exemplum habitum corporis alioqui imbecillum, pulmonem autem, hepar & lienem partes robuſtas. Quid tum fit? exonerationes & derivationes ab illis partibus fortioribus ad habitum. Atque tum fit hic morbus de quo diximus. Et licet a liene, aut pulmone, aut hepate fiat ad habitum translatio, tamen fluxionis nomine poteſt includi. Ita Galenus: *Partes imbecilliores morbis excrementitiis primæ capiuntur. Sic fiunt a fluxione nati affectus, univerſo videlicet corpore imbecillo exſiſtente, quæ una eſt καχεξίας id eſt mali habitus ſpecies, principibus illius partibus, licet paucus in iis ſit ſanguis, gravari ſolitis, quia pars infirma a minima quaque copia gravatur.* Revera iſtum Galeni locum volunt audiri de iſta ſolemni affectione in qua explicanda nos laboramus: tamen quum diligenter locum legi ac relegi, is eſt audiendus de fluxionibus etiam a capite: *Quamquam*, ait, *queis pulmo, lien & cerebrum prævalent viribus carnoſum genus, in iis ad glandulas & carnes fluxiones perveniunt*, ubi nimirum univerſus habitus imbecillus fuerit, ut in ῥευματικαῖς διαθέσεσι (*y*) evenit. Quum enim habitus corporis eſt imbecillus; & partes internæ ſeſe exonerant in eum, eſt ſpes quædam τῆς καχεξίας κατὰ τὸν ῥευματισμὸν τὸν δι' ἔκρυσιν vel κατὰ τὴν ἐγχύμωσιν (*z*) præter naturam. Nam proprie ἐγχύμωσις (*a*) ſecundum naturam eſt.

Gravitas tamen ἀπὸ τοῦ πλήθους (b). Sed cacochymia ipſa naturæ gravis eſt, & licet humor non vexet quanto, id eſt non κατὰ πλῆθος ſed κατὰ πάθος (c) tamen ſenſum quemdã gravitatis infert. Idem Gal. cap. 8. de ſang. miſſione.

Satis

(*r*) Rheumatis, rheumatiſmi & diſpoſitionis rheumaticæ.
(*s*) Rheumatiſmus.
(*t*) Symmetriam.
(*u*) In diſpoſitionibus rheumaticis.
(*x*) Rheumatiſmi.
(*y*) Rheumaticis diſpoſitionibus.
(*z*) Cachexiæ ſecundum rheumatiſmum vel per effluxum, vel per effuſionem.
(*a*) Effuſio.
(*b*) A plenitudine.
(*c*) Secundum plenitudinem, ſed ſecundum paſſionem.

Satis τὰ φυσικότερα καὶ σημειωτικὰ (*d*) ſumus perſecuti, nunc ad therapian: quamquam inter diſputandum jam fere aperuimus rationem medendi iſti affectioni tam dolorificæ, tam moleſtæ. Diximus fere in naturas validas hanc affectionem cadere, & in eas maxime quæ ſynochas febres putres experiuntur. Sic idem canon fere curationis eſt in hoc affectu, qui in laſſitudine ulceroſa, phlegmonode, & in febre ſynocho putri: in iis autem affectionibus, large & ſæpe ſanguis mitti debet. Vulgus etiam Medicorum (id quod Medicos doctos dedecet, ſed ob inſolentiam morbi eis parci debet) quoniam videt partes omnes pariter æqualiterque dolere, ratus falſo catarrhum eſſe, aut veritus ne provocetur fluxio in brachio e quo ſanguis duceretur, fere a ſectione venæ abſtinet, aut trepide cunctanterque eam aggreditur: ægri enim eo ſe modo habent toto corpore, quo arthritici in ſuo paroxyſmo in una aut paullo pluribus partibus; videtur enim hæc affectio eſſe arthritis univerſalis: tamen ab inſtituta vacuatione per luculentam frequentemque phlebotomiam id non debet nos revocare. Immo etiam in paroxyſmo arthritico utiliter laxatur vena, id quod hæmophobis & parum expertis Medicis haud placet. Maxime vero ad id invitamur, quod impurus, immo plane corruptus ſanguis in eo affectu laxata vena detrahatur. Laxitas cutis apprime facit ad curationem iſtius affectionis, ſed ægrorum impatientia non permittit ut ſe facile lecto contineant: ne minimam quidem ſtragulam aut operimentum præ dolore ferunt: & ob copiam & inflammationem neſcio quam toto corpore ſparſam, vix ac ne vix ſaluber ſudor manere poteſt.

Nomen multitudinis additum eſt ut explicetur nomen τῆς συμμετρίας (e). Cap. 8. lib. de ſang. miſſione, ubi corporis habitus imbecillus eſt, ibi eſt ſpes τῆς καχεξίας (f). Cachectici autem grave corpus habent licet paucus ſit ſanguis. Θεραπευτικὸν (g).

Objiciat quis: Hippocrates quatuor humores ſtatuit ſanguinem, aquam, bilem, pituitam, & viæ per quas hi vitium facientes, ſunt os, podex, nares, urinæ meatus; ſi humor affligens copioſior factus eſt, ſi homo per eos dictos locos purgetur, nullus ipſum morbus premit. Et tamen eo loco non meminit phlebotomiæ, nec evacuationis ſanguinis. Et tamen Medicorum pars maxima, ac ſi ſolus ſanguis in vitio ſit, tota in ſanguine mittendo eſt occupata. Dicimus ſanguinem ſolum ex omnibus humoribus per habitum corporis perque ipſum totum corpus ſparſum eſſe. Illo loco Hippocrates agit de certis humoribus excrementitiis, qui certis locis concluſi per certos locos & emiſſaria ſunt evacuandi.

Laudamus quidem impendio magis phlebotomiam in hoc morbo, quam ſaluberrimum eſſe remedium teſtamur. Clyſterum frequens uſus valet. Medicamenta per os ſumenda nocent, inflammationem augent, & dolores in artubus & habitu corporis irritant. Caſſia & lenientia tamen omnino non improbamus, hæmorrhagia confert, ſub finem ſudores. Tandem urina craſſa multa, ut quæ ab abſceſſibus vindicet, & maxime in febribus laborioſis conferet.

Et quoniam ægri perpetuo conqueruntur, & ſenſum habent caloris acris, aliquatenus juvantur uſu rerum frigidarum; ſed nocent bifariam;

(*d*) Phyſiologiam, & ſemeioticen.
(*e*) Symmetriæ.
(*f*) Cachexiæ.
(*g*) Therapeutice.

partim quia difflatum prohibent, partim quia ubi quis uſus eſt paullo frigidioribus remediis, remanet, domito morbo, major infirmitas nervorum, unde arthritidis occaſio poſtmodum naſci poteſt.

Dicat quis, ſi univerſus corporis habitus eſt imbecillior, confirmetur, ut dolendi ægrotandique pereat occaſio: Id quod ἐν ῥευματικαῖς διαθέσεσι (*h*) Galenus commendat; *Curationis ſcopus eſt non vacuatio, ſed totius habitus roboratio: quamquam* (ait) *curationis initium a ſanguinis miſſione fit.* Reſpondendum, fine & intentione curationis ſcopus primus eſt partis roboratio, opere tamen poſterior eſt: vix enim robur corpori conciliaris, niſi corpus vacuaris. Ubi enim pravus humor eſt, licet multitudine non lædat, tamen corpori gravitatem & morboſam diſpoſitionem non deſinit inferre, iſte autem tam gravis & dolorificus affectus non ſolet accidere, niſi jam & in vaſis & extra vaſa collecto pravo humore, id quod declarat frequens evacuatio pravi & impuri ſanguinis. Infirmitas quidem habitus valet ad ἐποδεκτικὸν (*i*), ſed non ad ποιητικὸν (*k*). Notandus enim eſt iſte locus, qui nil colligunt ſupervacui, his manent imbecillæ partes ſemper in tuto. Argumento eſt quoniam aliqui ſex menſibus infirmis pedibus laborant. Quod ſi ſola imbecillitas id faceret, perpetuo laboraret pars infirma, ut cui numquam cauſa abeſſet ut laboraret. Et *in Aphoriſmis* diſces quod partis imbecillitas non ſufficiat ad generandam affectionem, ex intermedio tempore, in quo nulla fere infeſtantur, licet nativa imbecillitas continua ſit, ſi nil in vita deliquerint. In hoc affectu paregoricis remediis eſt utendum: ab his quæ ἀποχουσικὰ (*l*) vocantur, præſertim a valentioribus eſt abſtinendum. Vidi qui thermis & decocto ligni in dies uti voluerint, ſed nullo profectu: immo omnia pæne recruduerunt. Saltem niſi diligenter toti corpori per ſanguinis detractionem proviſum fuerit, per clyſmata, & inflammatio deſierit, ab iis omnino temperandum eſt, immo tales ægrotantes febrientium more regere convenit. A juſculis non eſt abſtinendum ut falſo crediti catarrhi nomine vulgus Medicorum putat. Quia enim tales ægrotantes eo fere ſe modo habent, quo ii quibus παραλυτικὸν τρόπον (*n*), nervos muſculoſumque genus habent irrigatum fluxionibus a capite manantibus, ideo falſo putant id a capite eſſe, & cauſam frigidam putant, at vere παραλυτικοὶ (*o*) non ita dolent, non ita febriunt: ſic affectio una longe ab alia differt; cornicula frequentia & hirudines copioſæ habitui corporis applicitæ conferrent.

Vidi pleroſque ſub finem morborum longorum, eo affectu laboraſſe, natura modo quodam critico in habitu corporis abſceſſum κατ' ἔκρυσιν (*p*) moliri volente, eſt enim vere abſceſſus κατ' ἔκρυσιν. Et tales ægrotantes graviſſime habent triſtiuſque curantur: diuturnitate morbi, humores κακοήθειαν (*q*) acquiſiere.

Ande-

Cap 8. lib. de ſang. miſſ.

6. Janit. tuend. & comm. ad aph. 28. lib. 6. De ῥευματισμῷ (*m*) *iſto jam dicto, an repellendū initio. Hollerius lib. 6. inſtitut. Chirurg. vel de materia chirurgica abunde docuit.*

(*h*) In diſpoſitionibus rheumaticis.
(*i*) Suſcipiendum.
(*k*) Efficiendum.
(*l*) Repellentia.
(*m*) Rheumatiſmo.
(*n*) In modum paralyſeos.
(*o*) Paralytici.
(*p*) Per effluxum.
(*q*) Malignitatem.

Andegavenſis Comes eo affectu per ſex integras hebdomades laboravit, decies miſſus ſanguis, expertus eſt ſudorifica, deterius habuit; hic hæmorrhagiis copioſis olim erat obnoxius: tandem quum nullis morbus ceſſiſſet remediis, & deſperatus pæne foret, ecce tam copioſa hæmorrhagia & quæ credentis opinione major eſſet, ſupervenit, ut de funere cogitaretur; convaluit evacuato ſupra modum ſanguine; unde non abs re in præcedentibus diximus, morbum eum ad febres laborioſas referri poſſe, aut ad laſſitudinem phlegmonodem. Quanti autem in ea febre laborioſa facienda ſit hæmorrhagia docet Hippocrates *lib.* 4. *Acutorum apho.* 74. *quibus ſperatur in articulos abſceſſus, liberat urina multa qualis in febribus laborioſis; ſi vero ex naribus ſanguis fluxerit, brevi fit ſolutio.* Denique iſtum affectum tam notandum, tantis totque fetum uberemque ſymptomatis Hippocrates videtur adumbraviſſe: aitque iis ſolere contingere quibus magna ſunt viſcera: quoſque ſæpe hæmorrhagia male habuit, eaque ſubſtitit. Audiamus Hippocratem loquentem: *Quibus circa articulos dolores fiunt & tumores & ſedantur, non podagrico modo, in iis comperies viſcera magna, & in urina ſubſidentiam albam, &c. fit autem hic morbus iis quibus in pueritia & juventute ſanguis ex naribus fluere ſolitus deſuit. Proinde interrogandum de iſta ſanguinis eruptione, an in juventute facta fuerit.* Sed hæc paucis dicta ſufficiant quæ plenum commentarium requirerent: digitum ad fontem intendere dumtaxat fuit animus iis qui poſtea aliquid præſtantius ſunt molituri: reſtat ut tandem ſcribendi finis & modus ſit aliquis. Interea tamen omnes qui hunc noſtrum laborem ſunt obſervaturi rogatos volumus, ut ſuo candore audaciam leniant, bonique conſulant quod aliquid in communem uſum adferre audeamus: Nec enim iis ſcribimus qui in alieno opere ſunt ingenioſiores, non iis quos faſtidiendi optima quæque mollior laſcivia delectat, ſed candidioribus, quorum favor benignitaſque facile convellet, & exteret eos qui id quod in lucem emittimus, iniquius ſunt obſervaturi.

Hiſtoria.

Lib. 2. prorrhet.

FINIS.

POSTE-

POSTERIORIS AFFECTUS DESCRIPTIO,

Qui Pleuritidis dorſalis *nomine donatur.*

PENU ampliſſimum eſt divini Hippocratis liber, ex quo multa depromi poſſunt, quæ maxime ad cognitionem morborum eorumque therapian pertinebunt. PLEURITIS ex dorſo affectus eſt ab Hippocrate nominatus, a paucis, quod ſciam, obſervatus. Mihi nec umquam contigit videre, licet fere annus vertatur undeviceſimus, quo in urbe medicinam factitavi. Erat autem mulier gravida gerens ſeptimeſtrem fere fetum, dolor erat punctorius paullo infra duodecimam ſpinæ vertebram, dolor inquam inſignis, pertinens ad regionem hepatis, febris aſſidua, tuſſis inanis, quum inflammatio fere extra thoracem eſſet, ut pulmo ſerum ab inflammatione manans apprehendere nequiret. Inter ſigna pathognomonica erat dolor circum dorſum, membrana affecta non quæ coſtis obtenditur, ſed quæ vertebras cingit. Inter ſigna demonſtrativa, erant urinæ plane vinoſæ ac ſi ſanguis multus eas protuliſſet ac tinxiſſet: quia enim coafficitur hepar, urinæ tales apparent. Terruerunt me valde, unde Hippocratem ſuper ea re conſului, num talis urinarum color in pleuritide dorſali vulgo appareret. De ea affectione ita ſcripſit: *In pleuritide ad dorſum, dolet ipſum dorſum velut ex plaga, ſuſpirat & acervatim ſpirat. Statim ſpuit pauca, tertia aut quarta die ſaniem mejit ſubcruentam.* Plura ſigna eo loci perpendes memoratu digna. Et idem Hippocrates loquens de morbo dorſali quem νωτιάδα vocat & aliquid affine habet cum pleuritide dorſali, ita ſcripſit; *dolet dorſum & inguina, tertia & quarta die cruentam mejit urinam*; inflammatio itaque pertinet ad partes thorace inferiores. Et quod οὖρον αἱματηρὸν (*r*) legatur, id poteſt bifariam explicari, vel quod præ calore & inflammatione ſerum & χυμὸς (*s*) urinæ appareat οἰνώδης (*t*) ob bilis mixtionem quamplurimæ: vel quod reapſe ſanguis remiſceatur ipſi urinæ, facta tranſlatione quadam ad veſicam: eodem enim modo id poſſumus interpretari. Inflammationes enim & phymata inflammatoria in ſpinæ partibus orta per cruentam dyſenteriam, aut cruentam urinam liberari poſſunt: unde illud Hippocratis, *diſtortionem racheos cum difficultate ſpirandi ſanguinis fluxus copioſus exſolvit*, ῥύσις αἵματος (*u*) vel per nares, vel per urinas, vel per alvum fieri poteſt. Atque ut de urinis iſtis dicam cruentis (quæ ex Hippocratis *prognoſticis* initio morbi appa-

Hipp. lib. 3. de morb.

Lib. 2. de morb.

2. De Articul.

In Coacis Dur.

(*r*) Urina ſanguinolenta.
(*s*) Succus.
(*t*) Vinolentus.
(*u*) Fluxus ſanguinis.

apparentes longitudinem ſignificant) aliud eſt judicium quum apparent ad longitudinem, aliud quum ad acutiem, ut in morbo dorſali, in contortione ſpinæ, in pleuritide ex dorſo. Atque ut ingenue dicam, numquam obſervavi tam cruentas bileque ſaturatas urinas. In eo ergo affectu, duo ſymptomata rara comperimus: unum eſt mictio cruenta: alterum eſt, difficile ſpirare erecto corpore quod novum eſt in morbis thoracis. Hippocrates *in Coacis* meminit cujuſdam pleuritidis in qua dorſum rubet per eryſipelas a fluxu concitato per venam thoracicam per quam fit pleuritis dorſalis de qua hic agitur; hæc a reliquis differt. Dolor eſt dorſi, ejulatus & ſpirationis oppreſſio: inter cetera mala eſt, quod talis pleuriticus dum reſidet magis tuſſit & difficilius ſpirat, contra autem evenire deberet. Inter ea quæ mirati ſumus in hoc morbo fuit excretio urinæ cruentæ: aut ſanguis erat, aut ſerum ejus aut neſcio quid erat, quod coeffuſi mixtique cum urina ſanguinis opinionem fecit. Legimus apud *Hippocratem 3. de morbis capit. de febre ardente* inter ſigna, τὸ ὑρον αἱματώδες (x) vel quod revera ſit ſanguis mixtus, vel quod ſuo colore ſaturato bile rubra tamquam cruenta ſit urina politico loquendi modo, *rouge comme ſang*: tamen in pleuritide dorſali revera ſanguinolenta cernitur. Duretus docens quomodo in pleuritide dorſali ſit dejectio per alvum mala valde, ait cruentam quoque urinam reddi & quæ refert τὸ ἰχωρῶδες (y) quod a carnibus aſſis exſudat, eodem plane renum vitio quo ipſum jecur fundit per alvum ſanioſam proluviem: & cruentæ urinæ, & ſubvirides dejectiones fiant quaſi per ſympathiam. Quod ad curationem attinet, ea mihi videtur maxime poſita in ſanguinis detractione, eaque tanto frequentior & major eſſe debet, quo magis poſita eſt in inflammatione par collectionem, & quod ſpes ſanitatis non ſit poſita (ut ceterarum pleuritidum) in larga & facili ſputorum eductione. Nec enim alæ pulmonum alludentes ad latera exſurgere poſſunt materiem phlegmones reſudatione quadam, corpus ipſius pulmonis ſubeuntem. Nos iſti mulieri etiam gravidæ ſanguinem ſepties demſimus: & quum nobis religio eſſet toties evacuare, illa inſtabat precibus ut id auderemus: adeo manifeſta ex frequenti liberalique ſanguinis detractione allevatio conſequebatur; fotibus litibuſque aliquando adjuta eſt, aliquando ægreſcebat. Hanc hiſtoriam morbi ut inſolentis exponere mihi animus fuit, ut ſi quando occurrerit, experimento noſtro, in ratione tamquam firmo fundamento, poſito, ut αἱμοφοβία (z) morbum jam ex ſe calamitoſum, dictatore Hippocrate, calamitoſiorem non reddat. Licet autem in curatione pleuritidis ex dorſo meminerimus phlebotomiæ liberæ ac liberalis, tamen hic judicio eſt opus. Nec nobis ii placent qui in ſanguine demendo ſunt prodigi ac effuſi: ſatis eſt eſſe liberales. Semper enim virium modus tenendus eſt, ætas, tempus, valentis conſuetudo, aliquando enim morbi & ægri eſt quædam ἀντένδειξις (a). *Abſol. An.* 1588.

(x) Urina ſanguinolenta.
(y) Ichoroides.
(z) Metus ſanguinis.
(a) Contraindicatio.

BENEVOLO LECTORI

JACOBUS THEVART,

Doctor Medicus Parisiensis,

S. P. D.

UT affectus Rheumatici apud antiquos pæne anonymi & catarrhi nomine a vulgo pessimo rerum omnium interprete donati natura & idea melius innotescat, operæ pretium esse duxi eruditorum virorum desiderio faciendo satis, tres de Rheumatismo in scholis Medicorum Parisiensium theses tam ab Auctore quam ab aliis Doctoribus olim propositas & agitatas huic libello adjicere atque attexere, ut quæ ad hujus sævissimi affectus & apud nos frequentissime grassantis & sævientis a nullo denique adhuc ex professo descripti notitiam assequendam, plurimum lucis sint allaturæ & ad eumdem oppugnandum, gravissimaque hujus symptomata demulcenda, maxime sint profuturæ: his fruere, atque iis qui publicæ utilitatis gratia nullum adspernantur laborem, gratiam aliquam habeas etiam atque etiam rogo. Vale.

AD

AD QUODLIBETARIAM.

QUÆSTIO MEDICA

MATUTINIS DISPUTATIONIBUS DISCUTIENDA

In ſcholis Medicorum, die Jovis XVIII. menſis Februarii, Magiſtro GUILLELMO de BAILLOU Doctore Medico, Moderatore Prudentiſſimo.

AN RHEUMATISMUS ET ARTHRITIS CONGENERES?

HOMO ſingulare ſummi Opificis, ut. veri archetypi, exemplar, præclaro rationis, ut ducis optimæ, munere, & quo recens in lucem editus a lacrymis vitam auſpicans compenſatur, ceteris animantibus antecellit, licet hæc firmioris ſint valetudinis, & raro in homine ingenii felicitas & corporis firmitas ſint conjuges. Ratione duce ut paranympho, ad morbos ferendos & dolores eſt paratus & accinctus, maxime ſi arti medicæ (quæ ſæpe præbet juſtum officium, ſed malo victa fortunam non præſtat) ut optimæ parenti, & vitæ præſidi obſequatur. Hæc Ars ut ſedulus promus condus neceſſaria in victu ſuppeditat, dat, ſubſtrahit; morbos aut domat, aut vincit: denique in morbis hæc Ars utramque paginam facit. Quorſum enim felicitas, ſi non adſit ſanitas? Hæc Ars ſæpe anceps eſt an morbos domitos renovet, an vincat ſi poſſit. Ejuſmodi eſt Arthritis fato dirus hoſtis quum inveteravit. Ars renovat domitos, ut veteres quartanas, ut novi morbi novum fiat principium ad ſalutem ægri. Sæpe Arthritin demulcet, ſupprimit ad tempus, non opprimit ne ſuccedat apoplexia, gangræna, morbus ſacer, ut fit: etſi miſerum eſt ſanitatem morbo debere. Rheumatiſmus Arthritin ementitur, licet furore quodam ob tetrum ſerum percitus in totum corpus, maxime in articulos, ſæviat. Prudens ſit Medicus ut unum ab altero diſtinguat, quia ſimilitudines ſæpe fallunt. Incipientes morbos non quivis dignoſcit, ut naſcentes herbas peritus Botanicus vix internoſcit. Dolores articulorum in ſqualloribus ſub canicula, laſſitudinem ὀστεοκόπον (a), phlegmonodem omnibus muſculis laboran-

(a) Oſſa frangentem.

borantibus vix ab Arthritide & rheumatiſmo diſtingues. Et hic animi & præſentia & conſtantia ferendo dolori relucet. Quibus minor eſt animi conſenſus cum corpore, immo per ἀναγωγὴν (*b*) eſt quaſi ſevocatus, dolore non vincuntur, viros ſe præbent. Quibus animus corpori addictus, molliores dolore etiam exiguo franguntur. Sic corpus animum ſequi debet, non animus corpus: etſi qui gravi valetudine eſt affectus & afflictus vix animum ſequi poteſt. Pathemata animi humorem arthriticum aut ſupprimunt aut in partes morbo obnoxias exprimunt.

Arthritis ſævus hoſtis pueris parcit & mulieribus, niſi menſes deſint. Rheumatiſmus crudelior non parcit. Quædam tamen mulieres etiam menſtruæ fiunt arthriticæ, ſi labes a parentibus contracta, ſi hypochondriacæ temperie calidiore, ſi in facie gutta roſacea, aut ſi in victu peccent; ſi æquant pravum victum virorum arthriticorum, æquant & morbos. Tamen favore Naturæ cuique ætati ſua eſt ſanitas, ſui morbi, qui certis annis fato ſunt deſtinati & ſexu. Hinc fluxit morborum virilium & muliebrium differentia, vel ob uterum, vel ob temperamentum. Pueris lactentibus ſævi a dentitione dolores, quibus morbus ſacer & dirus comes eſt: lithiaſis frequens, vel a ſtirpe generis contracta calculoſa diatheſi, vel vitio lactis nutricis ob ætatem, vel corporis pravam temperiem, quum edicto Hippocratis (forte ſeveriore, juſto, non clemente) ut ſit ſalubre lac, nutrix debeat eſſe nec ſanguinea, nec bilioſa, nec aquoſa, nec melancholica: adeo nutricis electio eſt perplexa. Lithiaſin forte accerſit pulticula ex lacte & farina cruda. Pueris colici dolores crebri, eorum ſomnum & nutricum impedientes, (unde lac fit deterius) iliacis doloribus ſimiles & γριφομένοις (*c*), ob inteſtina quæ recens editis non habent ſuum motum περισταλτικὸν (*d*) facilem & obſequentem, quo alimentum facile attrahatur, facilius coquatur, & flatus educantur foras. Ad lithiaſin facit longus pueri in ſpinam decubitus, & arctiorum faſciarum uſus.

Rheumatiſmus dolore vago in omnes partes furit & involat. Totus habitus calet, riget, ac ſi univerſa arthritis foret. Habitus eſt depoſitarius, quia imbecillus: ſic fortiores & ditiores onerati ſe in imbecilliores exonerant. Virtus expultrix ichore irritata ſe exonerat, quod fit in cacochymis, cachecticis, in fœdis coloribus, ſi in æſtu labores immoderati præceſſerint. In Rheumatiſmo genua maxime affliguntur: quod in homine magni eſt momenti; & quia genibus ægris corpus eſt quaſi vietum & caducum, & mira eſt οὐλομελία (*e*) iſtius partis in nervis & membranis: immo in genibus eſt aliquid admirabile. Supplices genua oſculantur humili contactu, & deoſculandis ſupplicum genua ſubmittuntur: idque quia in genibus, ut in corde eſt quædam vitalitas: nam in utriuſque genu commiſſura eſt gemina buccarum ut veſicularum inanitas, qua perfoſſa, ceu jugulo, ſpiritus effluit: ideo genua ſumma cura tueri oportet, ne facile reſolvantur metu ſcelotyrbes compage reſoluta. In Rheumatiſmo id

(*b*) Eruptionem per ſuperiora.
(*c*) Ad inſtar retis implicatis.
(*d*) Periſtalticum.
(*e*) Perfecta natura.

id eſt fauſtum quod ſemel aut bis affligat, ſi cautio adhibetur : nondum enim in articulis contracta eſt labes & imbecillitas reducis morbi, ficto poſtliminii jure, cauſa. Non id boni ominis habet Arthritis contumax & rebellis morbus.

Ideo Arthritis eſt præfractior, ut dubites an mitior mater, an triſtior noverca. Arthriticorum longior vita vulgo dicitur, ſed malo omine & ſæva mercede. Si adeſt, mille tædia, ſi abeſt & ſupprimitur, morborum prædictorum ilias adeſt. Tumor eſt dolorificus cum & ſæpe inflammatione articuli. Præſtat adeſſe tumorem excluſa non incluſa in interno articulo materia : nam eo dolor major eſt quo magis eſt in anguſto. Alias viſcera accuſantur, alias caput, quod plerique fontem mali putant, at decipiuntur. Conſideratur pars laborans, humor, periodus, partium mittentium robur. Dignitas, & principatus, & ſitus partis ſuperior caput a morbis vindicare debet. Sæpe parvus humor & ichor mali auctor nec in capite, nec a capite. Totum corpus circulo ſimile eſt, in quo nec principium, nec finis, præcipua cauſa ſympathiæ, protopathiæ, aut per ſimplicem conſenſum generis ſine materia, aut cum materia : hinc origo malorum neſcitur. In arthritide ſi redux & periodica, vere maxime, & autumno (nam quædam animalia in ſolſtitiis podagra laborare obſervavit antiquitas) & de nocte empyicorum more ingraveſcit, nervorum & articulorum quædam imbecillitas cernitur, quæ per ſe arthritin non excitat, pars alioquin perpetuo laboraret, ſed ſuſcipiendi cauſa eſt habitu contracto. In articulo imbecillo & morboſo etiam ſuum alimentum corrumpitur, ut in cachexia, & proprio partis morbo arthritidis cauſa eſt. Eſt enim διάθεσις ἀρθριτικὴ (*f*), alias morbus longus, alias acutus. Si caro & nervus coafficitur, acutus. Si nervi & membranæ per ſe inflammantur, metus convulſionis. Si tendines, ligamenta, membranæ laborant, longior morbus & ſeptuagenarius dies criticus, quia hæc ægre humorem admittunt, difficile dimittunt, quia humor mucoſus, & nervoſarum partium morbi ſunt ſæpe recidivi.

Rheumatiſmus & Arthritis ut quadam ſorte ſunt affines cauſa, orgaſmo, & ſymptomatis, paris curationis ſunt participes. In arthritide pertinaci non ſolus humor ſpectatur, ſed articuli vitium aut hæreditarium, aut prava victus lege, aut venere nimia contractum : non idem de Rheumatiſmo, nam ſolum peregrinatur. In utroque affectu phlebotomia eſt ἡγεμονικὸν (*g*). Crebri clyſteres præmiſſi. Medicamenta calidiora nocent, irritant humorem in partes inferiores. Pilulæ initio non tutæ licet arthriticarum nomen ſibi falſo arrogent, non tam uſu, furente humore, quam abuſu. Non placet ad curandam arthritidem antidotus dicta μυςήριον (*h*), ex ariſtolochia, gentiana, myrrha, pollicitis quidem dives, ſed effectu ſterilis. Sudorifica ſub finem valent, & diuretica mediocria ne ſanguinem liquent, & apertis viis in artus repellant. De capite controverſia

(*f*) Diſpoſitio arthritica.
(*g*) Principale.
(*h*) Myſterium.

eſt : falſo in omni arthritide accuſatur, & omnia cephalica calida, odorata, errhina, emplaſtra gravi cerebri damno præſcribuntur, quum cerebrum ſit μετρόπολις (*i*) frigidi & glutinoſi, quæ temperies niſi ſervetur, homo facile fureret & deliraret. Hepati, lieni potius eſt conſulendum quam capiti. Et hic ſollertia Medici requiritur. Color faciei ſæpe eſt index & judex pro origine mali. Cataplaſmata cum mucaginibus nocent. Nervi, tendines, glutinis habent aliquid, id contumacius redditur frigido & glutinoſo admoto : hinc nodoſa arthritis : hinc morbus reviviſcit impedito difflatu : fotus blandi valent adhibita chamæpyti. Vinum fotu amicum, potu hoſtis. Lac aſininum prærogativum quid habet : naſcentibus & ſeneſcentibus lac parens. Balnea egelida valent. Cataplaſmata potius cum hydromelite quam cum lacte quod obſtruit : Caſſia admota : Oleum de Catellis : Cataplaſmata cum farinis & decocto omazorum : Balſamum Peruſinum ſub finem : Oleum ex torpedine. Uſus veneris rarus & moderatus, & ſalubrior tempore pluvio, & in aurora : hirudinum admotio non inutilis : aquæ naturales fructu non carent. Cauteria proſunt. Quia in Arthritide ars malo ſæpe vincitur, aut eluditur, hæc remedia perfectam ſanitatem non pollicentur, ſed vitam homini a Deo precario datam minus afflictam reddunt, & dolore modificato paullo jucundiorem.

Ergo Rheumatiſmus & Arthritis congeneres.

Aſſerebat Lutetiæ NICOLAUS HENAULT
Carduſianus Lingonenſis anno ſalutis 1610.

(*i*) Metropolis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Andreas Duchemin.
M. Stephan. de la Font.
M. Georgius Arbaud.
M. Carolus Bouvard.
M. Claud. Charles Pr. Reg.
M. Quirinus Vignon.
M. Joan. Renodæus Med. Reg.
M. Petrus Pijard.
M. Nicolaus Jabot.

QUÆ-

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS DISCUTIENDA

Mane in ſcholis Medicorum, die Jovis xv. Januarii
M. FRANCISCO MANDAT
Doctore Medico Moderatore.

AN A RHEUMATISMO DYSENTERIA κακοήθης (a)?

MORBI ex aliis nati ſuſcitantur κατὰ συμπάθειαν, vel κατὰ μετάπτωσιν (b). Illa fit quum ſuperſtite priore foco pars in alterius affectum trahitur, tam κοινωνίᾳ (c) quam ἐπιγενέσει (d), quarum prior vicinitate, operis ſocietate, & generis ſimilitudine, oriri ſolet: hæc materiæ morbum committentis propagatione. Ἐπιγενέσει teneſmus ſtranguriam & abortum inducit, pleuritis febrim; τῇ κατ' ἔργον οἰκειότητι (e) uteri affectus mammæ detegunt, in canina reſolutione ſana oris pars affectæ compatitur: τῇ κατὰ γένος κοινωνίᾳ (f) muſculus temporalis læſo oculo læditur, veſica vertebris oſſis ſacri affectis, vox teſtibus male conſtitutis. Nulla ἐπιγένεσις (g) levationem adfert primigenii morbi a quo enaſcitur, ſed calamitoſa prope omnis: qua ratione epilepſia aut ſtranguria hydropicis, dyſenteria lienoſis, dolores cervicis iis qui animo perturbantur ſine periculo numquam ſuperveniunt.

Fit vero metaptoſis quum relicto priori foco in aliam corporis partem noxius & effrenis humor inſilit, vel a nobili ad ignobilem per διαδοχὴν (h), vel ab ignobili ad nobilem per μετάσασιν (i). Ut perpetuo formidanda μετάσασις, ſic interdum exoptanda διαδοχὴ, bonum ſi ab interioribus partibus ad exteriores eryſipelas erumpat; bonum quoque ſi lienoſus affectus in dyſenteriam abeat: ſolvit hydropem (quæ non ſemper a frigido hepate eſt) ſuperveniens diarrhœa, lipyriam febrim cholera morbus, cauſum icterus ſeptimo adveniens die, apoplexiam paralyſis & hæmorrhoides.

(a) Maligna.
(b) Per conſenſum, vel per tranſmutationem.
(c) Communione.
(d) Supergeneratione.
(e) Similitudine ex operis communione.
(f) Communione ſecundum genus.
(g) Supergeneratio.
(h) Succeſſionem.
(i) Tranſmutationem.

des. Metaſtaſis ad ægri noxam proritatur, prioribuſque deteriores inducit affectus: ſic dolores cum febre lumbis imiſque partibus affixi, ſi his relictis præcordia invadant, pernicioſi; ſic anginæ ſalutares alias quum intro recurrunt periculoſæ; ſic ulceroſæ dyſenteriæ a ſuppreſſo exteriori rheumatiſmo δύσκολοι (k), multoque deteriores ſunt illis quæ abſque inteſtini ulcere conſiſtunt, aut quæ cum ulcere, non tamen depaſcente aut ſordido adſunt.

Rheumatiſmus non eſt humoris pituitoſi e capite deſcenſus, ſed conferta humoris ſeroſi diluvies non modo in articulos, ſed in medios artus & externum corporis habitum irruens, vagoſque ac ſuccedaneos dolores inferens, vere arthriticorum & eorum qui a lue venerea excitantur æmulos. Quem affectum committit ἰχὼρ φαύλος καὶ μοχθηρὸς (l), quatuor humorum proprius, a fervido hepate genitus, qui dum a robuſtis partibus in debiliores fertur, & ab iis in omnium maxime ignavas æſtuans in venis αἱματοποιητικοῖς (m) fluctuat, a quibus evomitur modo in hoc, modo in aliud latus improviſo inſultu, ſæpe ſine rubore aut tumore, non ſine febre tamen, perioſtium membranoſumque genus acuto dolore exercens. Prout is humor tenuis eſt & calidus quaquaverſum pervadit, & ab una parte ad aliam ſubito decubitu tranſmigrat: prout acer eſt & mordicans affectas partes pungit & lancinat; quod ſi quoque copioſus quaſi piſtillo tundit, δυσκινησίαν (n) parit, & partes in modicum tumorem rubrum, inæqualem, excruciantem attollit.

Abſorbendæ tam importunæ illuviei, fruſtra ſudores ſollicitantur, aut phœnigmi purpuratarum febrium inane præſidium admoventur; fruſtra quæruntur hypocauſta, fruſtra hydrogoga vel deſiccantia medicamenta præſcribuntur. Sectio venæ frequens, crebra enemata, refrigerantia & humectantia omnia, blanda ſub finem cathartica, ex ſenna, rheo, confectione univerſali, ſyrupo diarhodon, ac inter topica oxyrhodinum & oxycratum, morbi hujus contumaciam expugnant. Quæ quum omittuntur, vel effuſi ad articulos humores abſceſſus pariunt, movendique libertatem artubus auferunt, vel ad interiora per παλινδρομῶ (o) iter affectant, & in capite parapoplexiam, tertianis interdum febribus ſupervenientem, lethargum periodicam, epilepſiam excitant; in thorace hydropem ſola paracenteſi ſanandam, dyſpnœam graviſſimam diureticis oppugnandam, peripneumoniam denique, & ſyncopem letalem.

Quoties vero in ventrem inferiorem prædicti humores confluunt, præ vernacula tenuitate facile exundant per portas viſcerum, partim quidem in ventriculum per venam gaſtricam, ubi aqueum accerſunt vomitum, partim per meſaraicos ramos in amplam inteſtinorum cavitatem, ubi ſeroſam diarrhœam pariunt, aliquando criticam, ſi copioſe, libere ac raro alvus feratur, craſſeſcentibus excrementis; ſymptomaticam vero & maleficam,

(k) Difficiles.
(l) Ichor malus & pernicioſus.
(m) Sanguiſluis.
(n) Motus difficultatem.
(o) Recurſum.

leficam, quum multum aut ſæpe, ac parum eadem alvus movetur. Quod autem in medio per hepar decurſu ſerum hoc acre radices meatuum choledocorum præterfluat, bilemque plurimam æſtu perenni hepatis genitam hinc ebibat, frequenti per inteſtina deſcenſu fæcum reliquias abſterget primo, dein adipem inteſtina oblinentem, interioremque eorum membranam abradit, ex quo ſuccedit dyſenteria, quæ quod ab acri & erodente ſucco cieatur, quem fovet & continuo gignit viſcerum æſtus, quodque in partes remotiores & ignobiliores ſerum illud viſcera non derivent ob excernendi ἀδυναμίαν (p) ferox tandem evadit affectus δυσκατέργατος καὶ δυσκαταγώνιστος (q).

Ergo a Rheumatiſmo Dyſenteria κακοήθης (r).

Proponebat Lutetiæ URBANUS BODINEAU Andegavus. Anno R. S. H. 1626.

(p) Impotentiam.
(q) Inexpugnabilis & invincibilis.
(r) Maligna.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Thomas Gammarre.
M. Anthon. Charpentier.
M. Franciſcus Pijart.
M. Petrus Girardet.
M. Antonius Robin.
M. Gulielmus du Val. P. R.
M. Joannes Akakia. M. R.
M. Gaſpar Brayer.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA,

In ſcholis Medicorum, die Jovis IX. menſis Decembris, Magiſtro JACOBO THEVART Doctore Medico Moderatore.

AN RHEUMATISMO VENÆ SECTIO?

UT res naturales ſui conſervationem per ſimilia, ſic res παρὰ φύσιν (*a*) depulſionem per contraria poſtulant. Indicatio θεραπευτικὴ (*b*) ſoli debetur præter naturam affectui; cujus ſpecies & magnitudo, remedii genus, & quantitatem inſinuat, per quam Medicina βιοφελεςάτη (*c*) conjecturalis evadit, æque ac per ſimilitudines morborum diſſimilium, quæ non ſecus quam herbarum germina in prima ἐκβολῇ (*d*) peritioribus imponunt. Sic colicus dolor nephritidem non raro ementitur; hepatitis pleuritidem; rheumatiſmus arthriticos, & venereos cruciatus, catarrhum, homini magis quam brutis familiarem, & ulceroſam ac phlegmonodem laſſitudinem, morborum πρόδρομον (*e*). In omnibus ἔθος κάλλιστον διδασκαλεῖον (*f*), ignoto morbo remedia ne adhibeas: natura optima victus lege vel morbum patefaciet, vel profligabit: ægrorum alia vivendi ratio, ſanorum alia: quum non minus noceant brutorum alimenta ſanis, quam ægris cibi bene valentium. Auxilia, quibus morbi depelluntur, ἀδιάφορα (*g*), Herophilo tam venena eſſe poſſunt, quam auxiliares Deorum manus: plus in eis artis eſt quam naturæ. Eorum duo præcipua genera, catharſis & phlebotomia, quorum illa cacochymiæ mediocri, velut conſummatæ epicraſis convenit: hæc priori potior acutis morbis, inflammationibus, & doloribus.

Cave topica univerſalibus, compoſita ſimplicibus, validiora blandis anteponas. Sat cito, ſi tuto & jucunde. Quæ diæta & pharmacia non ſanant, chirurgia, Medici dextra, ferro, ignibus reſcindit & domat. Multa in ancipiti periculo fiunt, alias omittenda. In exoſtoſi (quæ non ſemper eſt a lue venerea) quum victus ratio, & præſidia non profuere blandiora, licet ad ferrum candens confugere: præſtat anceps & doloris plenum auxilium experiri, quam nullum. In morbo quid eſſe gravius poteſt

(*a*) Præter naturam.
(*b*) Therapeutica.
(*c*) Vitæ utiliſſima.
(*d*) Occurſu.
(*e*) Prodromum.
(*f*) Conſuetudo optimum Gymnaſium.
(*g*) Indifferentia.

teſt metu mortis, voluptatum intermiſſione, doloris ab ægritudine inducti, vehementia? Nemo pæne ſe ſentit ægrotare quam per dolorem, cujus, natura noſtri amantiſſima, tantam rationem habuit, ut eum aut tolerabilem faceret, aut brevem. Nullus poteſt valde dolere, & diu: quum vehemens eſt hoc πάθος (*h*), vel macerrimas corporis partes occupat, vel nervis inſiſtit, vel in articulis firmatur, quibus narcoticorum uſus nocet, emulceri debet anodynis: quorum ea præferuntur quæ morbi cauſam auferunt: dein quæ calori blando, & halituoſo ſunt εὐπρόσφυτα (*i*). Alias, ſi quid aliud, virium robur infringit, ſanguinem inflammat, ſpiritus accendit, bilem acuit, humores omnes exagitat, noctu tamen magis quam interdiu, quo tempore gravior eſſe conſuevit.

Si alibi uſquam dolor ægros fatigat, maxime in Rheumatiſmo, qui eſt totius corporis, præſertimque externi, artuum, articulorumque ἀπόστασις (*k*), cum dolore ὀστεοκόπῳ (*l*), & moleſto caloris gravitatiſque ſenſu. Fit acer hic affectus, Galeno cognitus, quum partes internæ venæ, & arteriæ ſeſe in externas, & in genus muſculoſum, per ναυτίωσιν (*m*) quamdam, exonerant: licet non raro internæ quoque corporis partes, ut inteſtina, uterus, pulmo, ῥευματικὰς διαθέσεις (*n*) experiantur. Caput hujus mali fons, ut & omnis arthritidis, falſo habetur: viſcerum maximeque hepatis, ubi eſt ſanguinis officina, calidior intemperies, αἷμα ἄπεπτον ἰχωροειδὲς (*o*) generans, id fovet. Sæpe ratione ſeri (quod Diis erat pro ſanguine apud Homerum) humores procul a ſuo foco graviſſima concitant ſymptomata. Quum omnes, aut plures articulos deſultorio quodam modo impetit, Rheumatiſmum creat: quum in hunc vel illum articulum inſilit, præſente partis imbecillitate, quæ non ſola eſt reducis paroxyſmi cauſa, arthritidem μισόπτωχον (*p*), Veneris & Bacchi filiam, mulieribus, eunuchis, & pueris odioſam movet. Nonnumquam, velut imperfecta criſi, in longis morbis, ut quartanis febribus, morbificus humor, futura ſudoris materia, motus, & non promotus mediiſque quaſi membranoſis viis ſubſiſtens, tantorum cruciatuum eſt auctor.

